Medicina, et Praxis medica, medicationum exemplis demonstrata / [Henricus Regius].

Contributors

Regius, Henricus, 1598-1679
Descartes, René, 1596-1650

Publication/Creation

Trajecti ad Rhenum : Ex officina Theodori ab Ackersdijck, 1668.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/qjcfxudt

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

Duroy
1668

43144/B
A. XXX. d
REGIUS

24823

a 1213.5

1598-1679

HENRICI REGII

ULTRAJECTINI

MEDICINA,

ET

PRAXIS MEDICA,

Medicationum exemplis demonstrata.

EDITIO TERTIA,

Prioribus multò locupletior & emendatior.

TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officinâ THEODORI ab ACKERSDIJCK,

CIↃ IↃ C LXVIII.

24823

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

NOBILISSIMIS,
Amplissimis, & Prudentissimis
VIRIS,
D. D. COSS.
ET
SENATORIBUS
Inclytæ Civitatis
ULTRAJECTINÆ S.

QUum primùm ad Professionem Medicam Vestro Decreto fui vocatus, id negotii mihi tum temporis datum credidi; ut brevem, facilem, & utilem, pro virili, ad Artem nostram Auditoribus ostenderem viam. Idque facilè obtineri posse speravi, si superfluis amputatis, & obscu-

ſcuris dilucidatis, ſola neceſſaria & ſufficientia totius Medicinæ præcepta, accurato ordine, abſque ullis verborum & inanium diſputationum ambagibus, perſpicuè proponerem, eorumque uſum exemplis oſtenderem. Ubi enim, demtis ſupervacuis & heterogeneis, ſola neceſſaria methodicè proponuntur, neceſſariò juſta oritur brevitas, quæ ablatis difficultatibus facilis; & tandem, propoſitis exemplis, etiam utilis evadit. Tentarunt hoc ante me Viri multi, ingenio præſtantiſſimi. Verùm, quod pace ipſorum dixero, propter obſcuriorem ſuam philoſophandi rationem, non ſatis feliciter id hactenus præſtitiſſe videntur. *Multum egerunt*, inquit Seneca, *qui ante nos fuerunt; ſed non peregerunt. Multum adhuc reſtat operæ, mul-*

multumque restabit. Neque ulli nato, post mille secula, præcidetur occasio, aliquid adhuc adjiciendi. Cum itaque, jam à paucis annis, major in Philosophia lux, hoc beato nostro seculo, per principia quædam antiqua, clara, facilia, ubivis obvia; & unica nunc accuratiùs in usum revocata, clarissimè affulserit; multo felicius id hac tempestate tentari posse existimans, manum operi admovi: Ac universam Medicinam ad valetudinis Cognitionem & Curationem, quæ unica sunt Medici officia, methodicè revocavi. Cognitionem physiologicam commentario, ex Philosophia mea naturali, quantum opus esse videbatur, repetito, passim declaravi & illustravi. Difficiliorum morborum ac symtomatum facilem & intelligibilem ra-

tionem reddidi. Eorumque medelam, haud operosam, sufficientem tamen, explicui. Obscurissimas Medicamentorum facultates explanavi. Medicationibus præcepta Medica dilucidavi. Et, ut verbo absolvam, omnia universæ nostræ Artis mysteria, etiam abditissima & difficillima, perspicua & facilia reddere tentavi. Attamen, si quis omnes difficultatum scrupulos nondum ex eâ planè sublatos existimet; illi ego, ut haud magnopere adversor, ita magnam saltem eorum partem jam sublatam, & majorem indies hac methodo sublatum iri, certò confido. Principia enim illa antiquissima, quibus utor, sicuti sunt facilia, intelligibilia, & ubivis obvia, atque unica; ita magnâ cum utilitate omnibus rebus facile accommodari

dari possunt: ut in Philosophiâ meâ Naturali, quâ totam rerum Universitatem, quanta quanta est, jam ante multos annos, primus seculo nostro, per principiorum istorum claritatem, dilucidè explicatam exhibui; & ad omnes & quaslibet liberales disciplinas, sed præcipuè ad Medicinam, expeditam & compendiariam viam stravi, ostendere fui conatus.

Cum verò Vestra Munificentia literarium hoc otium, quod has cogitationes mihi suppeditavit, quam liberalissimè largiatur; officii mei esse credidi, hanc meam qualemcùnque operam, qua in Medicinâ Universâ ejusque Praxi describendâ, dilucidandâ, & levandâ sum usus, Vobis charissimæ & antiquissimæ meæ Patriæ Patribus, in æternum humillimæ observantiæ, & officiosæ gra-

gratitudinis, testimonium, cum debitâ veneratione, consecrare, & ad Favoris & Patrocinii vestri aram suspendere. Hanc itaquè ut benignâ manu accipiatis, & me, dum omne studium & vitam Medicinæ, in Academiâ Patriâ excolendæ, unicè impendo, à malignis & iniquis malevolorum morsibus, pro Justissima Vestra Prudentia, & Paterno Amore, quo cives vestros complectimini, tutum & securum vindicetis, etiam atque etiam rogo

Nobilissimæ & Prudentissimæ Vestræ Amplitudini
Devotissimus & Observantissimus

Ultrajecti 31. Maji 1647.
Styl. Jul.

H. REGIUS de ROY
ULTRAJECTINUS.

LECTORI

LECTORI BENEVOLO S.

DUm, abhinc annos præter propter triginta, Artem Medicam, ſub publicæ meæ Profeſſionis initium, paulò diligentius excolere aggredior, mox ſe mihi, in ipſo limine, difficultas obtulit quàm maxima. Cum enim res naturæ noſtræ adverſantes, quales ſunt morbi, eorumque cauſæ, & comites, qui vulgo ſymtomata appellantur, in quorum cognitione & curatione tota fere noſtra Ars verſatur, nec rectè intelligi, nec tradi commodè poſſint; niſi conſtitutiones actioneſque, ſecundum rectas naturæ leges ſeſe habentes, earumque cauſæ, ex primis Phyſicæ principiis rectè fuerint perſpectæ & traditæ. Cumque ea, ut vulgò proponebantur, Cimmeriis tenebris involuta viderem: ab ipſis omnium rerum primordiis corrigendis, naturalique perſpicuitati & claritati reſtituendis, res auſpicanda; rerumque omnium naturalium perſpicua & clara deſcriptio, & explicatio, ad Hominem uſque deducenda; Medicinæque traditioni neceſſariò præmittenda fuit. Teſtatus jam tùm fuerat in Diſſer-

tatione de Methodo Carteſius, hoc à ſe jam factum, & inſignia ſuorum conatuum ſpecimina, in additâ Dioptricâ & Meteorologiâ ediderat. Verùm Vir ille ingenioſiſſimus in eodem opere tum publicè ſignificavit, ſibi nullo modo permittendum, ut quicquam eorum, ſe vivo, in lucem prodiret: *addens tamen*, ea ſola, quæ in Methodo, *quaſi per jndicem*, commemoraverat, ingenioſioribus, ad ſimilia, imò vel majora, præſtanda, ſufficere. *Neceſſitate itaq́, coactus, & ſpe ab ipſo datâ animatus, eò rem deduxi; ut ipſe Carteſius, viſis meis Phyſicis Cogitatis, quibus Hominem, Magnetem, Æſtum maris, totamque reliquam rerum Univerſitatem, per principia vera, clara, intelligibilia, ubivis obſervabilia, & unica, jam tum diſcripſerã, publicè in Epiſtolâ ad P. Dinetum teſtatus fuerit*, me viſâ ſuâ Dioptricâ & Meteorologiâ, *quo tempore illæ, circa annum 1637 ſolæ, cum Diſſertatione de Methodo, in lucem primùm prodierant*, eâ fuiſſe ſagacitate, ut intra paucos menſes integram Phyſiologiam concinnarim. *Facto itaque hoc fundamento, eoque à me, hoc noſtro ſeculo, omnium primo, propalato & publicato, ſolidum totius Artis Medicæ*

ædifi-

ædificium ipsi etiam primus inædificare, obscurissimasque ejus difficultates, & abditissima ejus arcana, face rectæ rationis, ex verâ Physicâ petitæ, pro virili dilucidare, & in apertam lucem proferre, ac verum medicorum præceptorum usum in Medicationum exemplis ostendere; editisque meis qualibuscunque scriptis, cogitata mea aliis communicare, aggressus fui; in eoque hactenus perseveravi. Horum autem cum ea fuerit fortuna, ut tuus benevolus favor, ea benignissimè hactenus exceperit, omnibusque eorum editis exemplaribus nunc rursus emtione penitus distractis, me jam ad novam editionem denuo invitaverit; opus, ad incudem nunc iterum revocatum, & additamentis nonnullis auctum, rursus in lucem produco. Quod cum à solo veritatis illustrandæ & propogandæ, aliosque juvandi studio, tuisque benevolentiæ stimulis, proficiscatur; illud, pro solita tua æquitate, æqui bonique, ut spero, consules. Vale, & laboribus nostris favere perge.

Dabam Ultrajecti 20. Januarij,
Anno cIↃ IↃ c LXVIII, Stylo Jul.

Renatus

Renatus des Cartes, in Epistola ad P. Dinetum; quæ responsioni ad septimas objectiones est addita.

DOctor quidam Medicinæ (H. Regius), vir acerrimi ac perspicacissimi ingenii, atque ex eorum numero, qui quamvis Scholarum Philosophiam rectè didicerint, quia tamen ei non credunt, & sunt ingenui, non ideo multum superbiunt, nec se admodum doctos esse fingunt, ut aliis quibusdam in more est, qui ipsâ sunt inebriati; legit Dioptricam meam & Meteora, cum primum edita sunt in lucem, ac statim aliqua in iis verioris Philosophiæ principia contineri judicavit: Quæ colligendo diligentius, & alia ex iis deducendo, eâ fuit sagacitate, ut, intra paucos menses, integram inde Physiologiam concinnarit.

INDEX

INDEX
LIBRORUM, CAPITUM,
rerumque præcipuarum;
quæ in his
MEDICINÆ LIBRIS
explicantur.

LIBER PRIMUS.

De Cognoscendâ Sanitate.

CAPUT I.

De Medicina & ejus partibus in genere.

MEdicina. Pag. 1.
Ea non est in Theoreticam & Practicam dividenda. 1.
Objectionum solutio. 1.
Mederi est Medicinæ finis, objectum, effectum, officium, scopus, & forma. 1.
Objectionum solutio. 2.
Quid mederi. 2.
Medicinæ partes. 2.
Earum probatio. 2.
Cognitio. 2.
Valetudo. 3.

CAPUT II.

De Cognitione Physiologica, ubi de sanitate, partibus humani corporis, temperie bonâ, & qualitatibus.

COgnitio Physiologica. Pag. 3.
Vulgaris Physiologiæ Medicæ rejectio. 3.
Responsio ad instantiam. 3.
Res naturales, tanquam per commentarium hic traduntur. 3.
Ratio nominis physiologicæ cognitionis. 3.
Sanitas. 3.
Pars humani corporis. 3.
Pars insensibilis, & unde ea cognoscatur. 4.
Partes insensibiles communiter non sunt atomi, sive indivisibiles. 4.
Hæ sunt in variis partibus variæ. 4.
Pars sensibilis. 4.
Continuitas propriè est in partibus insensibilibns. 4
Insensibilibus particulis actu inesse alias particulas. 5.
Insensibiles particulæ revera sunt finitæ, sed nobis sunt indefinitæ. 5.
Partes stabiles. 5.

Spermaticæ. 5.
Sanguineæ. 6.
Cur partes sanguineæ calidiores; spermaticæ frigidiores dicantur. 6.
Similares. 6.
Dissimilares. 6.
Organicæ. 6.
Inorganicæ. 6.
Principes partes. 7.
Actiones nostræ præcipuæ, ut & partes principes sunt tres. 7.
Ministræ. 7.
Continentes. 7.
Contentæ. 7.
Venter. 7.
Summus. 7.
Medius. 7.
Infimus. 7.
Artus. 7.
Pars fluida. 8.
Sanguis. 8.
Ejus partes. 8.
Spiritus. 8.
Insitus. 8.
Influens. 8.
Naturalis. 8.
Animalis. 8.
Sanitatis partes. 9.
Bona temperies. 9.
Qualitas. 9.
Qualitates præcipuæ, quæ in temperie sunt considerandæ. 9.
Calor actualis. 9.
Potentialis. 9.
Frigus actuale. 9.
Potentiale. 9.
Humiditas actualis. 10.
Potentialis. 10.
Siccitas actualis. 10.
Potentialis. 10.
Tenuitas & subtilitas. 10.
Crassities. 10.
Raritas. 10.
Densitas. 10.
Stabilitas. 11.
Durities. 11.
Mollities. 11.
Harum causæ. 11.
Fluiditas. 11.
Aquositas. 11.
Salsugo. 12.
Oleaginositas. 12.
Spirituositas. 12.
Visciditas. 12.
Volatilitas. 12.
Fixitas. 12.
Flexibilium quorundam resultus. 12.
Fragilitas. 12.
Opacitas. 13.
Pellucidita. 13.
Lenitas. 13.
Acrimonia. 13.
Contiguitas. 13.
Continuitas. 13.
Gravitas. 13.
Levitas. 13

CAPUT III.

De bonæ partium temperiei differentiis, & earum recta conformatione.

TEmperies moderata. Pag. 14.
Immoderata. 14.
In quibus illæ consistant. 14.
Totalis, & ejus differentiæ. 14.
Partialis, & ejus differentiæ secundum primas dictas qualitates 15.

Quæ

Quæ qualitates in partium temperie potius sint considerandæ. 15.
Temperies nativa. 15.
Sexus est duplex; masculinus & fœmininus. 15.
Uter calidior & fortior. 15.
Temperies adscititia. 15.
Ejus præcipuæ causæ. 16.
Ætas. 16.
Ejus divisio. 16.
Pueritia.. 16.
Adolescentia. 16.
Juventus. 16.
Hæc calida est & sicca. 16.
Juvenes sunt calidiores pueris 16.
Ætas virilis. 16
Senectus. 16.
Ætates non habent in omnibus eosdem terminos. 17.
Terminus vitæ est mutabilis. 17.
Anni tempestates quomodo corpus alterent. 17.
Earum temperamentum. 17.
Locorum diversitas quomodo corpora immutet. 18.
Consuetudo, quomodo corpora corrigat & vitiet; variasque actiones producat. 18.
Temperies permanens. 18.
Quomodo qualitates hic æstimentur. 18.
Temperies fugiens. 18.
Calor nativus. 19.
Quid ille sit. 19.
Cur hic cœlestis & elementaris sit dicendus. 19.
Quomodo hic calor admiranda præstet. 19.
Cur ille spiritus primigenius & humidum primigenium dicatur. 19
Mutationes caloris nativi per ætates. 20.
Mutationum istarum causæ. 20.
Per anni tempestates. 20.
Cur calor nativus in quibusdam validior sit hyeme & vere. 20.
Et in quibusdam aliis æstate & autumno. 21.
Ejus differentiæ. 21.
Calor influens & insitus re non differunt. 21.
Apta partium conformatio. 21.
In quibus ea consistat. 21.
Justa quantitas. 21.
Apta figuratio. 21.
Bona constructio. 21.

CAPUT IV.

De Sanitatis signis: ubi de Alitura, Fame, Siti, item Chylosi & Chymosi.

Signa Sanitatis. Pag. 21.
Eorum præcipua sunt actiones salubres. 21.
Quid actiones. 22.
Actiones naturales. 22.
Quid hic per naturam significetur. 22.
Alitura. 22.
Alitura est perpetua; & hinc falsum aliquos sine alimentis per annos aliquot naturaliter vixisse. 22.
Qui liquores, præter sanguinem, corpora nostra alant. 22.
Unde hoc colligatur. 23.
Appetitus alimentarius. 23.
Alimentum. 23.

Cibus. 23.
Potus. 23.
Sitis. 23.
Fames. 23.
Unde variorum ciborum oriatur appetitus. 23.
Coctio. 23.
Fermentacea effervescentia. 24.
Coctionis differentiæ. 24.
Cur coctiones aliæ alias lædant, vel juvent. 24.
Quomodo in ventriculo & intestinis fiat coctio. 24.
Unde hoc constet, quod succus acris coctionem ventriculi juvet. 25.
Dum coctio in ventriculo fit, tenuiores chyli partes transeunt in venas gastricas, & vas venosum breve; & crassiores in intestina paulatim propelluntur. 25.
Alimenta alia citius, alia tardius coquuntur. 25.
Quæ in mesenterio fiat coctio. 25.
Quomodo chymus ex venis Mesaraicis transeat ad hepar. 26.
Coctio, quæ in sacculo chymifero: & quomodo chymus vel lympha ibi distribuatur. 26.
Quæ in hepate fiat coctio. 27.
Quod alimenta ad hepar veniant pulsione per venas facta. 27.
Unde hoc constet. 27.
Chylus non tantum venas lacteas, sed etiam alias ingreditur. 27.
Succus ex ventriculo & intestinis in venas ingressus chymus est dicendus. 29.
Cur venæ lacteæ, aperto animalis abdomine, mox dispareant. 29.
Ascensus chymi per ductum chymiferum juvatur a valvulis ductus chymiferi. 29.

CAPUT V.

De Hæmatosi, sive Coctione sanguinis.

TErtia coctio, quæ in corde fit, sive sanguificatio. Pag. 29.
Unde sanguinis oriatur rubedo. 30.
Sanguificatio est duplex. 30.
Constitutio partium cordis. 30.
Sanguificatio cordis prior. 31.
Posterior. 31.
Quomodo sanguificatio utraque procedat. 31.
Causæ motus cordis & arteriarum proximæ & remotæ. 33.
Præter has nulla est vis pulsifica. 33.
Pro harum causarum variatione, variatur pulsus. 33.
Usus & necessitas non sunt causæ motus cordis dicendæ. 33.

CAPUT VI.

De pulsu, & sanguinis Circulatione.

PUlsus. Pag. 33.
Quod cor potissimum a spiritibus animalibus, ex cerebro in hoc influentibus, moveatur. 34.
Objectionum solutio. 34.
Partes pulsus. 34.
Intumescentia sive diastole cordis. 34.
Subsidentia sive systole cordis. 35.
Sanguinis circulatio. 35.
Unde ea sit dicta: & quas præbeat Utilitates. 35.

Sanguinis circulationis ratio prima. 36.
Secunda. 37.
Tertia. 37.
Cur arteriæ pulsent; non venæ. 37.

Caput VII.

De Respiratione.

Respiratio. Pag. 37.
Ejus usus. 38.
Cur pisces, & fœtus in utero existens, non indigeant respiratione. 38.
Respirationis partes. 39.
Inspiratio. 39.
Exspiratio. 39.
Si aër internus, a pectore dilatato inter respirādum propulsus, ad os pervenire, propter impedimentum aliquod, non possit; tum solus æther pellit aërem externum per os in pectus dilatatum. 39.
Inspiratio aëris non fit propter fugam vacui. 40.
Respirationis differentiæ. spontanea sc. & voluntaria. 40.
Utraque est actio animalis. 40.
Respiratio voluntaria. 40.
Spontanea. 40.
Conformatio partium, respirationem spontaneam efficiens. 40.

Caput VIII.

De Pneumatosi.

Quomodo in cerebro fiat coctio Pneumatosis dicta. Pag. 41.
Quod spiritus animales etiam alant; ac proinde hæc quarta coctio tribus prioribus sit addenda. 41.

Caput IX.

De alimenti Distributione, excrementorum Separatione, & Excretione.

Distributio alimenti. Pag. 42.
Quomodo ea citra attractionem fiat. 42.
Separatio ejus ab excrementis. 42.
Quomodo ea per cribrationem fiat. 42.
Excrementum. 43.
Excrementa etiam suas habent utilitates incorpore, & extra illud. 43.
Fæces alvi quomodo colligantur; & quibus constent partibus. 43.
Aurium sordes. 43.
Excrementum pituitosum primum. 44.
Objectionum solutio. 44.
Mucus. 44.
Sputum. 44.
Saliva. 44.
Excrementum pituitosum secundum, sive succus pancreaticus. 44.
Bilis flava. 45.
Ejus generationis ratio. 45.
Urina. 45.
Quomodo ea in renibus separetur, & ad vesicam perveniat, & ex ea excernatur. 45.
Renes succenturiati. 45.
Verus eorum, ut & plerarumque aliarum glandularum usus primus. 46.
Lien a quibusdam ad glandulas refertur; & quis ejus sit usus. 46.
Isque non, bene, sed male habens, gignit pravos melancholicos humores. 46.

Secundus usus glandularum. 46.
Tertius earum usus. 47.
Sudor. 48.
Lacrymæ. 48.
Seminis generatio 48.
Sanguis menstruus. 48.
Hic per se non est pravus. 49.
Excrementum vaporosum. 49.
Illud sensibilibus est copiosius. 49.
Ut probat experientia statica. 49.
Excretio quibus fiat modis. 49.
Vomitus & alvi secessus non possunt fieri sine spirituum in fibras influxu. 50.

CAPUT X.

De Nutritione & vivificatione.

Alituræ partes. Pag. 50.
Nutritio. 50.
Quomodo ea fiat, non tantum per magnitudinem, sed figuram etiam partium, tum alimentariarum, tum alendarum. 51.
Ad nutritionem nullo opus est humore innominato, rore, glutine, vel cambio. 51.
Quali opus sanguine ad rectam alituram, & vitam. 51.
Cur multæ partes non rubeant, etsi etiam rubro nutriantur sanguine. 52.
Probatur alituram fieri per alimentarium liquorem magna ex parte in halitum dissolutum: & a corde potissimum in partes alendas impulsum. 52.
Nutritio æqualis. 52.
Inæqualis. 52.
Auctio. 52.
Quomodo ea fiat. 52.
Quamdiu homo in longitudinem extendatur: & quare. 52.
Decretio. 53.
Ejus causæ. 53.
Vivificatio. 53.

CAPUT XI.

De Generatione.

Generatio. Pag. 53.
Ad hanc requiritur concursus seminis utriusque sexus. 53.
Idque probatur. 54.
Quid sit semen. 54.
Quid ejus rudimentum. 54.
Quid germen. 54.
Cur rudimentum sive germen & primum ejus alimentum, in humano, ut & aliorum animalium semine, sit statuendum. 54
Quare ex diversorum hominum seminibus diversi & aliter formati nascantur homines. 54.
Libido. 55.
Quomodo eam in maribus comitetur tentigo. 55.
Conceptio. 55.
Ad fœcundum semen requiritur copiosius spirituum affluxus. 55.
Cur singuli, vel plures concipiantur fœtus. 55.
Cur uterus cum fœtu magis magisque extendatur & incrassetur. 55.
Formatio fœtus. 55.
Hæc perficitur per motum caloris, qui est in semine & utero: item per particularum seminis figuras & magni-

magnitudines; unde perfectum germen in semine primum producitur: 56.

Et ex hoc deinde, propter ejus partes & poros, eorumque figuram, perficitur porro fœtus formatio. 56.

Nequaquam verò per corporeæ facultatis ideam, phantasiam, vel archæum intellectu præditum. 56.

Cur Galenus & alii multi formationem fœtus intelligere non potuerint. 56.

Cur hic tantum generalis formationis fœtus ratio tradatur. 57.

Ordo, qui in formatione fœtus observatur. 57.

Membranæ, fœtum involventes, sunt amnion & chorion. 58.

Unde liquoris uterini origo & augmentum. 58.

Fœtus in utero nutritur etiam ore. 58.

Vasa umbilicalia. 59.

Quomodo sanguis circuletur a fœtus cord. ad hepar uterinum; & inde rursus ad ejus cor. 59.

Urachus non est vas umbilicale. 59.

Quomodo fœtus ab imaginatione matris affici queat. 59.

Cur fœtus tali parte, qualem mater inter imaginandum tetigit, imaginem plerumque soleat suscipere. 60.

Cur generationis ratio non sit semper statuenda fieri per imagines, a corpore generantium semini impressas. 60.

Partus. 60.

Quomodo is fiat. 61.

Secundina. 64.

Cur fœtus jam natus, & ab involucris liberatus, necessariò mox respiret: eoque pulmones suos raros faciat. 62.

Cur fœtus, qui diu in utero sine respiratione vixit, extra uterum, post respirationem aliquoties factam, sine respiratione vivere non possit. 62.

Cur fœtus, inter aquas uterinas in utero existens, necessariò illas identidem ore per impulsum recipiat, sive sugat, & in ventriculum deglutiat. 63.

Quis fœtus sit vitalis. 63.

Cur octavo mense natus rarò in vita manere videatur. 63.

Communissimum mulierum pariendi tempus, & hodiernum, & antiquum. 64.

Caput XII.

De actionibus animalibus Cogitativis.

Actiones animales. Pag. 64

Earum præcipuum instrumentum. 64

Actiones cogitativæ. 64.

Mens, sive anima rationalis. 64.

Genus hujus definitionis, & specifica mentis differentia. 65.

Cur addita sit vox primò. 65.

Omnes actiones cogitativæ sunt sensationes, vel inde ortæ. 65.

Hic vel ille sensus est omnis nostræ cognitionis principium: non verò cogito, *vel* cogito, ergo sum.

Quare

Quare mens possit esse substantia, vel accidens, vel attributum, eidem subjecto cum extensione sive magnitudine conveniens. 65.
Natura diversorum & oppositorum. 66.
Objectionis solutio. 66.
Error aliter sentientium. 66.
Scimus ex SS. LL. mentem esse substantiam. 66.
Mens in omnibus suis actionibus indiget extenso corpore, ideoque in ejus conceptu non excluſa, sed inclusa est organorum extensio. 67.
Mens non in cogitatione, sed in sola facultate cogitandi consistit; nec ullo modo actus purus dicenda. 67.
Cur corpus semper se extendat; mens verò non semper cogitet. 67.
Mens licet esset accidens, esset tamen incorruptibilis. 67.
Mens est in solo conario; idque est sensorium commune. 67.
Mens non est tota in toto, & in singulis partibus tota. 68.
Apodictica rerum scientia est a SS. Literis; non a natura. 68.
Objectionis solutio. 68.
A natura est tantum probabilis scientia; quæ humanæ vitæ etiam in religiosis actionibus sufficit. 69.
Mens non indiget ullis ideis, notionibus, vel axiomatis innatis. 69.
Unde communes notiones oriantur. 69.
Unde idea Dei. 69.
Ideà Dei, in mente nestra existens, non rectè probat existentiam Dei. 69.
Existentia necessaria si sit in idea Dei, illa probat tantum, Deum posse existere. 70.
Petitio principii est, in idea Dei esse existentiam necessariam. 70.
Idea Dei, quæ in mente hominis existit, est tantum accidens quoddam; atque ideo humanis viribus formari potest. 71.
Omnium optima existentiæ Divinæ probatio, etiam apud gentiles & irreligiosos, est ex S. literis. Et quare. 71.
Intellectus. 71.
In quo consistat recta intelligentia. 71.
Perceptio. 71.
Sensus cogitativus. 71.
Quomodo motus, qui est in sensatione, per organa in cerebrum, & ad commune mentis sensorium deferatur. 72.
Ad sensum non requiruntur species intentionales. 72.
Sensuum discrimina & eorum causa. 72.
Visus. 73.
Auditus. 73.
Odoratus. 73.
Gustus. 73.
Tactus. 73.
Vigilia. 73.
Somnus. 73.
Cur in somno perseveret respiratio. 74.
Reminiscentia. 74.
Spontanea 74.
Voluntaria. 74.
Imaginatio. 74.

Quomodo

Quomodo ea fiat per mutationem vestigiorum cerebri. 74.
Idque etiam in ideis incorporeorum & infiniti efformandis & considerandis. 75.
Quomodo per certam spirituum dispositionem vel motum; licet nullum cum phantasmatis sive ideis similitudinem habeant.
Cur per certos vocum prolatarum motus, nullam similitudinem cum rebus significatis habentes, variæ in nobis excitentur ideæ rerum in mente antea existentes, & hinc cogitationes variæ. 75.
Insomnium. 76.
Phantasia. 76.
Memoria. 76.
Judicium. 76.
Naturæ rerum sunt earum essentiæ, vel causæ essentiales. 76.
Eæque sunt substantiæ vel accidentia. 76.
Circumstantiæ rerum. 76.
Cur eæ notiones, argumenta, & termini vocentur. 76.
Judicii partes. 77.
Perpensio. 77.
Decisio. 77.
Judicium firmum. 77.
Vacillans. 77.
Verum. 77.
Falsum. 77.
Judicii modi. 77.
Noëticus. 77.
Dianoëticus. 77.
Syllogismus. 77.
Methodus. 77.
Voluntas. 77.
Ejus libertas. 78.
Ejus determinatio. 78.
Ejus differentiæ vel modi. 78.
Quomodo partes pro arbitrio mentis flecti, tendi, & alternatim hac atque illac moveri queant. 78.

CAPUT XIII.

De animi affectibus.

QUando in nobis fiant animi affectus; & quando non. Pag. 78.
Quid animi affectus. 79.
Unde spirituum motus, qui est in animi affectibus. 79.
Affectuum sedes primaria, & secundaria. 79.
Quomodo motus spirituum, affectus efficiens, varias corporis partes afficere possit. 79.
Affectus species. 80
Voluptas. 80.
Quomodo in eâ spiritus determinentur. 80.
Dolor. 80.
Quomodo in eo spiritus determinentur. 80.
Distinctio doloris & voluptatis secundum varias cogitationes. 80.
Voluptas & dolor sensitivus. 80.
Lætitia. 81.
Tristitia. 81.
Gaudium. 81.
Mœror. 81.
Spes. 81.
Metus. 81.
Beneficentia. 81.
Ira. 81.

Favor. 81.
Invidia. 81.
Amor. 81.
Odium. 81.
Cupiditas. 81.
Aversatio. 81.
Amicitia. 81.
Inimicitia. 81.
Lenitas. 81.
Crudelitas. 81.
Alacritas. 82.
Languor. 82.
Audacia. 82.
Timor. 82.
Animositas. 82.
Pusillanimitas. 82.
Diligentia. 82.
Ignavia. 82.

CAPUT XIV.

De Actionibus animalibus automaticis.

ACtiones animales automaticæ. Pag. 82.
Earum exempla nonnulla. 82.
Earum species. 82.
Receptio. 83.
Ejus differentia. 83.
Sensus simplex. 83.
Visus simplex. 83.
Auditus simplex. 83.
Olfactus simplex. 83.
Gustus simplex. 83.
Tactus simplex. 83.
Reminiscentia simplex. 84.
Imaginatio simplex. 84.
Phantasia. 84.
Insomnium. 84.
Memoria. 84.
Appetitus sensitivus. 84.
Motus spontaneus. 84.
Quomodo partes pro receptionis varietate flecti, tendi, & alternatim hac atque illac moveri queant. 84.
Quomodo spontanea dormientium, fiat respiratio. 85.

CAPUT XV.

De Sanitatis speciebus sive differentiis.

SAnitas firma. Pag. 86.
Sanitas accurata. 86.
Ejus signa. 86.
Sanitas firma deflectens. 87.
Sanitatis ad calidum deflectentis signa. 87
Signa eorum qui sunt calidi & humidi. 87.
Signa calidorum & siccorum. 88.
Signa frigidorum. 88.
Signa frigidorum & humidorum. 88.
Signa frigidorum & siccorum. 89.
Signa rarorum. 89.
Signa densorum. 89.
Sanitas vacillans. 89.
Cur ea constitutio neutra dici possit. 89.
Sanitas decidentia. 89.
Sanitas vacillans convalescentia.

LIBRORUM, CAPITUM, &c.

MEDICINÆ

LIBER SECUNDUS.

De Cognoscendis morbis.

CAPUT I.

De Intemperie.

Cognitio Pathologica. P. 90.
Morbus. 90.
Morbus est facultas læsa corporis; non animæ. 99.
Morborum species. 90.
Cur hæ non sint morborum causæ continentes, vel proximæ dicendæ. 90.
Intemperies. 91.
Manifesta. 91.
Ejus differentiæ. 91.
Simplex. 91.
Composita. 91.
Occulta. 91.
Morbus formæ & totius substantiæ. 91.
Intemperies venenata. 91.
Venenum. 91.
Venena dicta quomodo ad manifestas qualitates revocari possint. 91.
Idque probatur. 92.
Contagiosa intemperies. 92.
Contagium noxium. 92
Pestilens intemperies. 92.
Inquinamentum pestilens, ad quas qualitates manifestas, sit referendum; Et unde hoc pateat. 92.

CAPUT II.

De pravâ conformatione.

Prava conformatio. Pag. 93.
Ejus species. 93.
Mala figuratio superficiei. 93.
Cavitatum. 93.
Dilatatio cavitatum. 94.
Anastomosis. 94.
Diapedesis. 94.
Diæresis. 94.
Hæ pertinent propriè ad intemperiem. 94.
Angustia cavitatem. 94.
Injusta quantitas. 94.
Magnitudo nimis aucta. 94.
Tumores. 94.
Eorum origo. 94.
Quomodo fiat œdema, erysipelas, phlegmone, verruca, scirrhus, cancer, meliceris, steatoma, atheroma. 95.
Causæ poros vasorum nimis aperientes. 95.
Aneurisma quomodo fiat. 95.
Quomodo fiat enterocele, epiplocele, exomphalos. 95.
Quomodo à dolore sæpe oriantur tumores. 96.
Unde sæpe oriatur in tumoribus inflammatio. 96.

Magnitudo nimis diminuta. 96.
Ejus causæ. 96.
Numeri exsuperantia, & defectus. 96.
Prava constructio. 96.
Luxatio. 27.
Mala unio, 97.
Solutio continui. 97.
Vulnus. 97.
Ulcus. 97.
Fractura. 97.
Caries ossis. 97.
Cur solutio continui dicatur morbus conformationis, & organicus. 97.

CAPUT III.

De communibus morborum differentiis.

COmmunes morborum differentiæ. Pag. 97.
Idiopathia. 97.
Protopathia. 97
Deuteropathia. 98.
Sympathia. 98.
Quot modis ea fiat. 98.
Morbus unus. 98.
Simplex. 98.
Compositus. 98.
Morbi multi. 98.
Complicati. 98.
Connexi. 99.
Disjuncti. 99.
Morbus magnus. 99.
Parvus. 99.
Benignus. 99.
Malignus. 99.
Brevis. 99.
Acutus 99.
Ejus differentiæ. 99.
Longus. 100.
Continuus. 100.
Ejus differentiæ. 100.
Intermittens. 100.
Ejus periodus. 100.
Paroxysmus. 100.
Integritas. 100.
Paroxysmus ordinatus. 100.
Inordinatus. 100.
Tempora morborum; & unde ea oriantur. 100.
Universalia. 101.
Particularia. 101.
Morbus salutaris, 101.
Dubius. 101.
Lethalis. 101
Sanabilis. 101.
Insanabilis. 101.
Exquisitus. 101.
Spurius. 102.
Hæreditarius. 102.
Nativus. 102.
Adscititius. 102.
Sanguineus. 102.
Biliosus. 102.
Pituitosus. 102.
Melancholicus. 102.
Vernus. 102.
Æstivus 102.
Autumnalis. 102.
Hibernus. 102.
Pandemius. 102.
Endemius. 102.
Epidemius. 102.
Sporadicus. 103.
Cognatus. 103.
Minus cognatus. 103.

Virilis.

Virilis. 103.
Muliebris. 103.
Puerilis. 103.
Juvenilis. 103.
Senilis. 103.

CAPUT IV.

De Febribus.

Morbus particularis. Pag. 103.
Universalis. 103.
Febris. 103.
Definitionis ejus ratio. 103.
Febris interdum est frigida dicenda. 104.
Malignior sanguinis incalescentia in febribus unde pateat. 104.
Pathognomonica febris signa. 104.
Febris differentiæ. 104.
Febris hectica, & ejus differentiæ. 104.
Schetica. 104.
Continua. 104.
Primaria. 104.
Minus maligna, sive Continua simplex. 105.
Ephemera. 105.
Synochus. 105.
Homotonos. 105.
Epacmasticus. 106.
Paracmasticus. 109.
Mitior. 106.
Vehementior. 106.
Quotidiana. 106.
Tertiana. 106.
Causus. 106.
Quartana. 106.
Vaga. 106.
Secundaria sive symtomatica. 106.
Magis maligna; & ejus species. 106.
Intermittens. 106.
Humorum hanc efficientium sedes potest esse, & in vasis, & extra vasa. 106.
Cur materia febrilis, in vasis perpetuò hic existens, non producat febrim continuam. 107.
Cur paroxysmus hic cum frigore & horrore, vel frigore incipiat; ac postea calor intendatur, & tandem desinat. 107.
Intermittens stata. 107.
Quotidiana. 107.
Tertiana. 107.
Quartana. 107.
Vaga. 108.
Causa diversitatis istarum exacerbationum. 108.
Febres quintanæ, sextanæ, &c. 108.
Febris eomposita. 108.
Homogenea. 108.
Heterogenea. 108.
Semitertiana. 108.

CAPUT V.

De Externis morborum causis.

Morbus solitarius. 109.
Causâ fotus. 109.
Symtomate comitatus. 109.
Causa morbi. 109.
Cur medici tantum agant de causa efficiente. 109.
Ejus variæ differentiæ, 109.
Causa externa. 109.
Necessaria. 110.
Aeris vitium. 110.
Secundum qualitates manifestas. 110.

Caloris. 110.
Frigoris. 110.
Humiditatis. 110.
Siccitatis. 110.
Secundum occultas qualitates. 111.
Ob subitam & insolentem mutationem. 111.
Ob motum inconvenientem 111.
Vitium cibi & potus. 112.
Secundum manifestam intemperiem. 112.
Caloris. 112.
Frigoris. 112.
Humiditatis. 112.
Siccitatis. 112.
Crassitiei. 112.
Tenuitatis. 112.
Secundum intemperiem occultam. 112.
Ex nimiâ repletione. 112.
Ex inediâ. 112.
Ex temporis inconvenientiâ. 113.
Ex ordine pravo. 113.
Causa externa contingens. 113.

CAPUT VI.

De internis morborum causis.

CAusa interna. Pag. 113.
Ratio definitionis. 114.
Causæ internæ differentiæ. 114.
Errores in motu & quiete. 114.
Ex eorum immoderatione quantitatis. 114.
Ex temporis inconvenientia. 114.
Errores in somno & vigilia. 114.
Ex inconveniente quantitate. 114.
Ex inconveniente tempore diurno. 115.
Quibus somnus diurnus conducat. 115.
Errores in affectibus animi. 115.
Ex gaudio. 115.
Timore. 115.
Ira. 115.
Excretorum & retentorum vitia. 115.
Quæ nimis sunt pauca. 116.
Vel nimis copiosa. 116.
Vitia spirituum. 116.
Plethora. 116.
Ad vasa. 116.
Ad vires. 116.
Sanguinis inopia. 116.
Cacochymia. 116.
Pituitosa. 116.
Biliosa. 116.
Melancholica. 117.
Atrabilaris. 117.
Serosa. 117.
Universalis, particularis; publica, privata. 117.
Cruda, cocta. 117.
Cacochymiæ effecta. 117.
Solidarum partium vitium. 117.
Res toto genere præter naturam in corpore genitæ. 117.
Eorum effecta. 117.

CAPUT VII.

De causâ solitariâ, procatarcticâ, antecedente, continente.

CAusa solitaria, & cum alia agens. Pag. 117.
Procatarctica. 118.
Antecedens. 118.

Con-

Conjuncta. 118.
Continens. 118.
Omnis morbus non habet causam continentem. 118.
Causa proxima & remota. 118.

CAPUT VIII.

De Symtomatis in genere.

Symptoma. Pag. 119.
Ejus differentiæ. 119.
Simplicis symtomatis differentiæ. 119.
Actio læsa. 119.
Abolita. 119.
Diminuta. 119.
Aucta. 119.
Depravata. 119.
Excrementorum vitium. 119.
Qualitatis. 119.
Quantitatis. 120.
Excernendi modi. 120.
Temporis. 120.
Quæ toto genere peccant. 120.
Qualitas corporis immutata. 120.
Visibilis. 120.
Audibilis. 120.
Olida. 120.
Sapida. 120.
Tactilis. 120.
Dolor tactorius. 120.
Hic non semper fit à solutione continui. 120.
Ejus diversitas. 121.

CAPUT IX.

De Symptomatis famis, sitis, & deglutitionis.

Anorexia, sive fames imminuta, vel ablata. Pag. 121.
Βούλιμος, sive fames nimia. 121.
Fames canina. 122.
Κίτται, sive Pica. 122.
Sitis imminuta, vel ablata. 122.
Nimis aucta. 122.
Depravata. 122.
Deglutitio ablata, diminuta, & depravata. 122.
Causæ. 122.

CAPUT X.

De Symtomatis primæ secundæ, & tertiæ coctionis.

Vitia coctionis ventriculi. P. 123.
Apepsia & bradypepsia. 123.
Dyspepsia nidorosa. 123.
Causæ. 123.
Acida. 123.
Causæ. 123.
Vitia coctionis, quæ fit in hepate, licne, &c. 123.
Causæ. 124.
Hydrops, 124.
Ascites. 124.
Quomodo aqua in ventre hydropicorum colligatur ordinarie. 124.
Quomodo extraordinariè. 125.
Leucophlegmatia, sive anasarca. 125.
Tympanites. 125.
Cur hydropicorum urinæ sæpe sint paucæ & rubræ. 126.
Per quam viam aqua hic veniat in ventris cavitatem. 126.
Et cur viscera sæpe vesicis sint hic obsita. 126.
Ratio hydropis capitis & thoracis. 126.
Depravata chymosis. 126.

Vitium hæmatoseos cordis. 126.
Ejus probatio. 126.

CAPUT XI.

De Symtomatis pulsus, & respirationis.

Palpitatio cordis. Pag. 127.
Causæ. 127.
Respiratio læsa. 127.
Dyspnæa, asthma, orthopnæa, apnæa. 127.
Causæ. 128.
Pleuritis. 128.
Hæc non tantum est ab inflammatione pleuræ: sed etiam à membranæ pulmones investientis. 128.
Quomodo membranæ pulmonis inflammatio dolorem punctorium gignat. 128.
Inflammatio membranæ pulmonis non facit dolorem ob membranaceos nexus. 128.
Peripneumonia. 128.
Quomodo inflammatio pleuræ, & pulmonum non tantum à calore, sed etiam à frigore oriri queat. 129.
Alterius opinionis refutatio. 129.
Quomodo, ob sanguinis circulationem à frigore nonnihil impeditam, inflammatio pleuræ fieri aliquando possit. 130.
Præfocatio uterina. 130.
Quid sit ille globus, qui in abdomine hystericam passionem patientium sæpe sentitur. 130.
Quomodo alia gravissima symptomata hunc affectum comitari soleant. 131.
Angina. 131.

CAPUT XII.

De Symtomatis excretionis oris, ventriculi, & intestinorum.

Ptyalismus. Pag. 131.
Causæ. 131.
Singultus. 131.
Per idiopathiam. 131.
Per sympathiam. 132.
Vomitus. 132.
Causæ. 132.
Nausea. 132.
Cholera. 132.
Causæ. 133.
Cholera sicca. 133.
Ructus. 133.
Causæ. 133.
Aliorum opinionis de his excretionibus rejectio. 133.
Excretionis intestinorum vitia. 133.
Lienteria. 133.
Cœliaca affectio. 133.
Causæ. 134.
Diarrhæa. 134.
Causæ. 134.
Varietas. 134.
Dysenteria. 134.
Causæ. 134.
Membranæ hic excretæ sunt intestinorum. 135.
Aliæ tres cruentæ excretiones. 135.
Tenesmus. 135.
Causa. 135.
Ileus. 135.
Causæ. 135.
Alvus suppressa. 135.
Causæ. 135.

Caput XIII.

De Symtomatis excretionis urinæ, lactis, seminis, & mensium.

Ischuria. Pag. 136.
Causæ. 136.
Ischuria impropriè dicta. 137.
Causæ. 137.
Dysuria. 137.
Causæ. 137.
Stranguria. 127.
Causa. 137.
Urinæ incontinentia. 137.
Causæ. 137.
Diabetes. 138.
Causæ. 138.
Potus hic non excernitur non mutatus. 138.
Lactis redundantia. 138.
Lactis defectus. 138.
Lactis coagulatio. 139.
Quomodo, à succo quodam coagulatorio, lactis in uberibus coagulatio fiat. 139.
Gonorrhæa. 139.
Pollutio nocturna. 139.
Causa. 139.
Gonorrhæa simplex. 139.
Causa. 140.
Gonorrhæa virulenta. 140.
Causa. 140.
Mensium vitia. 140.
Menses suppressi. 140.
Causæ. 140.
Imminuti. 140.
Nimius eorum fluxus. 140.
Causæ. 140.
Mensium depravatio. 140.
Stillicidium eorum. 140.
Causæ. 140.
Fluor uterinus. 140.
Causæ. 141.

Caput XIV.

De Symtomatis nutritionis, vivificationis, & generationis.

Atrophia. Pag. 141.
Causæ. 141.
Differentiæ. 141.
Atrophia. 141.
Phthisis. 141.
Nimium corporis augmentum. 141.
Causa. 141.
Cachexia. 141.
Causa. 142.
Scabies, lepra, psora, &c. 142.
Causæ. 142.
Lipothymia. 142.
Syncope. 142.
Causæ. 142.
Gangræna. 142.
Causæ. 142.
Sphacelus. 142.
Generationis vitia. 143.
Satyriasis. 143.
Causæ. 143.
Priapismus. 143.
Causa. 143.
Sterilitas. 143.
Causæ. 143.
Partus difficilis. 143.
Causæ. 143.
Abortus. 144.
Causæ. 144.
Monstrorum generatio. 144.
Causæ. 144.
Molarum productio. 145.
Causa. 145.

Differentiæ. 145.
Vitales. 145.
Non vitales. 145.

CAPUT XV.

De Symtomatis, omnes actiones animales lædentibus.

Actionum omnium animalium læsiones. P. 145.
Sopor. 145.
Causæ. 145.
Cur in eo superſit reſpiratio. 145.
Causæ ſubſidentiæ cerebri, in ſopore contingentis: 146.
Quomodo ex his cauſis cerebri ventriculi ſubitò conſidant. 146.
Soporis differentiæ. 146.
Coma. 146.
Lethargus. 146.
Carus. 146.
Apoplexia. 146
Unde ejus magnitudo æſtimetur. 147.
Unde ea frequentiſſimè oriatur. 147.
Cur hic venæ & non arteriæ claudantur. 147.
Quomodo venæſectio hic ſæpe proſit. 147.
Nimia vigilia. 148.
Causæ. 148.
Coma vigilans. 148.
Causæ. 148.
Epilepſia. 148.
Causa. 148.
Differentiæ. 148.
Catochus, ſive Catalepſis. 148.
Causa vera. 148.
Hæc non eſt à ſpirituum congelatione. 148.

CAPUT XVI.

De Symtomatis ſenſuum, & reminiſcentiæ.

Cæcitas. Pag. 149.
Causa. 149.
Amblyopia. 149.
Myopia. 149.
Causæ. 150.
Presbytia. 150.
Causa. 150.
Nyctalopia prior. 150.
Causa. 150.
Nyctalopia altera. 150.
Causa. 150.
Hebetudo viſus. 150.
Gutta ſerena. 150.
Strabiſmus. 150.
Causæ. 150.
Suffuſio. 151.
Causa. 151.
Cataracta. 151.
Vertigo. 151.
Causa. 151.
Surditas. 151.
Gravis auditus. 151.
Tinnitus, & ſibilus aurium. 151.
Olfactus vitia. 151.
Guſtus affectiones. 152.
Ejus depravatio. 152.
Tactus læſiones. 152.
Causæ. 152.
In dolore non depravatur tactus. 152.
Oblivio, & ejus cauſæ. 152.
Lethargus. 152.

CAPUT XVII.

De Symtomatis imaginationis, & judicii.

MEntis imbecillitas. Pag. 153.
Causæ. 153.
Amentia. 153.
Melancholia. 153.
Causæ. 153.
Differentiæ. 153
Cur imaginatio & judicium hic de quibusdam lædantur; de quibusdam sint integra. 153.
Cur melancholici sæpe ad easdem redeant cogitationes. 153.
Mania. 154.
Causa. 154.
Phrenitis. 154.
Causæ. 154.
Hydrophobia. 154.
Causa. 154.
Quomodo varia cerebri & spirituum intemperies varias deliriorum cegitationes possit producere. 154.
Incubus. 155.
Causa. 155.
Somnambulatio. 155
Causa. 155.
Cur somnambulones non plane evigilent, nec pericula metuant. 155.

CAPUT XVIII.

De Symptomatis motus arbitrarii.

PAralysis: P. 156.
Solum motum; 156.
Solum sensum; 156.
Motum & sensum tollens. 156.
Paraplegia. 157.
Hemiplegia. 157.
Tremor. 157.
Causæ. 157.
Spasmus. 157.
Causæ. 157.
Hic non sit à nervorum repletione, vel inanitione. 158.
Neque ab imaginatione vel appetitu sensitivo. 158.
Ejus differentiæ. 158.
Emprosthotonos. 158.
Opisthotonos. 158.
Tetanos. 158.
Rigor. 158.
Horror. 158.
Causæ. 158.
Vocis læsiones. 158.
Aphonia. 159.
Vox imminuta. 159.
Balbuties, blæsitas, vocis hæsitantia. 159.
Raucedo. 159.
Sternutatio. 159.
Tussis. 159.
Oscitatio. 159.
Quomodo hæc ex alienæ oscitationis aspectu sæpe oriatur. 160.
Pandiculatio. 160.
Quomodo hi motus involuntarii fiant. 160.
Motus hi involuntarii non fiunt à solâ irritatione. 160.

CAPUT XIX.

De quorundam excrementorum vitiis, ictero, & doloribus.

EXcrementorum quorundam vitia. P. 160.

Catarrhus. 161.
Ejus causæ proximæ. 161.
Remotæ. 161.
Externus. 161.
Internus. 161.
Per quas vias defluat internus. 161.
Varia ejus nomina. 161.
Variæ ejus qualitates. 162.
Catarrhus aliquando est calidus. 162.
Calculorum generatio. 162.
Vermium in corpore productio. 162.
Res artificiosæ quomodo è corpore excernantur. 163.
Ictterus. 163.
Flavus. 163.
Causæ. 164.
Niger. 164.
Albus. 164.
Causæ. 164.
Præcipui partium dolores. 164.
Arthritis. 164.
Causa. 164.

CAPUT XX.

De morborum signis: ubi de pulsibus.

Signum morbi. Pag. 165.
Est vel causa ejus, vel effectum. 165.
Comparatio partium inter se est tantum investigatio sign. 165.
Juvantia & lædentia pertinent ad effecta. 165.
Et grassantia mala ad causas investigandas. 165.
Signa præstantissima sunt morborum effecta, sive symptomata. 165.
Cur signa, ab urinis & pulsibus petita, præcæteris excellant. 166.
Pulsuum differentiæ. 166.
Pulsus validus. 166.
Ejus significatio. 166.
Languidus. 166.
Ejus significatio. 166.
Moderatus. 166.
Ejus significatio. 166.
Magnus. 166.
Ejus significatio. 166.
Parvus. 167.
Ejus significatio. 167.
Mediocris. 167.
Ejus significatio. 167.
Celer. 167.
Ejus indicium. 167.
Tardus. 167.
Ejus indicium. 167.
Moderatus. 167.
Ejus causa, & indicium. 168.
Creber. 168.
Ejus significatio. 168.
Rarus. 168.
Ejus causa. 168.
Significatio. 168.
Mediories. 168.
Ejus indicium. 168.
Durus. 168.
Ejus indicium. 168.
Mollis, 168.
Ejus indicium. 169.
Mediocris. 169.
Ejus significatio. 169.
Æqualis. 169.
Causa. 169.
Inæqualis. 169.
Causa. 169.
Differentiæ. 169.

Inæqualis æqualiter. 169.
Inæqualiter. 169.
Ordinatè. 169.
Inordinatè. 169.
Intermittens. 170.
Deficiens. 170.
Causæ. 170.
Significatio. 170.
Myurus. 170.
Deficiens. 170.
Reciprocus. 170.
Causa & 170.
Significatio. 170.
Cæteræ pulsuum differentiæ, hic enumerari solitæ, sunt negligendæ. 170.
Cur ex ætate, sexu, temperie, & affectu animi, pulsus varietur. 170.
Quomodo pulsus sit explorandus. 171.

CAPUT XXI.

De urinis, & signorum differentiis.

URinarum differentiæ. Pag. 171.
Vrina tenuis. 171.
Causæ. 171.
Crassa. 171.
Causa. 171.
Mediocris. 171.
Causa. 171.
Clara. 172.
Causæ, & significatio. 172.
Turbulenta. 172.
Causa. ibid.
Turbata. ib.
Significatio in sano. ib.
In ægro. ib.
Turbida. ib.
Causa. ib.
Confusa. ib.
Causa, & significatio. ib.
Quæ cautela hic sit adhibenda. 173.
Differentiæ à colore. ibid.
Vrina alba. ibid.
Causa. ib.
Lacteæ causa. ib.
Pallidæ causa, & indicium. ib.
Flavæ differentiæ, & indicia. 174.
Color urinæ sæpe est à medicamentis. ibid.
Urina rubra a sanguine. ib.
A bile. ib.
Viridis. ib.
Oleaginosa. ib.
Nigræ causa. 175.
Significatio. ibid.
Differentiæ ab odore. ib.
Urinæ inodoræ causa. ib.
Naturaliter olentis indicium. ib.
Odoratæ causa. ib.
Copiosæ causa. 176.
Paucæ causa. ibid.
Dolorem inferens & silens; unde fiant, & quid notent. ibid.
Contentum urinæ. ib.
Contenta generalia. ib.
Hypostasis. ib.
Enæorema. ib.
Nubes. 177.
Absentia contentorum. ibid.
Quid notet contentum crassum. ib.
Tenue. ib.
Æquale.

Æquale. ib.
Inæquale. ib.
Planum. ib.
Divulsum. ib.
Album. ib.
Nigrum. ib.
Rubrum. 178.
Multum. ibid.
Paucum. ib.
Contenta specialia. ib.
Farinaceum. ib.
Squammosum. ib.
Furfuraceum. ib.
Orobeum. ib.
Causa talium sedimentorum. ib.
Arenulæ & calculi unde oriantur, & quid significent. 179.
Et quomodo cognoscantur. ibid.
Grumi sanguinis. ib.
Pus unde fiat, & quomodo cum urinis excernatur. ib.
Carunculæ. 180.
Mucus. ibid.
Vermes. ib.
Filamenta. ib.
Bullæ & spuma. ib.
Corona. 181.
Pinguedo. ibid.
A quibus causis, præter morbos, urinæ varientur. ib.
Ut urina bene de valetudine possit indicare, quæ sint observanda. ib.
Signorum differentiæ. 182.
Signum proprium, & commune. ib.
Proprium separabile. ib.
Proprium inseparabile, sive pathognomonicum. ib
Signa pathognomonica plerumque sunt multa conjuncta, rarò singularia. ib.
Signum synedreuon. ib.
Epiphainomenon. 183.
Bonum, malum, &c. ibid.

CAPUT XXII.

De Diagnosi.

FUndamentum pathologicæ cognicionis est Historia morbi. P. 183.
Pathologicæ cognitionis species. ib.
Diagnosis. ib.
Ejus partes. ib.
Earum investigandarum ordo. ib.
Investigatio partis affectæ per actionem læsam. 184.
Excreta. ib.
Situm alicujus manifesti affectus. ib.
Doloris proprietatem. 185.
Propria accidentia. ib.
Investigatio morbi. ib.
Secundum speciem. ib.
Idiopathiam & sympathiam. 186.
Magnitudinem. 187.
Morem, ib.
Motum. 188.
Tempora. ibid.
Investigatio causæ morbi. ib.
Procatarcticæ. ib.
Continentis. ib.
Antecedentis. 189.
Signa vitii spirituum. ibid.

Humo-

Humorum. ib.
Signa plenitudinis communia. ib.
Signa plethoræ. ib.
Ad vasa. ib.
Ad vires. 190.
Mixtæ. ibid.
Spuriæ. ib.
Signa cacochymiæ. ib.
Communia. 191.
Propria. ib.
Signa cacochymiæ pituitosæ. ib.
Acidæ. ib.
Salsæ. ib.
Biliosæ. 192.
Melancholicæ. ib.
Atrabilaris. 193.
Serosæ. ib.
Crudæ. ib.
Coctæ. ib.
Humorum turgentium. 194.
In partem ruentium. ib.
Signa vitii excrementorum. ib.
Calculi. ib.
Vermium. ib.
Puris. ib.
Saniei. 195.
Flatuum. ib.
Signa veneni hausti. ib.
Morsu, sputo, vel aculeo illati. ib.

CAPUT XXIII.

De Prognosi.

PRognosis. P. 195.
Ejus partes. ib.
Signa eventus morbi sunt vires ægri & morbi, inter se collatæ. ib.
Quomodo cognoscatur vires ægri. 196.
Vires morbi. ibid.
Quomodo certior, vel incertior morbi eventus fiat prædictio 197.
Signa temporis eventus petuntur à solo morbi motu. ibid.
Motus morbi quomodo innotescat. ib.
Modi eventus morbi sunt solutio, & commutatio. 199.
Solutio morbi lenta. ib.
Subita, sive crisis. ib.
Unde Crisis fiat. ib.
Crisis perfecta & imperfecta. ib.
Crisis per excretionem. ib.
Per abscessum. 200.
Bona. ib.
Mala. ib.
Unde illæ fiant. ib.
Dies critici. ib.
Optimi. ib.
Indicantes. ib.
Intercalares. ib.
Vacui. ib.
Quomodo morbi lentè, vel abscessu finiantur. ib.
Causa dierum criticorum, & annorum climactericorum. 201.
Cur in nostris regionibus raræ fiant crises. lb.
Quomodo prænosci possit, subitò, an paulatim morbus sit finiendus. ib.
Prædictio crisis in quibus consistat. ib.
Signa bonæ crisis futuræ. ib.
Signa malæ criseos. ib.
Quomodo prænoscatur, per excretionem, an per abscessum sit futura crisis. ib.
Et per quem locum. 202.

Signa

Signa futuri vomitus. ib.
Sudoris. ib.
Dejectionis alvi. ib.
Urinæ excretionis. ib.
Hæmorrhagiæ. ib.
Menstruorum. ib.
Hæmorrhoidum. ib.
Signa abscessus futuri ib.
Ad superiora. 203.
Ad inferiora. ib.
Per variolas, & Morbillos. ib.
Signa temporis crisεos futuræ. ib.
Secundum diem. ib.
Secundum horam. 204.
Commutatio morbi. ib.

LIBER TERTIUS.

De Conservanda Sanitate.

CAPUT I.

De Hygieinâ in genere.

CUratio. Pag. 205.
Ejus species. ibid.
Hygieina. ib.
Bona diæta. ib.
Res ad vitam necessariæ; sive non naturales dictæ.
Ad has pertinent vestis, lectus, domus. ib.
Salubris earum usus. ib.
Communissima hygieinæ lex prima. ib
Mediocritas quomodo sit varia. ib.
Lex secunda. 206.
Lex tertia. ib.

CAPUT II.

De diatereticâ generantium, gravidarum, puerorum, & adolescentum.

DIatereticæ; ib.
Ineundæ ætatis, sive generantium. ib.
Gravidarum regimen. ib.
Cur pravi cibi appetiti gravidis sæpe concedendi. ib.
Quid faciendum, cum gravida res appetitas adipisci nequit. 207.
Vel res horrendas conspicit. ib.
Quid in laboribus & affectibus. ib.
Quid in purgatione, & venæ sectione. ib.
Quid in ipsa parturitione. ib.
Regimen puerorum. ib.
Regimen adolescentum. 208.

CAPUT III.

De Diatereticâ Juvenum, & Virorum.

REgimen mediæ ætatis. ib.
In cibo. ib.
Potu. 209.
Animi affectibus. ib.
Motu. ib.
Quiete 210.
Somno. ib.
Vigilia. 211.

Excre-

LIBRORUM, CAPITUM &c.

Excretis. ibid.

CAPUT IV.

De Diateretica Senum.

REgimen *senum.* 212.

CAPUT V.

De Diateretica sanitatis accuratæ, & deflectentis.

DIæta *accurate sanorum.* 213.
Deflectentium. ib.

CAPUT VI.

De Prophylactica Sanitatis vacillantis.

PRophylactica. 214.
Decidentium. ib.
Convalescentium. 215.

LIBER QUARTUS.

De Curandis Morbis.

CAPUT I.

De Remediis, & eorum usu.

THerapeutica. P. 220.
Remedium. ibid.
Id agit in morbum mediatè, vel immediatè. ib.
Quomodo remedium sit variandum. ib
Vis contraria remedii. 221.
Usus remedii. ibid.
Aditus commodus. ib.
Justa dosis. 222.
Aptum tempus. ibid.

CAPUT II.

De Chirurgiâ.

CHirurgia. ib.
Ejus præcipua instrumenta. ib.
Ejus species. 123.
Chirurgia separata conjungens. ib.
Conjuncta separans. ib.
Compressa & distorta corrigens. 224.
Superflua tollens. ibid.
Deficientia restituens. 225.

CAPUT III.

De Diæta ægrorum.

DIæta *ægrorum.* ibid.
Crassa. ib.
Mediocris. 126.
Tenuis. ib.

CAPUT IV.

De Medicamentis, & eorum facultatibus in genere.

PHarmacum. ibid.
Aliorum definitionis refutatio. 227.
Ejus requisita. ib.
Medicamentum actuale. ib.
Potentiale. ib.

CAPUT V.

De Medicamentis, primis facultatibus præditis.

MEdicamenta *primis facultatibus prædita.* Pag. 228.

Calefacientia. ibid.
Actualia. ib.
Potentialia. ib.
Calida in primo gradu. ib.
In secundo. 229.
In tertio. 130.
In quarto. ib.
Refrigerantia actualia. ib.
Potentialia. 231.
Frigida in gradu primo. ib.
In secundo. ib.
In tertio. ib.
In quarto. ib.
Humectantia. ib.
In gradu primo. ib.
In secundo. 232.
Exsiccantia. ibid.
In gradu primo. ib.
In secundo. ib.
In tertio. 233.
In quarto. ib.

CAPUT VI.

De medicamentis, secundis qualitatibus donatis.

SEcundis facultatibus donata. 233.
Emollientia. 234.
Indurantia. 235.
Rarefacientia. ibid.
Condensantia. ib.
Aperientia. 236.
Calida. ib.
Frigida. ib.
Adstringentia. 237.
Attenuantia. 238.
Incrassantia. ib.
Emplastica. ib.
Epicerastica. 239.
Detergentia. 240.
Attrahentia, sive potius educentia. 241.
Repellentia. 242.
Discutientia. ibid.
Maturantia. 243.
Sarcotica, sive carnem generantia. ibid.
Glutinantia. 244.
Vulneraria. ibid.
Epulotica. 245.
Cicatrices delentia. 246.
Callum generantia. ibid.
Urentia sive Pyrotica. ib.
Vesicantia. 247
Cathæretica. ib.
Septica. ib.
Escharotica. ib.
Psilothra. ib.
Lac generantia. 248
Interna. ibid.
Externa. ib.
Lac imminuentia. ib.
Interna calida. ib.
Frigida. ib.
Externa. ib.
Semen generantia, & libidinem excitantia. ib.
Semen & libidinem imminuentia. 249.
Calida. ib.
Frigida. ib.
Calculum frangentia, & expellentia. ib.
Somnum & stuporem inducentia. 250
Hypnotica. ibid.
Narcotica. 251.
Dolorem sedantia, sive Anodyna. ib.

San-

Sanguinem è vasis profluentem sistentia. 252.
Spiritus reficientia. 253.

CAPUT VII.

De medicamentis, tertias facultates habentibus: ac primum de præparantibus.

TErtias facultates habentia. 254.
Alterantia & ad evacuationem præparantia. ib.
Bilem refrigerantia & attenuantia. ib.
Bilem refrigerantia & incrassantia. 255.
Melancholiam calefacientia, humectantia, & attenuantia. 256.
Atram bilem refrigerantia, humectantia, & attenuantia. 257.

CAPUT VIII.

De medicamentis Purgantibus.

EVacuantia. Pag. 258.
Purgantia sive cathartica. ib.
Eorum differentiæ. 259.
Vomitoria mitiora. ib.
Mediocria. ib.
Vehementia. ib.
Purgantia. ib.
Cholagoga mitiora. ib.
Mediocria. 260.
Fortiora. ib.
Phlegmagoga mitiora. ib.
Mediocria. ib.
Fortiora. ib.
Melanagoga mediocria. ib.
Fortiora. 261.
Hydragoga mitiora. ib.
Mediocria. ib.
Vehementoria. ib.
Menses moventia. ib.
Diuretica. 262.
Calida. ib.
Frigida. 263.
Sudorifera. 264.
Salivationem excitantia. ib.
Errhina. 265.
Sicca. ib.
Humida. ib.
Sternutatoria. ib.
Apophlegmatisantia. 266.
Expectorantia. ib.
Quæ attenuant. ib.
Quæ incrassant & leniunt. 267.

CAPUT IX.

De medicamentis, quæ certis partibus sunt dicata.

MEdicamenta certis partibus dicata. Pag. 268.
Ac primum capiti. ib.
Cephalica calida. ib.
Frigida. 269.
Ophthalmica. 270.
Visum acuentia. ib.
Repellentia. ib.
Dolorem sedantia. ib.
Discutientia. 271.
Detergentia sine morsu. ib.
Cum morsu. ib.
Fortissima. ib.
Auditum juvantia. ib.
Interna. 272.
Externa calida. ib.
Erigida. ib.
Dentes roborantia & detergen-

gentia. ib.
Thoraci convenientia. 273.
Cardiaca. ib.
Calida. ib.
Frigida. 274.
Pneumonica. ibid.
Medicamenta imi ventris. ib.
Stomachica. ib.
Calida. 275.
Frigida. ibid.
Flatus discutientia. 276.
Vermes necantia. 277.
Hepatica. 278.
Calida. ibid.
Frigida. 279.
Splenica. ib.
Calida. ib.
Frigida. 280.
Nephritica & cystica. 281.
Hysterica. 282.
Menses sistentia. ibid.
Uterum corroborantia. ib.
Arthritica. 283.
Fluxionem inhibentia. ib.
Dolorem sedantia. ib.
Digerentia. ib.
Nervos roborantia. ib.
Calida. 284.
Frigida. ib.
Ambustis medentia. ib.

CAPUT X.

De Medicamentis, quæ malignitatibus resistunt.

Malignitatibus resistentia. P. 285
Alexipharmaca. ib.
Communia. ib.
Peculiaria, ad morsum canis rabidi. 286.
Antiscorbutica. ibid.
Antepileptica. ib.

CAPUT XI.

De Usitatioribus medicamentorum internorum formulis.

Medicamentum naturale, artificiale; simplex, compositum. Pag. 288.
Causa, cur medicamenta componuntur. ib.
Pondera, notæ, & mensura medica. 289.
Medicamenta magistralia. ib.
Interna. ib.
Apozema. ib.
Alterans. 290.
Purgans. 291.
Decoctum sudoriferum primarium. 293.
Secundarium, sive Bochetum. 294.
Sudoriferum alterans & purgans. 295.
Potio. ib.
Purgans per decoctionem. 236.
Per infusionem. ib.
Per dissolutionem. ib.
Per compositos modos. 297.
Alterans. 298.
Julepus. ib.
Syrupus. 299.
Alterans. ib.
Purgans. 300.
Vomitorium. 301.
Emulsio. 302.
Bolus.

Bolus. ibid.
Purgans. 303.
Alterans. ib.
Opiata. 304.
Purgans. ib.
Alterans & corroborans. ib.
Alterans & purgans. 305.
Eclegma. ib.
Tabellæ. 306.
Purgantes. ib.
Roborantes. ib.
Trochiſci. 307.
Pilulæ. ib.
Officinales. ib.
Magiſtrales. 308.
Pulveres. 309.
Purgantes. ib.
Roborantes. ib.
Suppoſitorium. ib.
Clyſter. 310.
Emollíens. ib.
Detergens. ib.
Adſtringens. 311.
Anodynus. ib.
Ad dolorem colicum. 312.
Ad calculum renum. ib.
Nutriens. 313.
Injectiones. ib.
Peſſaria, & Naſcalia. 314.
Purgantia. 315.
Menſes moventia. ib.
Siſtentia. ib.
Errhinum. ib.
Liquidum. ib.
Molle. 316.
Solidum. ib
Sternutatorium. ib.
Gargariſma. 317.
Maſticatorium. 318.
Collyrium. ib.

CAPUT XII.

De externorum medicamentorum formulis.

Epithema. P. 319.
Liquidum. ib.
Solidum. 320.
Fomentum. ib.
Balneum. 321.
Semicupium. 322.
Oleum. ib.
Linimentum. 323.
Unguentum. 224.
Emplaſtrum. 325.
Cataplaſma. 326.
Veſicatorium. ib.
Sacculi. 327.
Cucupha. 328.
Frontale. ib.

CAPUT XIII.

De Curatione Intemperiei.

Therapeuticæ curationis ſpecies. P. 329.
Sanatio. ib.
Intemperiei. ib.
Manifeſtæ. ib.
Capitis. 330.
Thoracis &
Pulmonum. ib.
Cordis. 331.
Ventriculi. ib.
Hepatis, & pàncreatis. ib.
Lienis. ib.
Uteri. ib.
Oculorum. 332.

Occultæ. ib.
Hujus curatio est empirica. ib.

CAPUT XIV.

De Curatione pravæ conformationis.

CUratio morborum conformationis. Pag. 333.
Numeri. ib.
Magnitudinis. 334.
Auctæ. ib.
Imminutæ. ib.
Pravæ figurationis. ib.
Superficiei. ib.
Cavitatum. 335.
Malæ constructionis. 337.
In situ. ib.
In nexu. ib.

CAPUT XV.

De Curatione morbi solitarii, & causâ foti.

SAnatio morbi solitarii. P. 338.
Causâ foti. ib.
Ordinaria. 339.
Extraordinaria. ib.
Reparatio sanguinis deficientis. ib.
Ablatio plethoræ. ib.
Per frictiones, sudores, balnea, exercitia. ib.
Inediam. 340.
Hirudines. ib.
Hæmorrhoides. ib.
Menses. ib.
Cucurbitas scarificatas. ib.
Scarificationes. 341.

CAPUT XVI.

De Curatione per Venæsectionem.

VEnæsectio. 341.
Quibus morbis conveniat. ib.
Evacuatoria.
Ubi ea commodissime instituatur. ib.
Revulsoria. 342.
Ea commodissime fit in latere partis affectæ: ib.
Ejus rei ratio. ib.
Derivatoria. ib.
Ubi ea sit facienda. ib.
Requisita Venæsectionis. ib.
Ejus quantitas. 343.
Vices. ib.
Tempus. ib.
Inspectio sanguinis educti. 344.

CAPUT XVII.

De Curatione per purgationem.

PUrgatio. 344.
Universalis. ib.
Per alvum. ib.
Ejus requisita. ib.
Præparatio ad purgationem. 345
Quantitas purgationis. ib.
Tempus & modus exhibendi purgantia. 346.
Regimen eorum, qui purgantia sumserunt. ib.
Per quem locum sit purgandum. 347.
Signa bonæ purgationis. ib.
Phlebotomia cur & quomodo justæ purgationi sit præmittenda. ib.

Pur-

Purgatio per urinas quid faciat. 348.
Quibus conveniat. 339.
Tempus. ib.
Purgationis per sudores efficacia. ib.
Quibus conducat. 350.
Ejus cautelæ. ib.
Tempus. ib.
Usus menses moventium. ib.
Purgatio per salivationem. 351.
Purgatio particularis. ib.
Ejus usus. ib.

CAPUT XVIII.

De Curatione per repellentia, discutientia, & suppurantia.

MOrbus, cum affluxu humorum, curatur revulsione, derivatione, interceptione, vel repulsione. ib.
Repellentium vis. ib.
Tempus. 352.
Intercipientium vis & usus. ib.
Quibus repellentia non conveniant. ib.
Morbus cum humorum quiete curatur discussione, & suppuratorum eductione. ib.
Discutientium locus, & tempus. 353.
Suppurantium locus, & usus. ib.

CAPUT XIX.

De Curatione, morborum disjunctorum, implicitorum, connexorum, & compositorum.

SAnatio morborum disjunctorum. ib
Implicitorum, connexorum, & compositorum. ibid.
Consentientium. P. 354.
Dissentientium. ibid.
Partim dissentientium, partim consentientium. ib.
Palliatio, sive palliativa cura. 355.
Quomodo hæc peragatur. ib.
Epilogus. ib.

Finis Indicis.

MEDICINÆ

LIBER PRIMUS,

De Cognoscendâ Sanitate.

CAPUT I.

De Medicina, & ejus partibus in genere.

MEDICINA humana synecdochice Medicina dicitur: Eaque est ars medendi valetudini corporis humani. *Medicina.*

Medicinam inter artes numero, quia omnia hujus disciplinæ præcepta ad aliquid agendum sunt destinata. Atque hinc constat illam vulgò malè in Theoreticam & Practicam dividi: cum omnes artes, quantæ quantæ sunt, doctrinæ sint practicæ; utpote quę tradant modum aliquid rectè agendi. *Ea non est in Theoreticam & Practicā dividenda.*

Neque his adversatur prior Medicinæ pars, quæ Cognitio à nobis appellatur: uti nec sanitatis, remedii, aliorumque multorum, in Medicina tradendorum, definitiones. Nam hæc omnia revera sunt practica: cum ad actionem medicam, sive medendum cuncta dirigantur. *Objectionum solutio.*

Ut autem videre objecta visibilia, ex gr., diverso respectu, est oculi finis, objectum, effectum, & officium: ita diverso considerandi modo mederi valetudini corporis humani est medicinæ finis; cum ad illum finem illa tradatur, ut humanæ valetudini commodè mederi queamus. Est etiam ejus objectum; cum circa ei medendum ea proximè versetur. Est quoque ejus effectum; cum Medicina hoc efficiat. Atque hoc ejus est munus; cum illud medendi officium Medicinæ incumbat. Estque Medicinæ scopus; cùm eò, tanquam ad scopum, omnia ejus præcepta colliment. *Mederi est medicinæ finis, objectum, effectum, officium, scopus, & forma.*

Denique mederi humanæ valetudini est quoque specifica Medicinæ forma, sive differentia: quia per illud Medicina constituitur, & ab omnibus aliis artibus discriminatur.

Object. solutio. Neque his obstat, quod vulgò sanitas Medicinæ finis; & corpus humanum, quâ sanabile, objectum ejus dicatur. Cum sanitas in morbis insanabilibus pro fine à Medicis non intendatur: & etiamsi intenderetur, ea esset tantum finis remotus; isque non universalis, sed particularis: utpote sanabilibus morbis tantum conveniens. Corpus vero humanum, quâ sanabile, (seu, ut apertius loquàmur, corporis humani valetudo,) est objectum Medicinæ remotum. Proximum verò est, ei mederi: cum Medicina circa illi medendum proximè versetur; ut oculus, non circa parietem, ex gr., sed circa illum videndum proximè occupatur.

Dico autem Medicinam nostram esse artem medendi valetudini corporis humani; ut eam his posterioribus verbis à Veterinaria, & Mulomedicina, atque etiam à Curatione stirpium, distinguam.

Quid mederi. Mederi verò valetudini corporis humani, est de ejus valetudine cognoscere, seu in eam inquirere; & præterea curare sive curam gerere, ut ejus valetudo in medio, sive mediocritate, (unde vox mederi originem ducit) conservetur, vel ad illam, quantum potest, reducatur. Atque ideo

Medicinæ partes. Earum probatio. Medicinæ partes duæ sunt: Cognitio, & Curatio.

Hæc medicinæ distributio omnibus aliis præferenda videtur. Nam artem medendi brevissime & commodissimè distinguit: essentiam ejus totam exhaurit: officiaque ejus propria, quæ sunt de valetudine humana inquirere, eamque curare, clare & distinctè assignat.

Cognitio. Cognitio est prior pars Medicinæ, quæ est de cognoscendâ, seu inquirendâ, valetudine. Vale-

Valetudo est partium nostri corporis qualiscunque, sive bona, sive mala, ad agendum dispositio. *Valetudo.*

Cognitio est Physiologica, & Pathologica.

CAPUT II.

De Cognitione Physiologica; ubi de sanitate, partibus humani corporis, temperie bonâ, & qualitatibus.

COgnitio Physiologica est, de cognoscenda sanitate. Hæc vulgò appellatur Physiologia: definiturque pars medicinæ, quæ agit de rebus naturalibus; seu talibus, quæ corpus humanum constituunt. Eæque statuuntur vulgo hæ septem: Elementa, temperamenta, partes, humores, spiritus, facultates, functiones. Sed, meo judicio, non satis bene: cum talis physiologia sit pars Physicæ, cujus solius est de rebus naturalibus, quales hæ sunt, agere. *Cognitio physiologica. Vulgaris Physiologia medicæ rejectio.*

Nec juvat, quod Physici aliâ ratione & alio respectu hæc tractent, quam Medici. Si enim artes & scientiæ, pro diversitate tractationis usus & respectus, diversæ essent, diversisque locis deberent tradi, una eademque doctrina infinitis pene locis esset repetenda. *Responsio ad instantiam.*

Itaque, si quicquam istarum rerum naturalium dictarum, in Cognitione hac physiologicâ, a me tradatur, vel designetur; id non, ut ad Medicinam propriè pertinens; sed, tanquam per necessarium istius Cognitionis commentarium hîc repetitum, tantum est habendum. *Res naturales tanquam per commentarium hic traduntur.*

Hæc autem Cognitio rectè Physiologica vel Physiologia dicitur; quia tradit τὸν λόγον, sive rationem, cognoscendi sanitatem; quæ κατὰ φύσιν, sive secundum naturam, homini inest. *Ratio nominis physiologicæ cognitionis.*

Sanitas verò est dispositio partium corporis humani, actionibus rectè obeundis apta.

Pars humani corporis est quælibet substantia corporea, illud, cum aliis substantiis corporeis, integrans, actionibusque perficiendis comparata. *Pars humani corporis.*

Estque insensibilis, vel sensibilis.

Insensibilis. *Insensibilis* est, quæ propter parvitatem sensus fugiens, solo imaginationis & judicii intellectu, in corpore, ex subtilitate, crassitie, lenitate, acrimoniâ, fluiditate, stabilitate, oleaginositate, aquositate, salsedine, aliisque qualitatibus, manifestè observatur & colligitur. Nam particulis talibus insensibilibus in corpore humano, & quovis alio, positis, clara & distincta illarum qualitatum est explicatio; quæ, iis negatis, est obscura vel confusa.

Partes insensibiles communiter non sunt atomi sive individibiles. Hæ partes insensibiles non sunt atomi sive insectiles, propter soliditatem vel parvitatem, cum Leucippo vel Democrito, dicendæ. Nulla enim communiter est tanta cujusvis corporis compactio, soliditas, & continuitas, sive partium substantiæ extensæ immediata cum quiete adhæsio, quæ non à motu satis valido, id est, quietem corporis solidi superante, naturaliter dissolvi possit. Nec ulla communiter tanta ullius corporis est parvitas, quæ non per aliarum particularum, ad illud immediatè accedentium & deinde inter se quiescentium, additionem, augeri, & ita ad ulteriorem dissolutionem, ubivis faciendam, aptari queat.

Hæ sunt in variis partibus variæ. Insensibiles partes in variis partibus sunt variæ. Alię enim sunt in osse, aliæ in carne, aliæ in cute, aliæ in aliis partibus.

Pars sensibilis. *Pars sensibilis* est, quæ, ex multis insensibilibus composita, sub sensum cadit. Talis ex. gr. est gutta aliqua sanguinis, pilus, brachium, crus, cor, hepar, & quodvis aliud corporis humani membrum.

Continuitas partium propriè est in particulis insensibilibus. Inter corporis humani partes solæ insensibiles proprie & per se continuitatem habent; cum in his solis sit immediatus partium illas constituentium, cum quiete, contactus; in quo solo vera corporis cujusvis continuitas consistit. Sensibiles verò partes, instar corbis, ex gr. ex viminibus contexti, nullam continuitatem propriè & per se habent: sed eam à sola continuitate partium insensibilium

cum

cum contiguitate, ad sensibilium constitutionem contextarum, accipiunt.

Insensibilibus particulis actu alias inesse particulas.

Singulis autem istis insensibilibus particulis alias revera & actu inesse particulas inde patet, quòd in illis sint diversa & distincta, tota istarum insensibilium particularum corpuscula constituentia. Ita ex gr. in particula insensibili sanguinis, vel pinguedinis, vel carnis, vel ossis, imaginatione nobis propositâ, dextra, quæ cum aliis constituunt illam particulam, revera & actu sunt distincta à sinistris, & utraque à mediis; sicut & superiora, etiam nobis non cogitantibus, distincta sunt ab inferioribus.

Insensibiles particulæ revera sunt finitæ; sed nobis indefinitæ.

Porrò particulæ, quæ partes illas insensibiles & per se continuas constituunt, sunt quidem finitæ; quia finem sive extremum suæ extensionis terminum habent: quia tamen mentis imaginantis acie, si earum singulas, & particularum particulas vicissim & perpetuò, sive in infinitum, ut appellant, consideremus, ad finem earum pervenire, earumque numerum definire, nunquam possumus, idcirco illæ nobis indefinitæ sunt dicendæ.

Plura de his particulis videri possunt in Philosophia nostra naturali *lib.* 1. *cap.* 3. *pag.* 6. *& seqq.*

Ex sensibilibus partibus aliæ sunt stabiles, aliæ fluidæ.

Partes stabiles.

Stabiles, quæ vulgò etiam solidæ appellantur, sunt quarum particulæ sibi mutuo satis firmiter sunt annexæ, etsi earum nonnullæ non semper eundem situm figuramque servent. Tales sunt ossa, carnes, intestina, ventriculus, pulmo, &c.

Harum variæ statuuntur differentiæ: ac primò quidem à principiis generationis, aliæ dicuntur spermaticæ, aliæ sanguineæ.

Spermatica.

Partes spermaticæ sunt, quæ albedine suâ spermati similes, in pueris, ubi solutionem continui sunt passæ, per similem substantiam ob suam mollitiem; in adultis verò, ob

earum duritiem, per dissimilem restituuntur. Tales sunt os, cartilago, ligamentum, fibra, membrana, nervus, vena, arteria, tendo, medulla cerebri, & cutis: quæ vulgò pars media dici solet.

Sanguinea. *Sanguineæ* sunt, quarum pleręque, sanguini materno suâ rubedine similes, in pueris & adultis ob suam mollitiem, per similem substantiam, ubi solutionem continui sunt passæ, restaurantur. Tales sunt carnes musculorum, & parenchymatum cordis, hepatis, aliorumque; item pinguedo; quia ex oleaginosa seu pinguiore sanguinis parte originem ducit.

Cur partes sanguineæ calidiores; spermaticæ frigidiores dicantur. Spermaticæ partes, quia à frigore facilius offenduntur, quam sanguineę; ideoque illæ frigidiores, hę calidiores censentur.

Secundò, à compositione, partes stabiles dicuntur similares, vel dissimilares.

Similares. *Similares* sunt, quarum substantia sibi ubique est similis. Tales sunt os, cartilago, ligamentum, membrana, tendo, fibra, cutis, caro, adeps, pilus, unguis.

Dissimilares. *Dissimilares* sunt, quæ in dissimiles particulas possunt dividi: ut nervus, vena, arteria, brachium, crus; nam hæ in membranas, fibras, aliasque, dividi possunt.

Tertiò, à figuratione sensibili alię sunt organicæ, aliæ inorganicæ.

Organica. *Organicæ* sunt, quæ pręter insensibilium particularum rectam adaptationem, ad sui constitutionem actionesque perficiendas, etiam certam, determinatam, sensibilemque partium sensibilium conformationem requirunt. Ut vena, nervus, arteria, musculus, brachium, crus, &c.

Inorganica. *Inorganicæ* sunt, quę ad sui constitutionem, actionesque peragendas, non desiderant certam determinatam, & sensibilem conformationem; sed sola insensibilium particularum recta adaptatione, sive bona temperie, sunt contentæ.

tentæ. Ut os, cartilago, caro.

Quartò, ab actionis primatu vel auxilio, partes aliæ sunt principes, aliæ ministrę dictę.

Principes partes sunt, à quibus actiones nostræ præcipuę potissimum peraguntur. *Principes partes.*

Præcipuæ nostræ actiones tres sunt: Cogitatio, alitura, & generatio. Atque ideo principes partes etiam sunt tres: *Cerebrum*, quod cogitationis, cæterarumque actionum animalium; *Cor*, quod alituræ; & *partes genitales*, quæ generationis sunt potissimum principium. *Actiones nostræ præcipuæ. Ut & partes principes, sunt tres.*

Omnes aliæ, quia istis auxilio suo inserviunt, *ministræ* dicuntur. *Ministræ.*

Deinde partes stabiles *continentes* propriè dicendæ sunt cuticula, cutis, pinguedo, & panniculus carnosus. *Contentæ* verò reliquę omnes sunt appellandę; quia naturaliter istis contineri solent. *Continentes. Contentæ.*

Denique partes stabiles, ratione regionum corporis, in ventres & artus dividuntur.

Venter est magna nostri corporis cavitas, in qua princeps aliqua pars continetur. *Venter.*

Ventres sunt tres: *Caput*, in quo continetur cerebrum, cum oculis, naribus, auribus, ore, aliisque multis. *Thorax*, in quo invenitur cor, cum pulmonibus, asperâ arteriâ, & œsophago. *Abdomen*, quod diaphragmate à thorace discriminatum, ventriculum, cum annexis intestinis, & mesenterio, ac pancreate; item hepar, cum folliculo fellis, lienem, renes, vesicam urinariam, & bilariam, parteſque genitales, continet. *Summus. Medius. Infimus.*

Artus sunt membra ventribus adnata, & articulis distincta. *Artus.*

Illi sunt duo: *Brachia*, quæ constant humero, cubito, & manu. *Crura*, quæ dividuntur in femur, tibiam, & pedem.

Atque

Pars fluida. Atque hæc de parte ſtabili. *Pars fluida* eſt, cujus particulæ, non ſatis firmiter ſibi mutuò annexæ, facile disjunguntur & diffluunt.

Eſtque ſanguis; ſpiritus; & humor ocularis, aqueus, cryſtallinus, & vitreus. Nec non lac, ſemen, &c. Quæcunque enim ſubſtantiæ corporeæ in corpore humano ita continentur, ut præter naturam ſit, ſi abſint, quemadmodum lac in puerperis, ſemen in viris, merito ejus partes dicuntur.

Sanguis. *Sanguis* eſt ſuccus ille rubicundus, venis, corde, & arteriis naturaliter contentus; qui conſtat farragine omnis generis particularum alimentariarum, quæ venas potuerunt ingredi; eſt-que nutritionis & vivificationis materia, magnumque corporis ſtabilimentum.

Ejus partes. Hic communiter dividitur in partem pituitoſam, ſeroſam, bilioſam, melancholicam, & temperatam: quæ ultima ſynecdochicè ſanguis merus dicitur.

Spiritus. *Spiritus* eſt pars fluida, conſtans ſubtiliſſimo ſanguinis halitu. Eſtque præcipuum in functionibus fere omnibus inſtrumentum. Nam ſine ſpiritibus bene conſtitutis nullæ actiones rectè peraguntur.

Hic primò eſt vel inſitus, vel influens.

Inſitus. *Spiritus inſitus* eſt, qui, poſtquam in partem aliquam eſt immiſſus, ei aliquandiu inhæret, ac tandem etiam diſſipatur.

Influens. *Influens* eſt, qui in partem, ad inſiti redintegrationem, recens immittitur.

Secundò ſpiritus alius eſt naturalis, alius animalis.

Naturalis. *Naturalis* eſt, qui in corde cum ſanguine arterioſo genitus, actionibus naturalibus, vivificationi ſc. nutritioni & generationi, famulatur.

Animalis. *Animalis* ſpiritus eſt, qui, ex carotidum arteriarum & plexus choroidis poris, in ventriculos cerebri à corde pro-

propulsus, & ibidem exhalans, intellectui & voluntati, cæterisque actionibus animalibus, ministrat.

Atque hæc de partibus corporis humani breviter, pro instituto nostro, diximus. *Vid. Phil. Nat. lib.* 4. *c.* 3. *p.* 268.

Sanitatis partes.

Sanitatis partes duæ sunt: bona temperies, & apta conformatio.

Bona temperies.

Bona temperies est pars sanitatis, quæ in qualitatum conveniente constitutione consistit.

Qualitas.

Qualitas est partium insensibilium, sensibiles partes constituentium, secundum motum, vel quietem, item situm, figuram, & magnitudinem, dispositio, sive contextus, unde corpus nostrum, quacunque ratione, quale denominari potest.

Qualitates præcipuæ in temperie considerandæ.

Qualitates præcipuæ, quæ in temperie humani corporis aliorumque considerantur, sunt calor, frigiditas, humiditas, siccitas, tum actualis, tum potentialis; item crassities, tenuitas; raritas, densitas; stabilitas, mollities, duricies, fluiditas, aquositas, oleaginositas, visciditas; volatilitas, fixitas; fragilitas, flexibilitas, flexibilium resultus; ac prœterea lenitas, acrimonia; nec non opacitas & perspicuitas; atque etiam continuitas & contiguitas; & denique gravitas & levitas.

Calor actualis.

Calor actualis est insensibilium particularum alicujus partis motus varius. Talis ex. gr. est in corde hominis vivi.

Potentialis.

Calor potentialis est partis ad incalescendum vel calefaciendum aptitudo, ex particularum & pororum ejus tali dispositione orta, ut subtilis materia sive æther illas vehementer movere, vel in poris ejus vehementius moveri, & particulas in iis contentas majore vi agitare possit. Talis ex. gr. est in sanguinis parte biliosa.

Frigus actuale.

Frigus actuale est insensibilium particularum alicujus partis quies. Tale ex. gr. est in manu ab aëre refrigeratâ.

Potentiale.

Frigus potentiale est partis ad incalescendum vel calefa-

ciendum ineptitudo, ex particularum vel pororum ejus tali disposition orta, ut à subtili materiâ non facile agitentur, vel aliorum corporum particularum agitationem impediant. Tale ex. gr. observatur in parte sanguinis pituitosa.

Humiditas actualis.

Humiditas actualis est liquoris sensibilis in poris partis stabilis adhæsio. Hæc observatur in pulmonibus ex. gr. quorum pori liquore sanguinis perpetuò perfunduntur.

Potentialis.

Humiditas potentialis est aptitudo liquoris sensibilis, qua particulis suis flexibilibus, crassiusculis, & inter se repentibus, poris partium stabilium sensibiliter adhærere potest. Talis est in sanguine, bile, chylo, similibusque liquoribus sensibilibus.

Siccitas actualis.

Siccitas actualis est pororum partium vel corporum stabilium, omnis liquoris sensibilis vacuorum, ab insensibili aëris vel ætheris liquore, citra sensibilem adhæsionem, pervolatio.

Potentialis.

Siccitas potentialis est aptitudo liquoris insensibilis aëris vel ætheris, quâ suis tenuissimis & volantibus inter se particulis, poros corporum stabilium, citra sensibilem adhæsionem, pervadere; sensibilesque liquores ex iis expellere est idoneus.

Tenuitas & Subtilitas.

Tenuitas & subtilitas nihil aliud sunt, quam particularum insensibilium, corpora sensibilia constituentium, parvitas. Ea observatur in spiritibus & sanguine ex. gr. hominis bilioši.

Crassities

Crassities est particularum insensibilium, corpora sensibilia constituentium, magnitudo. Hæc animadvertitur ex. gr. in spiritibus & sanguine hominis melancholici.

Raritas.

Raritas est pororum & intervallorum, inter particulas corporis alicujus insensibiles existentium, magnitudo. Talis ex. gr. in pulmonum parenchymate facile observatur.

Densitas.

Densitas est pororum & intervallorum inter particulas ali-

alicujus corporis insensibiles existentium parvitas. Talis in parenchymate cerebri & renum animadvertitur.

Stabilitas est insensibilium particularum alicujus corporis qualiscunque cohæsio. *Stabilitas.*

Hæc cohæsio si firma fuerit, *durities* dicitur. Talis est in ossibus. *Durities.*

Sin fuerit illa insensibilium particularum cohæsio infirma, appellatur *mollities*. Talis est in cute, intestinis, pulmonibus. *Mollities.*

Firma particularum cohæsio, quę duritiem constituit, vel oritur ab immediato earum contactu & quiete; qualis est in ossibus & calculis: vel ea oritur ex vinculis, quorum partes se mutuo immediate & cum quiete contingunt, particulas illas cohibentibus. Talis cohæsio est in urina vesicam replente, & in flatibus ventriculum & intestina distendentibus. *Harum causa.*

Infirma cohæsio partium, quæ mollitiem constituit, originem ducit vel ex eo, quod particulæ à se mutuo sint separatę, & aliud quid inter illas intercurrat; talis est in urinę sedimento: vel ex eo, quod, etsi particulę se mutuo in multis partibus immediate contingant, illæ secundum totum vel extremitates sint flexiles; talis est in carnibus & intestinis.

Fluiditas est particularum alicujus corporis insensibilium disjunctio, cum motu earum inter se vario conjuncta. Talis est in sanguine, urina, bile, spiritibus; & aliis liquoribus. *Fluiditas.*

Hæc, pro variâ illarum particularum disjunctarum & varie inter se agitatarum figurâ & magnitudine, est, vel aquositas, vel salsugo, vel oleaginositas, vel spirituositas, vel visciditas, vel alio nomine indigitanda. Nam

Aquositas est fluiditas, in qua particulę insensibiles sunt oblongæ, lævęs, & flexiles. *Aquositas.*

Salsugo. *Salsugo* est fluiditas, in qua particulæ istę sunt oblongæ, læves, & plurimæ rigidæ.

Oleaginositas. *Oleaginositas* est fluiditas particularum flexibilium, ramosarum, & crassiuscularum.

Spirituositas. *Spirituositas* est fluiditas particularum, flexibilium, ramosarum, & subtilium.

Visciditas. *Visciditas* est fluiditas particularum flexibilium valde ramosarum, vel valde complicatarum, & crassiuscularum; atque ideo non facile, salvâ cohæsione, separabilium.

Volatilitas. *Volatilitas* est insensibilium particularum ad dissipationem, à calore faciendam, facilitas, orta non tam ex earum tenuitate & infirma cohæsione, quam ab earum figura dissipationi apta. Ea est in sanguine hominis sanguinei vel biliosi; item in vino, aqua, spiritu.

Fixitas. *Fixitas* est insensibilium particularum ad dissipationem à calore faciendam difficultas, orta, non tam à crassitie & firma earum cohæsione, quam à figura ad dissipationem inepta. Ea est in sanguine hominis melancholici, in aceto, in pane azymo.

Flexibilitas. *Flexibilitas* est corporis stabilis situm, salvâ cohæsione, in hoc vel illud latus mutandi aptitudo, à particularum ejus sensibilium tenuitate orta. Talis est in intestinis, pulmonibus, carnibus, nervis, venis.

Flexibilium quorundam resultus. *Flexibilium* quorundum corporum flexorum *in priorem situm resultus*, est repulsio, qua illa flexa corpora, propterea quod angustiores ex flexione sunt adepta poros, quam ut subtilis materia libere eos possit transire, partesque corporum flexorum sunt duriores, quam ut illa alios novos in iis possit poros excitare, à subtili materiâ ad transitum per clausos ex flexione poros sibi faciendum, eosque aperiendum, in pristinum situm repelluntur.

Fragilitas. *Fragilitas* est continuitatis, in corpore stabili, dissolvendæ aptitudo, ex particularum ejus insensibilium, in exiguis

iguis punctis se mutuo immediatè contingentium, crassitie orta. Talis est ex. gr. in cartilagine.

Opacitas est corporis sensibilis ad lumen transmittendum ineptitudo, ex eo orta, quod ejus pori ita sunt vel præclusi, vel interrupti, ut globuli ætherei à rebus lucidis propulsi, eos satis copiosè undique transire ad lineas rectas non possint. Talis est in ossibus. *Opacitas.*

Pelluciditas est corporis sensibilis ad luminis transmissionem aptitudo, in eo consistens, quod ejus pori ita pateant vel patefiant, ut globuli ætherei à corporibus lucidis propulsi, eos undique satis copiosè ad luminis actionem transferendam, transire queant. Talis est in tunica oculi cornea, & humoribus ocularibus. *Pelluciditas.*

Lenitas est corporis sensibilis ad tactum molliter & blandè movendum aptitudo, in particulis ejus insensibilibus obtusis & flexibilibus consistens. Talis est ex gr. in lacte, pinguedine. *Lenitas.*

Acrimonia est corporis sensibilis ad tactum acutè movendum aptitudo, in particulis ejus insensibilibus acuminatis & duris consistens. Talis est in bile & urina: *Acrimonia.*

Continuitas est partium corporis immediatus, cum quiete contactus. *Continuitas.*

Contiguitas est partium corporis immediatus cum motu; vel mediatus cum quiete contactus. *Contiguitas.*

Gravitas est partium nostri corporis major soliditas, sive particularum ejus arctior & firmior compactio & cohæsio, qua partes à Cœli tellurem celerrime circumcurrentis particulis fluidissimis, undique ad lineas rectas quidem tendentibus, sed à circumferentia undique versus medium telluris tantum inter se simul convergentibus, ad centrum terræ vehementius premuntur. Talis est in ossibus, renibus, hepate, aliisque multis. *Gravitas.*

Levitas est partium nostri corporis, minor soliditas, qua illæ *Levitas.*

illæ à particulis istis Cœli jam commemoratis, perpendiculariter, quantum fieri potest, versus centrum telluris debilius premuntur. Talis est in pulmonibus, & pinguedine.

De qualitatibus plura videantur in nostra Philosophiâ Naturali lib. 3. c. 7. p. 201. & seqq.

CAPUT III.

De Bonæ partium temperiei differentiis, & earum recta conformatione.

ATque hæc de qualitatibus præcipuis; in quarum recta & conveniente constitutione bonam temperiem consistere diximus.

Porro bona temperies *primò* est moderata, vel immoderata.

Temperies moderata. *Temperies moderata* est, in qua qualitatum est mediocritas. Talis creditur esse in cute humana. Eaque vulgò dicitur temperamentum ad pondus.

Immoderata. *Temperies immoderata* est, in qua qualiscunque qualitatis est excessus. Talis existimatur esse in reliquis omnibus humani corporis, præter cutim, partibus. Hæc vulgò vocatur temperamentum ad justitiam.

In quibus illæ consistant. Temperies utraque, non in solo calore, frigore, humiditate, & siccitate; sed in quibusvis qualitatibus consistit.

Præterea temperies alia est totalis, quæ in toto corpore; alia partialis, quæ in singulis ejus partibus consideratur.

Totalis, & ejus differentia. *Totalis temperies* non malè in sanguineam, biliosam, melancholicam, & pituitosam dividitur.

Cum enim sanguine corpus nostrum potissimum nutriatur, credibile est diversas temperies, quæ in illud induci solent, diversitati humorum, in massa sanguinea apparentium, respondere.. *Sin-*

Singularum partium temperies, cum ad qualitates primas vulgò dictas refertur, dicitur cutis esse temperata: reliquę verò vel ad calidum, vel ad frigidum, vel ad humidum, vel ad siccum deflectere dicuntur. Idque hoc ordine: *Partialis, & ejus differentiæ secundum primas dictas qualitates.*

Ad calidum, spiritus, cor, pulmo, sanguis, jecur, lien, renes, caro, pinguedo.

Ad frigidum, cerebrum, spinæ medulla, nervus, vena, arteria, membrana, tendo, ligamentum, cartilago, os, pilus.

Ad humidum, fibræ nervorum, cor, renes, jecur, lien, caro, pulmo, spinæ medulla, tunicæ nervorum, cerebrum, pinguedo, sanguis, spiritus.

Ad siccum, vena, arteria, membrana, tendo, ligamentum, cartilago, os, pilus.

Quorum multa ob rationes valdè infirmas dicuntur. Singularum autem partium naturam longè melius intelligi posse manifestum est, si qualitatibus his non neglectis, illarum præterea crassities, tenuitas, densitas, raritas, durities, mollities, aquositas, salsedo, oleaginositas, & aliæ similes qualitates rectè expendantur. *Quæ qualitates in partium temperie potius sint considerandæ.*

Tertio temperies alia est nativa, alia adscititia.

Nativa temperies est, quæ ex semine parentum, vel materno sanguine, in primo ortu, nobis est ingenerata. *Temperies nativa.*

Hujus præcipua diversitas est à sexu. Fœminæ enim communiter sunt molliores, humidiores, & frigidiores, quam viri. Præterea qui eunuchi fiunt, temperie innatâ manifestè mutantur, postquam sexum amiserunt.

Est autem *sexus* certa temperies & conformatio partium genitalium, qua mas à fœmina discriminatur. *Sexus duplex.*

Estque masculinus, vel fœmininus; masculinus fœminino communiter est calidior & fortior. *Utercalidior & fortior.*

Temperies adscititia est, quæ, post nostram nativitatem, per mutationem & alterationem corporis, ab internis externisve causis & accidentibus, oritur. *Temperies adscititia.*

Cau-

Ejus præcipuæ causæ. Causæ præcipuæ, quibus temperamentum adscititium inducitur, sunt ætas, tempestas anni, diversitas regionis, consuetudo.

Ætas. *Ætas* est pars durationis vitæ, in quâ, ex actione caloris nativi, in humidam reliquamque corporis sustantiam agentis, temperies corporis humani sensibilem mutationem suscipit.

Ejus divisio. Ea dividitur in pueritiam, adolescentiam, juventutem, virilem ætatem, & senectutem.

Pueritia. *Pueritia* est prima ætas, quæ, plerumque primis quatuordecim annis circumscripta, corpora nostra in excessu humida, & moderatè calida efficit.

Hæc distinguitur in tempus ante dentitionem, dentitionis, post dentitionem, & quod pubertati est proximum.

Adolescentia. Altera ætas est *adolescentia*, temperata magis, pubertatem ad decimum octavum, & adolescentiam propriè dictam, ad annum vigesimum quintum, includens.

Juventus Tertia, quæ sequitur, ætas, est *juventus*, seu florens ætas, ab anno vigesimo quinto, ad trigesimum quintum se extendens.

Hæc calida est & sicca. In hac corpora nostra sunt calida & sicca; propterea quod humidum aqueum præcedentibus ætatibus valdè sit absumptum, parteſque oleaginosæ arctius compactæ & complicatæ calorem & spiritus magis retineant, eumque magis intendant.

Juvenes sunt pueris calidiores. Atque hinc juvenes pueris & adolescentibus sunt calidiores. Quod etiam alimentorum duriorum coctio, aliæque accuratiores juvenum actiones evidenter probant.

Ætas Virilis. Quartò succedit *virilis*, seu constans, vel consistens *ætas*, ab anno trigesimo quinto ad quinquagesimum se extendens; in qua calor fervorque remissiores sunt, & actiones adhuc optimè perficiuntur.

Senectus. Tandem ab anno quinquagesimo supereſt *senectus* frigida

da & ſicca; quæ uſque ad ſexageſimum annum *viridis* eſt, in quâ ſenes muneribus obeundis plerumque ſatis commodè præeſſe poſſunt. *Media* autem ab anno ſexageſimo ad ſeptuageſimum ſe extendens, majore cum difficultate ſuas actiones exequitur. Denique *ultima* eſt decrepita, quæ frigiditate & ſiccitate vitam tandem claudit.

Ætates non habent in omnibus eoſdem terminos.

Hæ ætates in omnibus hominibus, ab varias cauſas, tum internas, tum externas, iiſdem annorum terminis non circumſcribuntur. Alii enim ex his cauſis citius, alii tardius adoleſcunt, juveneſcunt, viri evadunt, ſeneſcunt, & ætates illas percurrunt.

Terminus vitæ eſt mutabilis

Imò ipſe totius vitæ terminus, cum ab indifferenti voluntatis noſtræ libertate, qua rebus vitæ noſtræ utilibus & noxiis pro arbitrio noſtro utimur, magnam partem dependeat, mutabilis eſſe videtur; ita ut ille à nobis & corripi, & produci poſſit.

Anni tempeſtates quomodo corpus alterent.

Præter ætates, ad mutationem temperamenti nativi plurimum quoque faciunt *anni tempeſtates*; tum quia aër, qui corpora noſtra ambit & alterat, pro vario radiorum ſolarium perpendiculari vel obliquo à tellure reflexu, in his magnoperè alteratur; tum quia corpora noſtra, pro temporis præcedentis diverſitate, diverſimodè ſunt diſpoſita.

Earum temperamentum.

E quatuor anni tempeſtatibus *ver & autumnus*, ratione caloris, ſunt temperata; quanquam vere major ſit diverſitas inter frigus noctis & calorem diei, quam autumno. Sed aëris ſiccitas vere eſt maxima, propter ventos ſeptentrionales & orientales, tum frequentur flantes, & vapores, ex aëre, aliiſque corporibus, diſcutientes; ac præterea quia terra & aqua tum nondum ſatis calent, ad vapores tam copioſos, quam æſtate, emittendos. Quia autem adventante *æſtate*, terra & aqua magis incaleſcunt, hinc copioſiores vapores, in aërem ſublati, majorem æſtatis humiditatem inducunt. Senſim itaque aëris ſiccitas æſtate

imminuitur, usque ad medium *autumni*; quo tempore maxima aëris humiditas, ob copiosos vapores in ipso existentes & tum magis condensatos, esse solet; atque ideo tum omnia longè facilius, quam vere, putrescunt. Sed in corpore humano *vere sanguis*, & *æstate bilis*; *autumno & hyeme*, *pituita & melancholia* generari solent.

Locorum diversitas quomodo corpora permutet.

Locorum regionumque diversitas, & varia zonarum, climatum, positusque cœli, aliarumque circumstantiarum, ut montium, planitierum, ventorum, maris, & lacuum constitutio, externum aërem & alimenta assumenda diversimodè immutans, plurimum etiam ad mutationem temperamentorum inducendam valet.

Consuetudo, quomodo corpora corrigat & vitiet; variasque actiones producat.

Uti & *consuetudo*, quæ est rei alicujus frequens usurpatio, qua temperamentum, vel alia corporis constitutio immutatur, nosque ad actiones perficiendas aptiores vel ineptiores sumus.

Dum enim ex consuetudine, seu frequenti rerum usurpatione, partium temperies vel conformatio corrigitur, ad actiones perficiendas, promptiores; dum illæ hac vitiantur, ineptiores evadimus.

Atque hoc in omnibus actionibus est manifestum. *Vid. Phil. Nat. lib. 5. c. 12. p. 510.*

Temperies permanens.

Denique temperies alia est permanens, alia fugiens.

Temperies permanens est, quæ ex partium stabilium constitutione potissimum dependens, post mortem aliquamdiu potest durare.

Quomodo qualitates hic alimentur.

Partes in corpore animalis, ratione hujus temperiei calidæ vel frigidæ, dicuntur, prout magis vel minus incalescere sunt aptæ; humidæ verò & siccæ, pro ratione humiditatis vel siccitatis, quam tactus in partib. stabilibus percipit.

Temperies fugiens.

Temperies fugiens est, quæ ex fluidis partibus potissimum dependens, in vivis perpetuò fugit & restituitur: in mortuis verò, ob defectum restitutionis, mox extinguitur.

Hæc

Hæc itaque ad omnes humores & ſpiritus, corpore vivo contentos, ſe potiſſimum extendit.

Calor nativus.

In hac temperie fugiente ſpectatur præcipuè *calor* ille, qui *nativus* vulgò dicitur. Hujus enim, tanquam primi motoris, ope, omnia in corpore animalis potiſſimum peraguntur.

Quid ille ſit.

Eſt autem calor nativus, ignis non lucidus, ſeu tantum calidus, qui in ſanguine in cor influente, ab ætherea materia ibi copiosè exiſtente, jam inde à prima generatione perpetuò accenditur, & per totum corpus, cum eodem ſanguine, circulum ſuum à corde, & verſus cor per arterias & venas percurrente, diſtribuitur, perpetuoque ibidem reſtauratur.

Cur hic cæleſtis & elementaris ſit dicendus.

Hic & cœleſtis & elementaris dici poteſt: quia utrique eſt ſimilis, & ab utroque fovetur.

Quomodo hic calor admiranda præſtet.

Hic ubi convenienter moderatus eſt, & quando ejus efficacia aptis inſtrumentis benè regitur, admirandas in corporibus animalium edit actiones. Immoderatus verò, & malis inſtrumentis inſtructus, omnia corrumpit.

Cur ille ſpiritus primigenius, & humidum primigenium dicatur.

Hic quatenus ope ſpirituum, qui ſunt in ſanguine, jam inde à prima generatione partibus communicatur, dici poteſt *ſpiritus primigenius*. Et quatenus id etiam fit ope partium ſanguinis & præcipuè oleaginoſarum, quæ pro humidis vulgo habentur, vocari etiam potuit *humidum primigenium*. Et quia hic calor præcipuè communicatur per ſanguinis partes; tum ſpirituoſas, quæ maximè ſunt mobiles, & facilimè quaſvis corporis partes ſuâ ſubtilitate penetrant; tum oleoginoſas, quæ cohæſione ſua impediunt, quo minus ſpiritus poſſint diſſipari, & in poris ſuis ſubtilem materiam ita diſponunt, ut fortius agat, quod niſi fieret, calor breviſſimè exſtingueretur; hinc non malè dicit Fernelius *calidum innatum* eſſe humidum primigenium, ſpiritu & calore inſito perfuſum; & alii, quod

illud sit substantia quædam nostri corporis primigenia, pinguis, & oleosa, calore naturali perfusa.

Caloris nativi mutationes per ætates.

Calor nativus non semper in eodem statu permanet; sed ætatis decursu primum augetur, deinde consistit, ac postea imminuitur, & tandem extinguitur.

Mutationum istarum causa.

Nam initio vitæ, cum partes solidæ adhuc valde sunt molles, non adeo fluidarum partium motui obsistunt, quam in media ætate; nec idcirco tantâ vi fluidæ agitantur. Ac ptæterea inter fluidas plures sunt aqueæ, quam oleagineæ; quę idcirco, ut testatur experientia, alendo igni minus sunt aptæ. In juventute verò multæ sunt oleaginosæ partes, quæ arctius inter se complicatæ spirituum dissipationem impediunt, & justa sua tenuitate & ramosítate ignis vim augent, hinc in juvenili & virili ætate calor hic est validus. In senectute verò partes rursus aqueæ permultæ, pauciores verò oleagineæ in sanguine reperiuntur, quia partes solidæ, per quas succus ciborum colatur, ut sanguis fiat, sensim evadunt duriores, & eorum pori minus fiunt anfractuosi, quam par est ad benè temperatum sanguinem gignendum; atque hinc fit, ut calor ille paulatim magis magisque imminuatur.

Per anni tempestates.

Prętera calor nativus in animalibus perfectioribus, & præsertim in homine valido, melius hyeme & vere, quam æstate vel autumno, ad actiones suas peragendas se habet.

Cur ille validior sit in quibusdam hyeme & vere:

Hyeme enim & vere corpora sunt densiora: quo spirituum & humidi oleaginosi effluvia copiosa impediuntur; & ob externum frigus, nimius calor in iis haud facilè gigni potest. Atque hinc in validis hyeme & vere coctiones nostræ, quæ moderatum desiderant calorem, optimè perficiuntur; minus ęstate & autumno, quamvis tum temporis maximus sit calor, quippe qui ad coctiones nostras tum sit immoderatus, & justo vehementior.

In frigidioribus tamen hominibus, & aliis animalibus, calor

calor nativus, vere adulto, æstate, & in principio autumni, melius; hyeme verò pejus est constitutus. Ibi enim ille à calore externo augetur; hîc verò à frigore magis debilitatur. *Et in quibusdam aliis æstate & autumno.*

Calor Nativus, quatenus in partes ad reparationem dissipati propellitur & influit, *influens*; quatenus verò in illas est propulsus, *insitus* dicitur. Estque revera unus & idem: neque posterior à priore magis differt, quam unus idemque homo, qui ædes ingreditur, & qui eas est ingressus. *Vid. Phil. Nat. l. 4. c. 4.* Atque hæc de temperie. *Ejus differentia. Calor insitus & influens re non differunt.*

Apta partium conformatio est pars sanitatis, quæ in conveniente partium, in organa sensibilia, adaptatione est sita. *Apta conformatio partium.*

Eaque consistit in justa quantitate, apta figuratione, & bona constructione. *Et in quibus ea consistat.*

Justa quantitas partium est sita in numero decenti, quo nec justo sunt plures, nec pauciores: item in magnitudine convenienti, qua nec justo sunt majores, nec minores. *Justa quantitas.*

Apta figuratio, est secundum organorum cavitatem, vel secundum superficiem. *Apta figuratio.*

In cavitatibus requiritur libertas & justa amplitudo. In superficie conveniens lævitas vel asperitas; planities vel gibbositas; rectitudo vel curvitas; &c.

Bona constructio est sita in partium salubri situ, & inter se nexu. *Bona constructio.*

Situs salubris est, quo suum quælibet pars locum obtinet. Nexus, quo concinnè partes copulantur.

CAPUT IV.

De Sanitatis Signis: ubi de Alitura, Fame, Siti, item Chylosi & Chymosi.

Signa quibus sanitas innotescit, sunt *convenientia corporis accidentia*; qualia sunt bonus color, justus calor, *Signa Sanitatis.*

conveniens figura, decens magnitudo, &c; sed præcipuè, *actiones salubres*, seu tales, quæ & tempestivæ sunt, & porrò quantitate, & qualitate, secundum hominis naturam, moderatæ.

Actiones.

Actiones autem sunt operationes, quæ ab homine, vel solo corpore, vel corpore & mente, seu anima rationali peraguntur.

Eæque idcirco sunt vel naturales, vel animales.

Actiones naturales. Quid hic per Naturam significetur.

Naturales sunt, quæ à sola partium naturâ, seu earum temperie & conformatione, fiunt & perficiuntur.

Per naturam igitur hic non quævis, sed synecdochicè ea tantum natura intelligitur, quâ citra ullam cogitationem, vel cogitandi facultatem, aliquid agimus.

Actiones naturales sunt duæ: alitura & generatio.

Alitura.

Alitura est actio naturalis, qua perpetuus caloris substantiæque corporeæ defluxus, ope sanguinis, præcipueque arterioſi, utpote calidioris & subtilioris, à corde in partes alendas impulsi, item ope aliorum liquorum alimentariorum, perpetuo restauratur.

Alitura est perpetua; & hinc falsum aliquos sine alimentis per annos aliquot naturaliter vixisse. Qui liquore, præter sanguinem, corpora nostra alant.

Cum enim substantiæ nostræ corporeæ, & præsertim sanguinis & spirituum, quibus vita conservatur, dissipatio, propter eorum teneritudinem, & caloris vitalis, etiam blandissimi, vim dissipandi, sit perpetua; hinc etiam ipsa restauratio, per alimenta assumpta facienda, debet esse continua: ac proinde falsum est homines quosdam naturaliter, sine alimento, multos annos vixisse.

Liquores autem alimentarii, qui præter sanguinem corpora nostra alunt, sunt chylus in ventriculo & intestinis; chymus in venis gastricis, mesaraicis, & lacteis, receptaculoque chymifero, nec non liene & hepate; atque etiam liquor aqueus, in ductibus aquosis sive Lymphaticis totius corporis; item spiritus animalis, in cerebro & nervis contentus.

Cum

Cum enim hi liquores alant partes, per quas transeunt, ideoque ubi satis sunt attenuati & in partes propulsi, videntur etiam alias, si non soli, saltem cum aliis mixti, alere posse. *Unde hoc colligatur.*

Alituræ inserviunt appetitus alimentarius, coctio, distributio, separatio, excretio.

Appetitus alimentarius est species quædam phantasiæ, ex motu nervi sextæ conjugationis, ob defectum alimenti, inordinatius in ventriculo moti, orta; per quam impellimur, ob spíritus animales, inde certo modo motos, ad motus membrorum, alimento prosequendo idoneos. *Appetitus alimentarius.*

Alimentum autem est corpus, animalis naturę ita simile & conveniens, ut à calore ejus subigi, & in naturam ejus converti possit. *Alimentum.*

Estque esculentum, quod *cibus*; vel potulentum, quod *potus* nuncupatur: talia sunt carnes animalium, herbæ, fructus, semina, lac, aqua, vinum, &c. *Cibus. Potus.*

Appetitus ille est sitis, vel fames.

Sitis est appetitus potus, ex molestâ faucium & æsophagi ariditate, ob humiditatem ex iis expulsam, & salsuginem quandam ibi hærentem, natus; quo phantasia potum imaginatur in auxilium. *Sitis.*

Fames est appetitus cibi, ortus ex morsu inaniti ventriculi, ab acribus & calidis quibusdam succis, ex arteriis in ventriculum continuo impulsis, qui post expulsionem chyli, non invenientes quod corrodant, ventriculum pungunt, quo nervus sextæ conjugationis, certo modo in eo motus, imaginationem cibi sumendi excitat, in morsus istius remedium. *Fames.*

Pro ut autem isti succi peculiarem rationem ad hunc vel istum cibum dissolvendum habent, ita hujus vel istius cibi sumendi appetitum movent: quod in multis virginibus & mulieribus, picâ laborantibus, passim animadvertitur. *Unde varietas ciborum oriatur appetitus.*

Post

Coctio. Post appetiti alimenti sumptionem, opus est *coctione*; quæ est particularum insensibilium, alimenta constituentium, ad alituram per effervescentiam quandum fermentaceam præparatio.

Fermentacea effervescentia. *Fermentacea effervescentia* est, qua res coquendę sponte incalescunt, rarescunt, attenuantur, & volatiles separationique aptæ evadunt.

Ejus differentia. Coctio vero duplex est; una *communis*, quæ fit in omnibus viis, per quas particulæ alimenti transeuntes immutantur, & ad alituram præparantur; altera certis visceribus *propria*; eaque est præcipua: quæ rursus quadruplex.

Prima, quæ fit in ventriculo & intestinis, *chylosis*; *secunda*, quæ in liene & mesenterio, atque etiam in hepate, *chymosis*; *tertia*, quæ in corde, *hæmatosis*; *quarta*, quæ in cerebro, *pneumatosis* appellatur.

Cur coctiones aliæ alias lædant, vel juvent. Coctiones hæ cum tali ordine fiant, ut alimentum, quod coctum est in priore coctione, recoquatur in posteriore; hinc contingit, ut coctio prior, si bona sit, juvet posteriorem; sin fuerit mala, illam lædat.

Quomodo in ventriculo & intestinis fiat coctio. *In ventriculo & intestinis fit coctio*; cum alimenta ore masticata, & per membranaceum œsophagi, à faucibus per medium thoracem & diaphragma ad ventriculum usque pertingentis, tubum, eo deglutita, ibique sponte instar fœni humidi in horreo recluſi incalescentia, vi caloris, præcipueque à corde iis suppeditati, & humoris calidi & acris ab arteriis gastricis, per ventriculi & intestinorum tunicas sparsis, eo impulsi, & cum alimentis mixti, dissolvuntur, & in chylum, seu pultaceam cineritiamque quandam materiam, ibi paulatim commutantur; eo fere modo, ut cibos in ollâ à fervidis liquoribus, poros eorum penetrantibus, dissolvi, emolliri, aliterque immutari videmus.

Unde hoc constet. Succum illum calidum & acrem ad hanc concoctionem con-

concurrere constat ex fame, quam ab eo in ventriculum pulso, eumque vellicante, proficisci diximus; isquè sua incidendi, calefaciendi, attenuandi, & fermentandi vi, coctioni promovendæ est aptissimus. *Quod succus acris coctionem ventriculi juvet.*

Alimenta deglutita, dum in ventriculo concoquuntur, transmittunt tenuiores suas partes, jam satis attenuatas, in venarum gastricarum, vasis venosi brevis, aliarumque, per ventriculi tunicas dispersarum, insensibiles poros. *Dum coctio in ventriculo fit, tenuiores chyli partes transeunt in venas gastricas & vas venosum breve;*

Crassiores verò eorum partes deponuntur paulatim & particulatim, ex ventriculo, ob pressionem diaphragmatis aliarumque vicinarum partium, nec non ob influxum spirituum, in fibras ejus oblique descendentes, isti usui destinatas, influentium, per pylorum seu inferius ventriculi orificium, in intestinum duodenum, ubi cum succo pancreatico & bile ex folliculo fellis eo perpetuo defluentibus commiscentur; & inde in reliqua intestina propulsæ, per eaque diffusæ, ulterius coquuntur. *& crassiores in intestina paulatim propelluntur.*

Coctio illa alimentorum, pro eorum diversitate, alia est celerior, alia tardior. Quæ enim duriora sunt, tardius; quæ teneriora, celerius concoquuntur, & distribuuntur. *Alimenta alia citius, alia tardius coquuntur.*

In liene peragitur coctio, cum pars chyli, è ventriculo per vas venosum breve, ejusque ramos, in illum propulsa, ibique cum sanguine, ex arteriis copiosissimis per lienem diffusis in venas ejus transeunte, mista, à calore ejus subigitur, quæ deinde per ductum splenicum, cum sanguine è vena hæmorrhoidali, in ductum illum interdum ascendente, in venam portæ, & ex illa porro in hepar, ulterius ibidem, cum alio sanguine & chymo in illud ascendente, coquenda, confluit: ut in vivo animali, his vasis ligatis, & ultra ligaturam, intumescentibus, citra vero ligaturam detumescentibus, docet autopsia. *Quomodo coctio fiat in liene.*

In mesenterio fit coctio; dum chylus, per poros intestinorum insensibiles, in mesenterii venas mesaraicas, & lacte- *Quæ in mesente-*

rio fiat coctio.

as, propulsus, ibidem in rudem chymum convertitur

Quomodo chymus ex venis mesaraicis transeat ad hepar.

Et chymus quidem in venis mesaraicis, cum sanguine arterioso, ex arteriis mesaraicis in illas transeunte, mixtus, progreditur in ductum mesentericum; mox inde, per venam portæ, in hepar transiturus.

Coctio quæ fit in sacculo chymifero: & quomodo chymus vel lympha ibi distribuatur.

Chymus verò, in venis lacteis existens, propellitur in *magnum chymi receptaculum*, inter renem dextrum & sinistrum, sub venâ cavâ & arteriâ magnâ, infra diaphragma, intra duplicaturam peritonæi, situm, ibique ulterius coquitur; atque inde per superiorem latentem ductum chymiferum, ex abdomine, sub ventriculo & hepate, per diaphragma, in thoracis capacitatem, partim ramis quibusdam, sub pulmonibus & corde, in venas subclavias; atque inde in venam cavam ascendentem, versus cor, cum sanguine in ea existente, transiens, devehitur primum in dextrum, & deinde in sinistrum cordis ventriculum, ibique postea in perfectum sanguinem convertitur: partim verò ductu quodam alio ulterius ascendens, deflectit utrimque quibusdam ductibus ad artus superiores; & quibusdam aliis, per collum transeuntibus, ingreditur varias capitis partes. Ad easque, secundum quosdam, chymus sursum per horum ductuum ramos ulterius ad alituram partium provehitur: Sed secundum alios, deducitur per hos superiores ductus liquor aqueus, sive lympha, ex capite & brachiis deorsum versus cor, ulterius ibi coquenda. Inferior verò magni istius receptaculi chymi pars emittit plurimos canaliculos, primum per membranas renum & musculos lumbares utrimque sese diffundentes; & deinde juxta venam cavam, ejusque crurales divaricationes, descendentes, & glandulis quibusdam utrimque circa crura sese insinuantes, & postea ulterius ad inferiores artus progredientes; per eosque, secundum quosdam, chymus in vicinas partes, ad earum nutritionem, excrementorumque

rumque ſeparationem, propellitur. Secundum alios verò, tendit per hos ductus liquor aqueus, ſive lympha, ex abdomine & cruribus ſurſum verſus ſacculum chymiferum, ſive magnum chymi receptaculum, ut ibi ulterius coquatur, vel ulteriorem coctionem juvet, vel excitet.

In hepate fit coctio, cum chylus, primum per infinitos ventriculi & inteſtinorum inſenſibiles poros, in venas ventriculi gaſtricas & meſenterii meſaraicas, per meſenterium varie diſperſas; & ex his in venam portæ, ac ex eâ deinde in cavum hepatis, ſupra regionem dextri renis in dextro hypochondrio poſiti; non aliquâ vi attractrice, quâ ſanguis per attractionem ad hepar deferatur, utpote quæ ſit imaginaria; ſed ſolâ ſuâ fluiditate & preſſione vicinarum partium, ut diaphragmatis, muſculorum abdominis, aliarumque; adjuvante ſanguinis in corde rarefactione & preſſione, ſanguinem ex gaſtricis, meſaraicis, & reliquis imi ventris arteriis, verſus hepar per venas ipſis continuas, eaſque in meſenterio & ventriculo comitantes, jam commemoratas, nec non per venæ cavæ partem ad hepar aſcendentem, propellente, delatus, reliquoque ſanguini eo confluenti, in radicibus venæ portæ & cavæ, per hepatis parenchyma diſſeminatis, miſtus, ibi in hepatis poris, peculiari modo diſpoſitis, fermentatur, &, ut chymicorum more loquar, digeritur, ac in perfectum chymum rubrum abit.

Quæ in hepate fiat coctio.

Quod alimenta ad hepar veniant pulſione per venas facta.

Alimenta autem per illas venas jam enarratas ad hepar ferri, etiam ex ligatura ipſis in vivo animali injectâ, & intumeſcentiâ in illis inter ligaturam & inteſtina, detumeſcentiâ verò inter hepar & ligaturam, obſervatâ, clare innoteſcit.

Unde hoc conſtet.

Exiſtimo vero chylum ingredi venas, non tantum lacteas, ſed etiam gaſtricas, vas venoſum breve, & meſaraicas: *primò*, quia nulla ratio ſuadet, cur in illarum, quam

Chylus non tantum venas lacte-

as, sed etiam alias ingreditur.

in harum, poros magis se insinuet; & *deinde*, quod præ fame languentes, ab alimentis assumtis, & è venis ventriculi ad cor delatis, mox refocillentur; cum tamen pylorus, in superiori humani ventriculi parte situs, illa non ita celeriter in intestina possit transmittere, nec ulla vena lactea ad ventriculum pertingat; neque ulla præter venas sit via, quæ chylum ad hepar vel cor deducat: arteriæ enim sanguinem alimentarium à corde abducunt, nullum ad illud adducunt.

Cum itaque hinc pateat, succum alimentarium, è ventriculo per ejus venas ad cor ferri; nihil etiam est dubitandum, quin ille per similes intestinorum venas, nempe mesaraicas, ex eorum cavitate ad hepar, & inde ad cor quoque deferatur; præsertim cum ventriculus & intestina, imo etiam ipse œsophagus, cavitatis potissimum discrimine inter se differant; usu verò alimenti continendi, coquendi, deferendi, & distribuendi, quàm maximè conveniant.

Ad hæc rudimentum fœtus, ipseque fœtus, jam perfectior, nutritur primum, cum caro hepatis vel placenta uterina ipsi venæ umbilicali nondum est adnata, solâ illâ venâ per succum alimentarium uteri cavitate contentum diffusâ; deinde alimentum à placentâ uterinâ & hepate adnato per venam umbilicalem accipit, eumque ad hepar & cor defert. Simile quid in pulli in ovo generatione observatur. Atque hinc patet alimentum cordi fœtûs primum per solas venas, & deinde per venas hepatis parenchymate vestitas, suppeditari: atque ideo (quia par hic est ratio) ut venæ umbilicalis rami contingunt succum alimentarium, eumque ad hepar & inde ad cor devehunt; ita alimentum, etiam in natis & adultis, per ventriculi & intestinorum venas, illud contingentes, eôdem ferri meritò statuendum censeo.

Suc-

Succum autem albicantem, venis lacteis contentum, non chylum, sed chymum appello. Chylus enim tantum in ventriculo & intestinis gignitur, & continetur: isque, eas partes, egrediens, mox in chymum album in venarum lactearum, & in rubrum in gastricarum & mesaraicarum poris, commutatur: quemadmodum succus alimentarius ex luteo & albumine ovi in venam pulli umbilicalem, etiam ante suum in cor ingressum, hepatisque productionem, transiens, in succum rubrum convertitur.

Succus ex ventriculo, & intestinis in venas ingressus chymus est dicendus, non chylus.

Venæ lacteæ, ubi, aperto vivi animalis abdomine, relinquuntur ab omni ligatura liberæ, citissime omni albicante succo destituuntur; quod multi mirantur, & varias ejus rei causas reddunt. Mihi hæc unica esse videtur: quod, propter apertum abdomen, ex intestinis, jam non amplius, uti solebant, pressis, nullus novus albicans succus in eas, præsertim ubi intestina jam plusculum sunt refrigerata, impellatur; & is, qui in iis exstitit, spontanea ipsarum contractione, quæ præ reliquis aliis vasis, quia illæ succum illum non semper, sed sæpe post longissima tantum intervalla habent, in iis excellit, in alia vasa totus propulsetur, ipsæque arctissime claudantur.

Cur venæ lacteæ, aperto animalis abdomine, mox disparent.

Multum autem juvatur ascensus chymi, per ductum chymiferum ad venas subclavias tendentis, à valvulis, quæ, in venis lacteis & ductu chymifero inventæ, talem situm habent, ut, quicquid illas est ingressum, redire per viam, per quam intravit, nequaquam possit.

Ascensus chymi per ductum chymiferum juvatur à valvulis ductus chymiferi.

CAPUT V.

De hæmatosi, sive Coctione sanguinis.

ATque hæc de primâ & secundâ coctione. *Tertia coctio, quæ est vera sanguificatio, fit in corde*, cum chymus, partim in hepate jam perfectus, & ibidem cum reliquo san-

Tertia coctio quæ in corde fit, sive

Sanguificatio.

guine ad illud tendente mixtus; partim per ductum chymiferum in venam subclaviam, & inde in venam cavam ascendentem delatus, cor, per venam cavam tum ascendentem, tum descendentem, ingreditur, illudque ingressus, in rubicundum perfectumque, per rarefactionem pulsificam, à cordis calore in illo excitatam, commutatur, & deinde adjuvante spirituum animalium, ex nervo sextæ conjugationis in fibras cordis influentium, pressione, per arterias in totum corpus ad alituram diffunditur, & inde per venas continuas tandem ad cor repellitur.

Unde sanguinis oriatur rubedo.

Ut albedinem nivis, & stirpium earumque partium colores, in Philosophia naturali, antehac ex sola particularum insensibilium positione oriri diximus: ita existimo sanguinem rubore, ex sola particularum minimarum positione, quam inter coquendum in hepate, corde, & alibi adipiscitur, etiam tingi. Nil enim rubedo cordis vel hepatis, ad illam rubedinem sanguini communicandam, facit: cum illa sanguini nihil de substantia sua rubra tribuant, nec alia ratione intelligibili id efficere queant:

Sanguificatio hæc est duplex. Constituto partium cordis.

Sanguificatio cordis alia est prior, alia posterior.

Hæ ut recte intelligantur, præmonendum est, *cor duos habere ventriculos*: dextrum, & sinistrum; discriminatos intermedio & crasso ac denso pariete: item *quatuor vasa*, venam cavam cum suâ auriculâ dextrâ, venam arteriosam, arteriam venosam cum auriculâ sinistrâ, & arteriam magnam sive aortam.

Et quantum ad dextrum ventriculum attinet, ille habet duo vasa; venam cavam, & venam arteriosam.

Vena cava, quæ defert sanguinem per bina sua orificia in *dextrum cordis ventriculum*, instructa est *auriculâ dextrâ*, & *trivus valvulis tricuspidibus*, foris intro spectantibus, & egressum illapsi sanguinis impedientibus.

Vena arteriosa, vel potius arteria pulmonaria, quæ sanguinem

guinem ex dextro ventriculo per pulmones in arteriam venosam propellit, munita est *tribus valvulis semilunaribus*, intus foras spectantibus, & sanguinis, in pulmonibus existentis, reditum à dextro ventriculo avertentibus.

Ast in sinistro ventriculo est arteria venosa, & arteria magna.

Arteria venosa, vel potius vena pulmonaria, per quam fluit sanguis è pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum, munita est *auriculâ sinistrâ*, & *duabus valvulis* foris intro spectantibus, *mitralibus*; quibus regressus sanguinis è corde in pulmones impeditur.

Arteria magna sive aorta, quæ sanguinem è corde in totum corpus ad alituram diffundit, *tres* habet *valvulas semilunares*, sanguinem, è corde egressum, ab eo excludentes.

Sanguificatio cordis prior.

Prior sanguificatio fit in dextro cordis jam descripti, & nervorum fibrillis instructi, ventriculo; ex sanguine & chymo è venâ cavâ, tum ascendente, tum descendente, in illum influente; qui deinde ex illo per venam arteriosam, in pulmones, & porro in ramos arteriæ venosæ, propellitur.

Posterior.

Posterior fit in sinistro cordis thalamo, è sanguine, qui ex dextro ventriculo per venam arteriosam, in arteriam venosam & auriculam sinistram antea propulsus, ex hac in sinistrum cordis ventriculum instillatur, & inde in aortam, tum ascendentem tum descendentem, magnâ vi, jam satis alteratus, tandem erumpit.

Quomodo utraque sanguificatio procedat.

Utriusque hujus jam descriptę *sanguificationis* ratio ita procedit: Quandoquidem vena cava, dextro cordis lateri adhærens, & arteria venosa, quę sinistro cordis lateri inseritur, sunt vasa valde lata, & ob circulationem sanguinis mox explicandam, semper magnâ sanguinis in illas impulsi copiâ abundant, hinc necessariò, ubi cordis ventriculi sanguine non sunt distenti, & cor jam detumuit,

muit, duæ satis magnæ guttæ, una ex venâ cavâ in dextrum sinum, atque altera, ex arteria venosa, in sinistrum ventriculum, eodem tempore influit: quę, propter suam ad dilatandum aptitudinem, cordisque calorem, & reliquias sanguinis ibi ardentes, mox, eodem momento, in utroque ventriculo accenduntur & dilatantur; quo valvulæ, per quas magnę illæ guttę sunt ingressæ, clauduntur, & cor, tum propter hanc sanguinis dilatationem, tum ob spiritus eodem momento in fibras cordis dilatatorias influentes, celerrimè secundum ejus latitudinem distenditur. Sed quoniam ob angustiam sinuum, ex spirituum illo influxu sese valide & multum arctantium, sanguis, magis magisque rarescens & pressus, illic hærere non potest; idcirco eodem penè momento in ventriculo dextro tres valvulas venæ arteriosæ, intus foras spectantes, aperit; & porrò pressus & à calore agitatus, per venam arteriosam erumpit, eamque cum omnibus suis ramis distendendo, sanguinemque contentum magno impetu propellendo, pulsare facit. In sinistro verò ventriculo tres valvulas arteriæ magnæ, intus foras spectantes, tum etiam pandit, per easque in arteriam magnam sese effundit, eamque dilatat, & proximum sanguinem, prioribus pulsibus calefactum & expulsum, magno impetu in reliquas totius corporis arterias propellit, easque eo distendit & vibrat. Quandoquidem autem, expulso è cordis ventriculis sanguine, spiritus ex dilatatoriis cordis fibris, jam expansis, & sponte sese idcirco contrahentibus, in alteras determinati, refluunt, & sanguis in arteriis refrigeratur, arteriæque suâ dilatatione quasdam sanguinis partes, per poros suos tum magis patentes, foras emittunt: hinc postea cor & arteriæ detumescunt & subsidunt. Quo contingit, ut denuo duabus aliis magnis sanguinis guttis, è vena cava & arteria venosa in dextrum & sinistrum ventriculum

triculum fluentibus, detur in cor ingressus: quibus rursus ut prius dilatatis & propulsis, nova fit cordis & arteriarum dilatatio & subsidentia. Cumque hic sanguinis motus sit perpetuus, hinc sequitur illos alternatos cordis pulsus, quamdiu animal vivit, etiam esse perennes.

Itaque admirandus ille cordis arteriarumque motus, præter spirituum animalium in fibras cordis influxum, sanguinisque in corde existentis rarefactionem, quæ ejus causæ sunt proximæ, à quatuor remotioribus perficitur causis: primò à sanguinis, cor ingredientis, ad rarescendum aptitudine: secundò, à cordis calore: tertio, à parte sanguinis, quæ post singulos pulsus ardens, tanquam fermentum, in corde remanet: quarto à cordis vasorumque ejus conformatione. *Causa motus cordis & arteriarum proximæ & remotæ.*

Cumque hæ pulsus causæ sufficiant; nulla alia vis pulsifica cordi est assingenda. *Præter has nulla est vis pulsifica.*

Prout autem hæ causæ variantur, variatur etiam pulsus. Nam si illæ ordinatæ, æquales, & fortes fuerint; pulsus sunt ordinati, æquales, & fortes: sin inordinatæ, inæquales, & debiles; pulsus etiam inordinati, inæquales, & debiles evadunt. *Prohârum causarum variatione variatur pulsus.*

Sunt, qui necessitatem & utilitatem spirituum generandorum inter causas motus cordis & arteriarum numerant. Sed male. Cum enim nec cor, nec arteriæ hujusmodi necessitatis & utilitatis sint conscia; neque etiam propter eas aliquid agere sunt dicendæ. *Vid. Phil. Nat. l. 4. c. 8* *Usus & necessitas non sunt causæ motus cordis dicendæ.*

CAPUT VI.

De Pulsu & Sanguinis Circulatione.

UTrique cordis sanguificationi comes est pulsus; ministra verò sanguinis circulatio.

Pulsus est motus, quo cor & arteriæ, à rarescente & *Pulsus.*

te & protruso per vices sanguine; & cor, etiam à spiritibus, alternatim in fibras ejus per nervos ex cerebro influentibus, alternatim intumescunt & subsidunt.

Quod cor potissimum à spiritibus animalibus ex cerebro in hoc influentibus moveatur.

Spirituum in cordis fibras per nervos sextæ conjugationis è cerebro influxus patet ex cordis, à spiritibus animalibus, in animi pathematis in cerebro contingentibus, perturbatione: nec non ex cordis, non tantum ex pectore exsecti, sed etiam frustillatim dissecti, palpitatione: utpote quæ à nullâ sanguinis satis validâ rarefactione tum proficiscatur.

Potissimum verò spiritus istos, in cordis fibras influentes, probat fortis illa ventriculorum ejus arctatio, quæ digito iis profundè inserto, manifestè in ejus diastole, sive intumescentiâ, ubi sanguis è vulnere cordis exsilit, in iis sentitur. Nam si expulsio illa sanguinis à sola ejus efferveſcentia & rarefactione, ut quidam volunt, fieret: ventriculi cordis tum temporis non arctati; sed necessario ampliati, ipso tactus sensu perciperentur.

Object. sol. Nec est, quod nervi non ad cordis substantiam, sed ad pericardium tantum pervenire dicantur: Cum eorum in Cor ingressus bene scrutantibus, satis sit manifestus.

Nec obstat, quod cor tum etiam in rudimento fœtus moveatur, cum adhuc nullum est cerebrum, nec ulli sunt nervi, qui cordi spiritus animales suppeditent. Nam quamvis tum temporis nec sit cerebrum, nec ullus nervus; uti neque verum cor tunc existit: est tamen tum temporis cerebri & nervorum rudimentum, quod, ad spiritus paucos, cordis rudimento movendo tum necessarios, suppeditandum, sufficit.

Partes pulsus. Pulsus partes duæ sunt: intumescentia, quæ diastole, & subsidentia, quæ systole vulgò dicitur.

Intumescentia sive diastole *Intumescentia*, sive *diastole*, est pars pulsus, qua cor, tum à spiritibus in fibras ejus dilatatorias influentibus, tum à san-

sanguine, ex venâ cavâ in dextrum ventriculum, & ex arteria venosa in sinistrum, in systole illapso, ibidemque jam rarescente; arteriæ verò à sanguine in corde rarefacto & presso, atque inde in illas irrumpente, reliquumque arteriarum sanguinem vehementer propellente, & illum ac tunicas earum magno suo impetu concutiente ac vibrante, eodem momento, secundum latitudinem & profunditatem, dilatantur & intumescunt. *cordis.*

Subsidentia, sive *systole*, est pars pulsus, quâ cor, tum propter spiritus in fibras ejus prolongatorias influentes, tum ob maximam sanguinis rarefacti & pressi ex eo expulsam partem, detumescit: & simul arteriæ, ob sanguinis in eas impulsi refrigerationem, & aliquantam ejus, per poros, in diastole magis dilatatos, evacuationem, concidunt & subsidunt. *Subsidentia, sive systole: cordis.*

Sanguinis autem *circulatio* est motus, quo sanguis, totius corporis arteriis & venis inter se continuis contentus, easque replens, & impedimentum non habens, à sanguine, alternatis perpetuò vicibus è corde cum magno impetu in ejus diastole erumpente, per arterias à cordis regione in venas, & per venas eodem tempore rursum versus cor, propellitur. *Sanguinis Circulatio.*

Hæc ita dicta est, quod sanguis hoc suo à corde abitu & ad cor reditu, circulum quendam per totum corpus quotidie compluries conficiat: qui sanguinis coctioni, & distributioni, nec non corporis nutritioni, & vivificationi, excrementorumque separationi, & expulsioni, quam maxime est necessarius. *Unde ea sit dicta: & quas præbeat utilitates.*

Cum enim coctio sanguinis in corde non sit longa ejus, tanquam carnium, quæ in olla decoquuntur, in ventriculis cordis maceratio; sed tantum celeris quædam ejus partium, per vices cor transeuntium, in iis rarefactio & attenuatio, quæ, propter conformationem nostri cor-

poris, aliter fieri non potest; idcirco totus sanguis cor ingrediens, non uno excoquitur per illud transitu, sed plurimis excoqui debet reciprocationibus, per sanguinis circulationem efficiendis; in quibus modo hæ, modo illę ejus particulæ, corpori alendo evadunt aptæ.

Et quoniam corporis nostri constitutio talis est, ut sanguis, in ejus partes delatus, ibidem refrigeretur, &, diutius ibi commorans, ineptus ad alendum evadat; ideoque perpetuus ejus ad cor, utpote omnis caloris vivifici fontem, debet esse per hanc circulationem reditus: cum cor, etiamsi instar ferri candentis caleret, illum aliter calefacere, & alituræ adaptare, non posset.

Cumque partes nostri corporis alimento, tum copiosè suppeditato, tum ab excrementis separato, ad alituram indigeant, illæque illud attrahere nequeant; neque ab ullâ aliâ causâ illud ipsis satis abundè suppeditari, nec ab excrementis suis separari possit: hinc sanguinis per totum corpus perpetuò circulati impetum, alimentorum distributioni, & suppeditationi, excrementorumque separationi, & expulsioni, quam maxime necessarium esse intelligimus.

Sanguinis circulationis ratio prima.

Sanguinis circulatio *primo* innotescit ex ingenti illâ sanguinis cōpiâ, quæ ex corde in arterias perpetuò transit.

Cum enim in homine mediæ ætatis, & temperamenti moderatioris, unâ horâ fiant pulsus plus minus ter mille; quorum singuli ad minimum unum è corde in arterias effundunt scrupulum; quandoquidem è corde canis vivi non valde magni, per arteriam prope cor recisam, semuncia, dragmæ tres, duæ, vel una sanguinis, singulis pulsibus subsultim effluit: hinc necessariò sequitur, unius horæ spatio ter mille sanguinis scrupulos, sive libras decem, & duabus foris viginti libras, ad minimum è corde hominis

hominis in arterias propelli. Cumque tanta copia sanguinis in universo corpore nostro non contineatur; ac proinde nec alimenta, nec venæ solę tantam ejus quantitatem cordi perpetuò exhibere possint. Necessarium itaque est, sanguinem ex corde in arterias, & ex arteriis in venas, & inde per cor in arterias, perpetuò circulari.

Eadem *quoque* patet ex valvulis, in omnibus totius corporis venis ubique observatis, talemque situm habentibus, ut sanguini à partibus ad cor facilem; nullum verò, à corde per venas ad partes tendenti, transitum præbeant. *Secunda.*

Eandem firmissime *etiam* probat venarum, in quavis humani corporis parte ligatarum, vel convenienter compressarum, ultra vinculum injectum intumescentia; citra vero illud vinculum perpetuò observata detumescentia. Hæ enim aliunde fieri non possunt, quam quod sanguis ubique & perpetuo à corde in arterias, & inde in venas, ac porro ex his in cor propellatur. *Tertia.*

Impetus ille, quo sanguis ex corde per arterias in venas versus cor perpetuò propellitur, propter majorem cordis viciniam, viæque brevitatem; & præterea, quia arteriæ à majore latitudine in majorem angustiam magis magisque angustantur; venæ verò à majore angustia in majorem amplitudinem paulatim magis magisque ampliantur; idcirco est ille major in sanguine in arteriis existente, quam qui est in sanguine venis contento. Atque hinc contingit, ut arteriarum tunicæ alternato diastoles & systoles motu perpetuò vibrentur; venæ verò nullum sensibilem pulsus motum habeant. *Vid. Phil. Nat. l. 4. c. 9. & 10.* *Cur arteriæ pulsent; non verò venæ.*

CAPUT VII.

De Respiratione.

POsteriori sanguificationi, quam in sinistro cordis ventriculo perfici antehac diximus, inservit *respiratio*: *Respiratio.*

quæ est thoracis alterna dilatatio & contractio, à spiritibus animalibus, è cerebri poris perpetuo in musculos respiratorios sufficienter patentibus, in eosque idcirco perpetuo ultro citroque vicissim commeantibus, facta; quâ aër per asperam arteriam, perpetuâ vicissitudine, modo in pulmones, ad sanguinem, qui ex dextro cordis ventriculo in pulmones copiose est ingressus, refrigerandum, eumque suâ admixtione fermentandum, impellitur: modò ex iisdem, cum fuliginibus & vaporibus, ejicitur.

Ejus usus. Nisi enim sanguis, per venam arteriosam è dextro cordis ventriculo egressus, ab aëre inspirato refrigeretur, &, antequam sinistrum ejus thalamum per arteriam venosam ingrediatur, rursus ab eo condensetur, & cum aëris inspirati parte aliqua commisceatur, non potest ignem, in sinistro cordis ventriculo ardentem, novo justoque fomite nutrire & conservare. Atque ideo in æstuario, & quovis alio loco, ubi aër nimis fervet, vel alia prava qualitate est imbutus, vel ubi aër â sanguine pulmonum est excluſus, totius corporis refrigerationem & animi deliquium, imo interdum ipsam mortem, incurrimus.

Cur pisces & fœtus humanus, in utero existens; non indigeat respiratione. Atque hinc jam facile intelligimus, cur sine respiratione vivant animalia, quæ tantum unum cordis habent ventriculum: qualia sunt plerique *pisces*, & quomodo *humanus multarumque bestiarum fœtus*, in utero materno existens, quamvis duos cordis ventriculos & pulmones habeat, sine respiratione tamen vivere queat. Pisces enim & his similia animalia, propter unicum suum cordis ventriculum, habent tantum unicam sanguinis in corde coctionem, ac proinde etiam nullâ respiratione indigentem. Fœtus autem humanus, in utero materno existens, habet duos cordis ventriculos, in quorum dextrum sanguis, è venâ cavâ per viam ordinariam, & simul in sinistrum ex eâdem venâ cavâ per viam extraordinariam, nempe per

fora-

foramen ovale dictum, eodem tempore influit; qui deinde ex dextro ventriculo per extraordinarium ductum, *canaliculum arteriosum* dictum, & simul ex ventriculo sinistro per iter ordinarium se fere totum in arteriam magnam eodem tempore ita effundit; ut nihil fere sanguinis in pulmones, propter densitatem, quæ ipsos, tum temporis, ob impeditum respirationis usum, totos occupat, sese ex dextro ventriculo effundere queat. Itaque quamvis fœtus ille duas habeat in cordis ventriculis sanguinis coctiones: neutra tamen alterâ est posterior; cum simul fiant, & uterq; ventriculus fere omnem sanguinem in arteriam magnam effundat: Atque ideo nullam respirationis refrigerationem vel fermentationis auxilium, ab aëre requirit fœtus.

Respirationis partes.

Respirationis partes duæ sunt: inspiratio & exspiratio:

Inspiratio.

Inspiratio est pars respirationis, in quâ thorax, vi musculorum inspiratoriorum, & præcipuè diaphragmatis depressione, dilatatus, ætherque in poris aëris existens, eumque suo impetu, quantum potest, perpetuò vehementerque dilatans, & extendens, particulasque ejus in gyros agens, aërem per os & nares in asperæ arteriæ bronchia, infinitis suis ramis per spongiosam pulmonum carnem diffusa, ad sanguinis in pulmonibus existentis, eôque à dextro cordis ventriculo missi, refrigerationem, & fermentationem impellunt,

Exspiratio.

Exspiratio est pars respirationis, quâ thorax vi musculorum exspiratoriorum contractus, aërem calidiorem & fuliginosos vapores, è pulmonibus, per os & nares, expellit.

Si aer à pectore dilatato inter respirandum propulsus ad os per-

Cum dixi aërem in inspiratione à pectoris dilatatione, & ætheris, ejus partes intercurrentis, & agitantis, expansione, in bronchia pulmonum per os impelli, hoc de respiratione, in libero & aperto aëre factâ, est intelligendum. Posset enim aër, à pectoris dilatatione propulsus,

ita

venire propter impedimentum aliquod non posſit; tum ſolus æther impellit aerem per os in pectus dilatatum.

ita undique claudi, ut ad os pervenire nequiret; ut fieret ex. gr. ſi quis in vaſe undique exactiſſime clauſo ſedens, & fiſtulam, per vaſis parietem in aerem externum exeuntem, ore ſuo arcte tenens, pectus, naribus clauſis, ad reſpirandum dilataret; tumque ætherea materia, in aëre externo, fiſtulæ externæ & oris cavitati vicino, exiſtens, ejuſque particulas extendens, aërem in pectus dilatatum, per fiſtulam foris protenſam & os, ſola impelleret.

Inſpiratio aeris non fit ob fugam vacui.

Atque ex his jam patet, nullam cauſam eſſe, cur quidam aërem, propter fugam vacui, pectus in inſpiratione ingredi fingant.

Reſpirationis differentiæ. Utraq; eſt animalis.

Reſpiratio alia eſt voluntatia, alia ſpontanea, *Utraque* tamen *eſt animalis:* quia ab anima, ſive mente, in homine vel fit, vel fieri poteſt.

Reſpiratio voluntaria.

Reſpiratio voluntaria eſt, quâ anima, nobis volentibus & cogitantibus, ſpiritus animales in muſculos inſpiratorios & exſpiratorios viciſſim determinando, pectus modò dilatat, modò contrahit.

Spontanea.

Spontanea reſpiratio eſt, quâ ſpiritus animales, citra noſtram cogitationem, in muſculos inſpiratorios & exſpiratorios à ſpontanea alternataque eorum contractione, à certâ cerebri, & nervorum, muſculorumque reſpiratoriorum conſtitutione & adaptatione ortâ, viciſſim propulſi, thoracem modo ampliant, modo arctant.

Conformatio partium, reſpirationem ſpontaneam efficiens.

Certa autem illa cerebri, nervorum, muſculorumque reſpiratoriorum conformatio, reſpirationem ſpontaneam efficiens, hæc eſt: quod ſc. *primo* pori eorum, præ cæteris ſimilium aliarum partium poris, multo magis, imò quam maxime, perpetuo pateant; & *deinde*, quod nervi inſpiratorii exſpiratoriis ſint patentiores; & *præterea*, quod omnes muſculi reſpiratorii membranis, ſe viciſſim, cum ſunt expanſæ, ſponte contrahentibus, ſint veſtiti: Atque ideò contingit, nobis de reſpirando nihil cogitantibus,

tibus, ut ſpiritus animales in nervos, & muſculos reſpiratorios, membranis ſe viciſſim, cum ſunt expanſę, ſponte contrahentibus veſtitos, neceſſariò copioſius perpetuis vicibus ultro citroque fluant, atque ita neceſſario pectus, & conſequenter pulmones, modo dilatent, aëremque in pulmones impellant; modo pectus contrahant, aeremque cum vaporibus ex iis expellant.

CAPUT VIII.

De Pneumatoſi.

Quomodo in cerebro fiat coctio, Pneumatoſis dicta.

QUarta coctio, quæ *Pneumatoſis* eſt appellanda, fit in cerebro, cum ſanguinis in corde cocti magna pars, per arterias colli carotidas & cervicales dictas, in cerebrum, & præcipue in plexum choroidem, in ventriculo cerebri primo, ſecundo, & tertio, exiſtentem, identidem à corde in ejus diaſtole impulſa, & cum aere per nares in cerebrum inſpirato communiter mixta, & per exhalationem, in ventriculos cerebri factam, in ſpiritus quoſdam, ſive ſubtiles ſanguinis halitus, ſpiritus animales vocatos, convertitur, ibique cum ſpiritibus antea ibi exiſtentibus commiſcetur, & a blando cerebri calore ulterius excoquitur; & deinde per poros cerebri, vi diaſtoles cordis, tum in nervos immediatè à cerebro orientes, tum in ſpinę medullam, nervoſque inde proficiſcentes, & inde in totum corpus, ad alituram, ſenſum, motumque peragendum, diffunditur.

Quod ſpiritus animales etiam alant; & proinde hac quarta coctio tribus

Quod autem ſpiritus animales, in cerebro geniti, etiam alituræ inſerviant, inde patet, quod nervi his, utpote copioſiſſime eos tranſeuntibus, potiſſimum alantur; & quod nervis paralyſi, punctura, vel vulnere læſis, non tantum nervorum, ſed aliarum etiam vicinarum partium alitura magnopere vitietur.

prioribus sit addenda.

Atque hinc jam est manifestum, etiam spiritus animales hac coctione, sive ad alendum præparatione, indigere; eamque, utpote à tribus prioribus diversam, chylosi, chymosi, & hęmatosi, tanquam quartam, pneumatosim dictam, jure meritoque esse addendam.

Plura de spiritibus animalibus inferius erunt dicenda.

CAPUT IX.

De alimenti Distributione, Excrementorum Separatione, & Excretione.

POst coctionem peractam, opus est *distributione*, cum qua sæpe coniuncta est *separatio*.

Distributio alimenti. Quomodo ea citra attractionem, fiat.

Distributio est alimenti cocti, in varias corporis partes, protrusio.

Ea fit vel pressione vicinarum partium, vel rarefactione & fluiditate rei distribuendæ, vel agitatione corporis contenti & continentis, certo modo figurati, certaque magnitudine & figura pororum præditi; quod ex iis, quæ de chyli e ventriculo & intestius in vas venosum breve, venas gastricas, mesaraicas, & lacteas; & de chymi ex magno ejus receptaculo per ductus chymiferos in partes; & de liquoris aquei ex partibus ad facculum chymiferum propulsione; & de sanguinis è corde, spirituumque animalium ex cerebro in totum corpus translatione; item de sanguinis ad cordis ventriculos reciprocatione diximus, satis clarum esse videtur.

Separatio ejus ab excrementis: & quomodo illa per cribrationem fiat.

Separatio est alimenti ab excrementis secretio.

Hæc motu, figurâ, situ, & magnitudine, tum pororum corporis, tum pattium secernendarum, instar cribrationis, peragitur: non ab anima sive mente; neque etiam ulla attractione, vel spontanea coitione. Si enim hæc separatio à mente fieret, illa ejus esset conscia; cum ea sola-

rum

rium actionum cogitativarum sit principium. Excrementorum vero attractio & spontanea coitio hic sunt rejiciendę; quia non sunt manifestæ, vel intelligibiles, vel probatæ. Cum verò partes corporis varios poros, & excrementa variarum figurarum & magnitudinum habeant particulas; nihil magis credibile est, quam tanquam cribrando, eas in variis partibus separari & colligi. Ita ut nullâ præcipitatione chymicâ, quæ hic à quibusdam fingitur, saltem tanquam causâ principali, ad separationem excrementorum opus esse videatur.

Excrementum est, quicquid, ab alimentis post coctionem separatum, è corpore est excernendum. *Excrementum.*

Excrementa quamvis ex corpore sint excernenda; magnas tamen, tum in corpore in quo gignuntur, tum extra illud, præbent vel præbere possunt utilitates; ut in saliva, semine, bile, succo pancreatico, urina, fæce alvi, lacte, aliisque, si bene considerentur, facile apparet. *Excrementa suas etiam habent utilitates.*

Excrementum est crassum, vel tenue.

Crassi excrementi, quod *fæcis alvi* & *stercoris* nomine plerumque designatur, fit in ventriculo & intestinis, dum, tenuioribus chyli & reliquorum iis contentorum partibus effluentibus, & tanquam cribrando vel colando expressis vel expulsis, crassiores ejus partes in intestinis, ob vasorum & pororum angustiam, solæ relinquuntur, per alvum postea excernendæ. *Fæces alvi quomodo colligantur; & quibus constent partibus.*

Ad fæces alvi communiter accedunt humores, à folliculo fellis & pancreate, sæpeq; etiam alii à venis mesaraicis, ac potissimum à corde, per arterias mesaraicas & cœliacas, in intestina & ventriculum propulsi.

Sunt præterea alia etiam excrementa crassa, aurium scilicet sordes; quæ sunt excrementa crassa, flava, amara, in meatu auditorio collecta. *Aurium sordes.*

Excrementum tenue est liquidum, vel vaporosum.

Liquidum est pituitosum, bilioſum, seroſum, lacteum, sanguineum.

Excrementum pituitosum primum.

Pituitosum primò illud est, quod in partibus quibusdam naribus, buccis, faucibus, gingivis, ori, palato, linguæ, tonsillis, columellæque vicinis; *partim* à sanguine eo à corde impulso, partim à liquore aqueo, per ductus aquosos eo delato, secretum; *partim* ex cerebro per foramina ossis ethmöidis & sphenöidis eo descendens, instar pituitæ vel aquosæ materiæ, ex ore vel naribus excernitur; vel in asperam arteriam, vel œsophagum delabitur.

Objectionis solutio.

Neque his, quæ dixi, adversatur densitas duræ matris, sive crassæ meningis, quę in cadaveribus circa os sphenöides & ethmöides in ea observatur. Cum ventriculus & intestina cadaverum inflata, tam sint densa, ut nullum äerem transmittant; quę tamen, cum sunt viva, tantis poris pateant, ut copiosum & satis crassum chylum, in venas gastricas, mesaraicas, & lacteas, passim satis copiose transmittere queant: Atque ideo simile quid de ista meninge, in pituitâ transmittendâ, sit imaginandum.

Mucus. *Sputum.* *Saliva.*

Excrementum hoc pituitosum, si crassius tenacius & viscidius fuerit, *mucus* vocatur; si tenuius, ita crassiusculum tamen, ut commode exspui queat, *sputum* dicitur: sin multò adhuc tenuius & aquosius fuerit, *saliva* appellatur; eaque magnam partem, per salivales sub lingua ductus, in os communiter & ordinarie defluit.

Excrementum pituitosum secundum, sive succus pancreaticus.

Ad *excrementum pituitosum secundo* illud est referendum, quod fere insipidum, & interdum subacidum, in pancreate, sub ventriculo sito, & lieni variis nexibus annexo, à sanguine & liquore aquoso eo propulso, separatur, & per ductum quendã ramosum, à wurtsungo ante aliquot annos inventum, in intestinum duodenum, manifesto foramine, in quod meatus cholodochus sæpissime se insinuat, copiosissime, uti ex nupera Gravii observatione constat, excer-

cernitur; & *succus pancreaticus* jam vulgo appellari solet.

Excrementum bilioſum est, quod multis amaris, & nonnullis salsis, & aqueis constans particulis, *bilis flava* vocatur. Hæc fere tota à sanguine in hepate & circa illud separata, *partim*, per plurimos ramusculos bilarios, per hepar disseminatos, in fundum folliculi fellis, & ductum hepaticum; *partim* à corde per arteriam cysticam etiam in folliculum fellis, & hinc in ductum cysticum; atque inde porro in meatum communem cholodochum; ac ex eo in intestinum jejunum propellitur, ibique cum chylo, & deinde cum fæcibus alvi mixta, per alvum denique excernitur. Reliquus autem sanguis à corde ad folliculum fellis propulsus, qui neque in bilem, neque in nutrimentum folliculi abit, ille per venas cysticas fertur in hepar, ibi cum chymo & alio sanguine miscendus, & ad cor postea propellendus.

Bilis flava.

Ejus generationis ratio.

Seroſum constat particulis salsis & aqueis. Estque urina, sudor, lachryma,

Urina est excrementum seroſum, aliqua parte bilis tinctum: quod partim à liquore aqueo per ductus aquoſos in renes delato, partim à sanguine vi cordis ex aorta, per arterias emulgentes, identidem & continuatis vicibus, in renes expulso; indeque per venas emulgentes in venam cavam revertente; vel in renum nutrimentum abeunte, per transcolationem vel cribrationem separatum; & per pelvim ac ureteres in vesicam delapsum, tandem ex vesicâ, ope fibrarum ejus contractâ, per urethram, aperto sphinctere, in utroque sexu, evacuatur.

Urina.

Quomodo est in renibus separetur, & ad vesicam perveniat, & ex ea excernatur.

Incumbit utrimque renibus corpus glanduloſum, arteriâ ex arteria emulgente ortâ, & venâ in venam emulgentem, vel ramo venoso in venam cavam sese insinuante, instructum: quod quamvis nullum usum ad urinæ separationem præbeat, *renum succenturiatorum* tamen nomine vulgo venire solet.

Renes succenturiati.

venis eorum, ut & pleraruinque aliarum glandularum usus primus.

Utraque hæc glandula, plerarumque aliarum glandularum instar, quales sunt ex. gr. *glandulæ axillares*, *inguinales*, *auriculares*, & illæ, *quæ in brachiis & cruribus* passim *inveniuntur*, succum alimentarium per arteriam, aliaque vasa alimenta suppeditantia, accipit, eumque alterat, & partim in suum nutrimentum convertit; partim alteratum in venam proximam, & hinc in venam cavam, vel in proximum ductum aquosum, ad aliarum partium alimenti suppeditationem, vel ulteriorem coctionem, propellit.

Lien à quibusdam ad glandulas refertur; & quis ejus sit usus.

Ad hujus generis glandulas quidam referri volunt *lienem*, qui sanguinem accipit ab arteriis cœliacis; chylum a vase venoso brevi; spiritus à nervis sextæ conjugationis. Hęc inter se mixta & ibi cocta, partim abeunt in nutrimentum lienis; reliqua pars transit per ductum splenicum, cum chylo, per venas gastricas ex ventriculo eo veniente, in venam portę, & inde abit in hepar; tum ad ulteriorem coctionem ibi suscipiendam; tum etiam ad coctionem hepatis, ope spírituum, ab arteriis & nervis splenicis copiosissime ipsi suppeditatorum, adjuvandum.

Isque non bene, sed male habens, gignit pravos melancholicos humores.

Ut vesica urinaria, & renes male habentes, sæpissime calculis gignendis fiunt obnoxii: ita lien male habens sæpissime melancholicis humoribus producendis obnoxius evadit; quamvis bene se habens nihil succi melancholici & pravi gignere soleat.

Secundus usus glandularum.

Sunt etiam innumeræ aliæ glandulæ, tum *simplices*, tum *compositæ*, sive *conglomeratæ*, quæ succum alimentarium, ab arteriis, ductibus aquosis, & nervis suppeditatum, non tantum alterant, & partim in suum nutrimentum convertunt, partim in venas proximas aliaque vasa propellunt: sed etiam excrementa separant, eaque per *vasa sua excretoria* evacuant. Tales glandulæ sunt, ex. gr. *glandulæ lacrimales* circa canthum majorem utriusque oculi: *glandulæ* internæ *maxillares*, *salivales* jam dictæ: item *testes*, tum mari-

marium, tum fœminarum: nec non *renes*, & *pancreas* carnoſum: item *glandulæ lactariæ* in mammillis.

Imo ſi non omnes, ſaltem multæ glandulæ, undique in vicinas partes deponunt & ejiciunt, per poros ſuos, colle&a excrementa. *Tertius earum uſus.*

Sudor eſt excrementum ſeroſum, quod e poris quorumvis vaſorum & habitus corporis, vi caloris, præcipueque cordis, expulſum, tandem per cutim, humoris ſpecie egreditur. *Sudor.*

Lacrymæ ſunt guttæ ſeroſæ, ex oculis decidentes. *Lacryma.*

Hæ plerumque ex oculis præ triſtitia effluunt, propterea quod per eam ſpiritus in cerebro ita moveantur, ut illi apti evadant, poros vaſorum, circa oculos exiſtentium, in tantum aperire, ut ſerum copioſius, cum liquore aqueo & ſanguine eo delatum, lacrymarum ſpecie, ex caruncu-lis & du&ibus lacrymalibus, in canthis oculorum majoribus, & circa radicem naſi in utraque nare exiſtentibus, imo etiam ex palpebrarum poris, erumpat. *Quare ha à triſtitia, & oculi offenſione, vel inflammatione oriantur.*

Offenſio & inflammatio oculi, quia poros iſtorum vaſorum ſimiliter aperire poſſunt, ſæpe citra ullam triſtitiam lacrymas etiam pariunt.

Lacteum excrementum eſt, quod inſtar lactis albicat: eſtque lac, vel ſemen.

Lac eſt ſuccus ille albus, ex ſeroſis, butyroſis, caſeoſiſque partibus conſtans; qui ex liquore aqueo, per du&us aquoſos in ubera delato, & ſanguine, minus generoſo & ſpirituoſo a corde per arterias in glaudulas mammillarum propulſo, ad nati fœtus nutrimentum, per papillas exſugendus, gignitur. *Lac, & ejus generatio.*

Illud generari incipit ſub tempus partus; &, ſi mammæ fugantur, ſæpe per multos annos ejus durat generatio. Hujus rei cauſa eſſe videtur certa diſpoſitio liquoris aquei, ſanguinis, & corporis muliebris, a fœtu, in utero ejus exiſten-

istente, orta, & per multos annos in corpore & humoribus ejus perseverans, qua liquor aqueus cum sanguine aptus evadit ad glandularum mammariarum poros aperiendum, iisque sese commodè insinuandum, ut colorem album & reliquas lactis proprietates contrahant.

Seminis generatio. *Semen* quid sit, capite de Generatione inferius explicabimus. Hic tantum monebimus, id sub tempus pubertatis a calore tum temporis satis aucto, ex parte sanguinis arterioſi a corde ex arteria magna, per arterias sparmaticas, in testium parastatas seu vasa eorum inter se conglomerata, pyramidalia dicta, delati, & ibidem præparati, incipere gigni; eamque inde parenchyma testium ingressam, ibique cum liquore aqueo per ductus aquosos, & spiritibus per nervos eo delatis, mixtam, ulteriusque alteratam, & jam albescentem, transire in epididimides; indeque per vasa utriusque sexus deferentia, in viris quidem in vesiculas seminarias & glandulas prostatas, circa sphincterem vesicæ; ast in fœminis in poros & meatus seminarios peculiares, circa collum uteri, existentes, propelli, ibique in perfectum semen converti. Reliquum verò sanguinem eo propulsum, partim abire in istarum partium nutrimentum; partim alteratum in partibus istis, generosioremque factum, inde per venas spermaticas dictas redire in venam cavam: idque immediatè in latere dextro, mediatè vero in sinistro, per venam emulgentem, venæ cavæ sese insinuantem.

Sanguis menstruus. *Sanguineum exerementum* est sanguis menstruus mulierum, qui in mulieribus singulis mensibus superfluus, & ob caloris perfecte digerentis defectum redundans, & peculiarem quandam temperiem ad uteri poros aperiendum necessariam adeptus, singulis fere mensibus, ab anno præter propter decimoquarto, usque ad annum ætatis fere quinquagesimum, per colli uterini vasorum poros & sinum pudoris, excernitur. Hic

Hic sanguis per se malignus vel venenātus non est; cum illic in gravidis partim retineatur, partim in alimentum fœtus abeat. Si quam tamen pravitatem aliquando habeat, eam vel a cacochymia admixta, vel a diutina in corpore mora, vel ab alteratione sinus pudoris, contrahit. *Hic per se non est pravus.*

Vaporosum excrementum est, quod instar vaporis aut subtilis fumi, tam per os aliosque patentiores meatus, quam per poros cutis totius corporis, tantâ quantitate per perpetuum effluxum evacuatur, ut omnium sensibilium evacuationum quantitatem, teste experientiâ staticâ Sanctorii, longe superet. *Excrementum vaporosum. Illud sensibilibus est majus.*

Nam si quis ex. gr. homo jejunus mane, post alvi & vesicæ excrementa evacuata, ex facta ponderatione observetur esse centum & quinquaginta librarum: alimenta vero ejus esculenta & potulenta unius diei pendeant libras duodecim: excrementa unius diei civilis spatio sensibiliter excreta & collecta ac ponderata fuerint librarum quinque: ipse homo postridie ad lancem rursus jejuno ventriculo expensus, observabitur rursus pondus habere librarum centum & quinquaginta. Cum itaque hic homo ponderosior non sit factus, & excrementa sensibilia excreta tantum ascendant ad libras quinque: hinc necessariò sequitur excrementum vaporosum in hoc homine esse librarum septem, & consequenter duabus libris sensibilium excrementorum quantitatem superare. *Ut probat experientia statica.*

Excrementa, ne corpori noceant, indigent *excretione*: quæ sola expulsione perficitur. Verum hæc à variis proficiscitur causis. *Alia* enim ab eorum simplici fit propulsione: qualis est in seri in renes, & bilis in folliculum fellis, & excrementitiorum humorum in intestina ex pancreate & vasis mesaraicis evacuatione. *Alia* ab eorum dilatatione & rarefactione: ut, quando serum in vasis vi caloris dilatatur, & ex iis erumpit in habitum corporis, unde tandem *Excretio quibus fiat modis.* 1. 2.

per poros cutis expulsum, in excrementum vaporosum,
3. vel sudorem convertitur. *Alia* fit à varia partium expellentium, propter spiritus animales in illas per nervos diversimodè, pro irritationis sive stimulationis earum diversitate, influentes, contractione: talis usu venit in excrementorum, per os vel anum, excretione; in qua spiritus animales, qui fluunt in fibras intestinorum, certo modo stimulatorum, oblique ascendentes, vomitum: qui in fibras oblique descendentes, alvi secessum: qui verò in utrasque feruntur, utramque evacuationem efficiunt. Ita ut nulla attractio etiam in hac operatione requiratur.

Vomitus & alvi secessus non possunt fieri sine spirituum in fibras influxu.

Sunt nonnulli, qui existimant excretiones per os vel anum factas, quales sunt vomitus, alvi secessus, aliæque similes, oriri, citra ullum spirituum animalium in partium movendarum fibras influentium, easque secundum latitudinem dilatantium & longitudinem contrahentium, atque ita moventium, influxum; à solo quodam sensu naturali, quem partibus membranosis fibrosisque ita inesse fingunt, ut eo partes non tantum utile ab inutili discernant; sed etiam sese contrahant, seque contrahendo rebus molestis obluctentur, easque à se abigant, & expellant. Verum cum talis vis sentiendi & movendi partium sit tantum imaginaria, nec ulla recta ratione intelligibilis; idcirco illa jure meritoque est rejicienda.

CAPUT X.

De Nutritione & Vivificatione.

Alitura partes.

ATque hæc de alitura in genere, & actionibus ipsi inservientibus, diximus. Nunc ejus partes videamus, quæ duæ sunt: nutritio, & vivificatio.

Nutritio.

Nutritio est pars alituræ, qua perpetuus substantiæ corporeæ crassioris, ob suam à calore nativo aliisque causis factam

factam agitationem sese dissipantis, defluxus, è variis particulis liquoris alimentarii, præcipueque sanguinis, sufficienter attenuatis, & magnam partem in exhalationem dissolutis, ac per poros vasorum in partes impulsis, iisque immediate conjunctis & assimilatis, continuò restauratur.

Quomodo ea fiat non tantum per magnitudinem, sed figuram etiam partium, tum alimentarium, tum alendarum.

Sanguis enim arteriosus & venosus, item liquor aquosus, & spiritus, constat particulis diversi generis, quæ varias figuras & magnitudines habent; ex his crassiores, aliis coctionibus attenuandæ, manent in vasorum cavitatibus; quæ verò justam subtilitatem sunt adeptæ, è vasorum poris expelluntur. Partes autem corporis nostri, instar variorum cribrorum, poris, magnitudine & figura etiam variis, sunt præditæ. Atque hinc aliud alimentum ingreditur in ossa, aliud in carnes, aliud in alias partes; idque præcipuè cordis impulsu; citra magneticam, vel ullam aliam non intelligibilem attractionem. Dumque liquores alimentarii, in minimas seu insensibiles particulas attenuati & dissoluti, per poros partium transeunt, varie inter se complicantur, figurantur, & cum partibus immediatâ conjunctione uniuntur, atque ita in earum naturam convertuntur. Quæ vero ineptæ sunt, ut his vel istis partibus adhæreant, illæ ulterius ad alias transeunt.

Ad nutritionem nullo opus est veterum rore, glutine, cambio, vel humore innominato.

Nulla itaque necessitas nunc amplius cogit statuere talem *humorem innominatum*, & *rorem*; taleque *gluten* & *cambium*; qualibus alii in nutritionis explicatione antehac usi fuerunt.

Quali opus sit sanguine ad rectam

Cum autem dico partes sanguine potissimum nutriri, tum intelligo sanguinem satis bene temperatum: qui si desit, etiamsi pravus abundet, nutritio tamen partium non potest rectè procedere: ac proinde tum vel ægrotandum, vel moriendum.

Porro, cum particulæ sanguinis ad alendum magnam

alituram & vitam.

partem in exhalationem dissolvuntur, & in partes alendas impelluntur, perditur sæpè illa particularum sanguinis dispositio, quæ rubedinem ipsi antea conciliabat; atque ideo non est mirandum, quod in ossibus, cartilaginibus, membranis, tendinibus, aliisque multis partibus, quamvis sanguine etiam nutriantur, exigua tamen vel nulla rubedinis sanguineæ appareant vestigia.

Cur multæ partes non rubeant, etsi rubro etiam sanguine nutriantur.

Probatur alituram fieri per alimentarium liquorem, magna ex parte in halitum dissolutum:

Succum autem alimentarium magnam partem, ut commodè nutriat, quasi in halitum converti, ad oculum patet in corporibus à mactatione adhuc calentibus, plurimasque exhalationes conspicuas, dum exenterantur, emittentibus. Inde enim indubitatè colligitur, in corporibus vivis multo majorem succorum alimentariorum in halitus fieri conversionem.

Et à corde potissimum in partes alendas impulsum.

Denique quod cor præcipua sit causa, a qua quilibet liquor alimentarius in partes alendas impellitur, inde facile innotescit; quod cordis motu langueſcente, vel deficiente, langueſcat etiam mox, vel deficiat, omnis alimenti in partes alendas impulsio.

Nutritio est æqualis, vel inæqualis.

Nutritio æqualis.

Nutritio æqualis synecdochicè nutritio dicitur: estque illa, qua tantundum restauratur, quantum de corporis substantia fuit dissipatum.

Inæqualis.

Nutritio inæqualis est auctio, vel decretio.

Auctio.

Auctio est nutritio, qua plus restauratur, quam fuit dissipatum.

Quomodo ea fiat.

Hæc ex eo oritur, quod calor nativus & corporis temperies seu textura sint tales, ut per alimentum copiosum & rectè præparatum, corpori plus apponatur & agglutinetur, quam dissipatur.

Quamdiu homo in longitudinem extē-

Hac corpus humanum in longitudinem extenditur usque ad annum vigesimum primum vel secundum: quia usque ad illam ætatem ossa præcipuè, reliquæque partes,

propter

propter mollitiem ſuam, in longum extendi poſſunt. Accretio autem ſecundum latitudinem & profunditatem ad plures annos durat. Atque hæc tandem etiam ceſſat: quia dum creſcente corpore multæ particulæ in paucarum diſſipatarum locum veniunt, pluresque aliis uniuntur, partes corporis tandem tam duræ evadunt, ut ipſarum pori vix amplius dilatari & extendi, iiſque vix quicquam agglutinari queat. *datur: & quare.*

Decretio eſt nutritio defluxu minor. *Decretio.*

Ea fit vel propter deficiens, vel propter ineptum alimentum; vel propter calorem nativum nimis debilem, ut in ſenibus; vel juſto vehementiorem, ut in biliofis; vel quia textura alicujus partis corporis eſt talis, ut ipſi ſatis nutrimenti apponi non poſſit: ut contingit in iis, qui alicujus partis male habentis atrophiâ laborant, dum reliquum corpus bene nutritur. *Ejus cauſa.*

Vivificatio eſt pars alituræ, qua caloris ſpirituſque vitalis defluxus per novi caloris & ſpiritus in corde generationem, ejuſque per totum corpus, ope circulationis ſanguinis, diſtributionem, perpetuo reſtituitur. Eaque ex ſanguificatione cordis, ante hac explicatâ, ſatis videtur eſſe manifeſta: *Vid. Phil. Nat. l.* 4. *c.* 14. *Vivificatio.*

CAPUT XI.

De Generatione.

Abſolutâ aliturâ agendum eſt de *generatione*: quæ eſt actio naturalis, quâ, ex ſemine utriuſque parentis, homo procreatur. *Generatio.*

Quamvis enim ſtirpes per ſe ſolæ & ſingulæ, citra ſexus diverſi concurſum, ex ſuo ſemine, ſui ſimile gignant: homo tamen, ut & pleraque alia animalia, ſine ſemine ab utroque parente collato, procreare non poteſt. *Ad hanc requiritur & concurrit ſemen utriuſque ſexus.*

Idque probatur. Semen verò ab utroque sexu ad procreationem conferri, ex partium utriusque sexus, semini generando inservientium, similitudine; item ex semine, ab utroque sexu in coitu emisso, patet. Idem etiam ex eo, quod fœtus patrẽ matremque plerumque in multis referat, est manifestum.

Quid sit semen. *Semen* autem est liquor albicans & spirituosus; ex sanguine arterioso & calidiore, à corde in meatus seminarios, generationi maturos, copiosius propulso, ibique cum liquore aquoso per ductus aquosos, & spiritibus per nervos, eò delatis, commixto, genitus; rudimentum hominis generandi, & primum ejus alimentum, continens.

Quid ejus rudimentum. Quid germen. *Rudimentum* illud consistit in particulis insensibilibus seminis, tum masculini, tum fœminini; quæ talem figurationem in corpore parentum acceperunt, ut utero receptæ, mixtę, & à calore ejus agitatæ, in *perfectum germen*, seu rudem hominis delineationem, unde reliqua deinde perficiantur, abeant.

Cur rudimentum sive germen, & primum ejus alimentum, in humano, ut & aliorum animalium semine sit statuendum. Has partes in semine humano, utero jam concepto, statuendas censeo; propterea quod principia generationis humanæ, non sint deteriora principiis stirpium generandarum, in quarum semine hujusmodi germen & primum ejus alimentum ad oculum est manifestum. Huc accedit, quod hoc rudimento, & primo alimento, in semine humano aliorumque animalium, admisso, generalis generationis eorum ratio intellectu sit facillima; utroque verò negato, ea nec generaliter, nec specifice, à quoquam rectè explicari vel intelligi possit.

Quare ex diversorum hominum seminibus diversi & In diversis hominum speciebus figurantur illæ seminales particulę, propter diversam eorum corporis dispositionem, diversimode; ac idcirco alia ex æthiopis ex. gr., alia ex albi hominis semine, producitur hominis species.

Generationi inserviunt libido, conceptio, formatio, & partus.

Libido

Libido est dispositio quædam phantasiæ hominis, ex partium genitalium, à fervidis spiritibus seminalibus titillatarum, motu orta, qua ille ad coitum, quo utriusque sexus semina inter se miscentur, impellitur.

aliter formati nascantur homines.

Libido.

Libidinem, ad copulationem generationi necessariam peragendum, in maribus comitari solet *tentigo*: in qua membrum masculinum, à sanguine & spiritibus animalibus, in fungosos ejus nervos copiosius fluentibus, extenditur: dum scilicet sanguinis & spirituũ in illos ingressorũ reditus, à prostatis & vesiculis seminariis, fervido semine turgentibus, & fungosorum nervorum meatus & poros ibi claudentibus, impeditur. Ubi verò in coitu semen satis copiosè ex prostatis & vesiculis seminariis est emissum, tum aperiuntur isti fungosorũ nervorũ pori & meatus, sanguisq; & spiritus, ex iis per poros & meatus, ibi tum apertos, satis copiosè resluentes, faciunt necessariò *penis flaccidiatem*.

Quomodo eam in maribus comitetur tentigo; & deinde sequatur penis flacciditas.

Conceptio est seminis maris & fœminæ fœcundi, & utero bene temperato & conformato recepti, comprehensio.

Conceptio.

Ut autem semen sit fœcundum, requiritur, ut illud non tantum bene in suis locis sit excoctum; sed etiam bonis & satis copiosis spiritibus, in coitu à cerebro & corde venientibus, sementque expellentibus, perfusum. Atque ideo solet semen, quod citra titillationem, ab illorum spirituum affluxu excitatam, excernitur, ad generationem esse ineptum.

Ad fœcundum semen requiritur copiosus spirituum affluxus.

Cum semen, utero conceptum, unum germen perfectum habet, singuli; cum plura, plures concipiuntur & generantur fœtus.

Cur singuli, vel multi concipiantur fœtus.

Uterus cum fœtu concepto extenditur, & paulatim magis magisque incrassatur: quia à concepto semine, uteri vasorumque ejus pori ita laxantur & aperiuntur, ut sanguis, aliiq; liquores alimentarii, ad uterum copiosissimè appellantur; unde uterus aptus evadit ad tantam alimenti quantitatem accipiendam, quæ ejus extensioni & incrassationi, nec non justo fœtus nutrimento & incremento, sufficiat. Et quia hinc sanguis in fœminis, quæ utero conceperunt, communiter singulis mensibus, ibi, uti solebat, non redundat, nec effervescit, ideoq; etiam mox à conceptione solet in gravidis plerumq; subsistere menstruorum fluxus.

Cur uterus cum fœtu magis magisque extendatur & incrassetur.

Cur menses in gravidis suppressentur.

For-

Formatio fœtus. Hæc perficitur per motum caloris, qui est in semine & utero; item per particularum seminis figuras & magnitudines: unde perfectum germen in semine primum producitur.

Formatio est seminis utriusque parentis, utero recepti, in membra hominis apta attemperatio & figuratio.

Hæc perficitur calore, tum uteri, tum seminum, quo horum particulæ in utero agitantur; hæ vero agitatæ, ob suas figuras & magnitudines, quas in meatibus seminariis, certo modo temperatis & figuratis, sunt adeptæ, necessariò in utero in perfectum hominis generandi germen, succo alimentario instructū, & membranulis vestitum, semina stirpium aliquo modo referens, abeunt. Idq; fere eodem contingit modo, quo ex oblongis salis particulis, in aqua vi caloris agitatis, & inter se conjunctis, primum lamellam, & ex ea sæpius multiplicata granum cubicum; atque ex sex globulis in plano aliquo agitatis, & inter se unitis, rosam; & ex oblongis & flexibilibus particulis vaporum, è cellis tempore gelido in earum januas & vitreas fenestras vorticoso motu variè impingentibus, varias stirpium, earumque partium, imagines effórmari observamus.

Et ex hoc deinde propter ejus partes & poros, eorumque figuram, perficitur porro fœtus formatio.

Ex hoc perfecto & instructo ac vestito germine, perficitur deinde paulatim ita tota ulterior fœtus formatio, ut in officinis vitrariorum, post rudem vitreæ & ab igne candentis bullæ in quibusdam partibus incisionem vel depressionem, chirothecas, ocreas, multaque ridicula, ab ignaris conflari; & in quibusdam fontibus, propter pororum in tubulis figuras, varias imagines, vi aquarum erumpentium, produci videmus.

Nequaquam verò per corporea facultatis ideam, phantasiam, vel archæum intellectu præditum.

Cumque hæc generalis formationis fœtus mechanica explicatio satis sit manifesta & sufficiens, nulla necessitate jam amplius cogimur, ut ullam animæ vel alterius corporeæ facultatis ideam, phantasiam, vel archæum, quovis vel minimo intellectu vel cognitione præditum, per quem formatio fœtus quam sapientissimè dirigatur & perficiatur, in semine vel in utero fingamus; & ita entia absque necessitate multiplicemus, ac obscurum per obscurius explicemus.

Cur Galenus & alii multi formationem fœ-

Galenus autem, aliique viri præstantissimi, formationis hujus cognoscendæ antehac quam maximè cupidi, nulla ratione illam potuerunt assequi: quia semen nullis particulis præditum esse putantes, à sola vi plasmatica in

fœtum

fœtum efformari crediderunt; quæ cum ipsis esset inexplicabilis, totam fœtus formandi rationem suis tenebris involutam reliquerunt. *tus intelligere non potuerunt.*

Quia verò germinis reliquæque seminis particulæ, earumque motus, hactenus tantum generaliter nobis innotuerunt; idcirco non alia etiam, quam generalis, hic traditur formationis ratio. Quæ tamen, ad specialia in generatione occurrentia intelligenda, satis magnam lucem præbet. *Cur hic tantum generalis formationis fœtus ratio tradatur.*

Porro dum in majoribus animalibus viviparis ex hoc germine in poris uteri ita perfecto, & deinde in ejus majoribus cavitatibus observabili, animal formatur, primum circa initium secundi mensis, in liquore alimentario membranis germẽ investientibus contento, conspicuum est cor puncti rubicundi instar, alternis vicibus vi spirituum, in fibrillas ejus alternatim influentium, sese contrahens & dilatans, & vasis quibusdam instructum, quæ vasorum umbilicalium officium & primordia præbent. Hęc, per liquorem membranis contentum dispersa, venosis ramis deferunt ex illo alimentum in cor; quod, ibi coctum, inde, per ramulos arteriosos, in germinis & membranarum principiique venarum umbilicalium partes, nutrimenti suppeditandi, sanguinis circulandi, & fœtus faciendi ac perficiendi causâ, impellitur. Post paucos dies adjacet corculo mucago quædam, instar parvi vermiculi, in duas partes divisa; ex quarum una truncus & artus, ex altera caput efformatur: eaque paulatim crescens adipiscitur debitam fœtui figuram; ita ut, post sextum à primâ pulsantis corculi apparitione diem, fœtus toto corpore, intra membranas jam enarratas, delineatus conspiciatur. Et viscera quidem ac intestina primum, thorace & abdomine adhuc patente, sese nuda oculis objiciunt, quæ deinde, ventribus istis per crescentes indies partes vicinas *Ordo qui in formatione fœtus observatur.*

clausis, conspectui sese ita subducunt, ut vasa umbilicalia ex medio abdomine propendentia, & per liquorem membranis fœtum involventibus contentum diffusa, paulatim membranis istis, & in quibusdam animalibus etiam caruncúlis, & in homine hepati quoque uterino, primo leviter & deinde firmiter agglutinentur. Hæc agglutinatio tum demum, per carneas illas hepatis uterini & caruncularum uterinarum moles, contingit, cum fœtus jam perfectè formatus, & uberioris alimenti, ab utero copiosius & fortius suppeditandi, indiget.

Membranæ fœtum involventes sunt Amnion & chorion.

Membranæ autem jam commemoratę, quæ germen & fœtum humanum involvunt, sunt duæ. Una, *amnion* dicta, quæ fœtum proximè ambit: eaque liquorem alimentarium puriorem & magis pellucidum continet; quo fœtus primum per venas umbilicales, per ipsum diffusas, nutritur. Altera *chorion* vocatur. Hæc, amnion foris cingens, complectitur humorem alimentarium crassiorem; quo fœtus, immissis postea vasis umbilicalibus, jam grandior factus, etiam alitur. Atque hæc fœtus per illos liquores nutritio & auctio ex eo patet, quod vasa umbilicalia per contentos illos liquores diu dispergantur, & fœtus sive germen nutriatur, antequam illa membranis & carnibus istis & utero sunt agglutinata.

Unde liquoris uterini origo & augmentum.

Liquores istis membranis contenti habent primam originem à semine: augmentum autem accipiunt ab utero; ex cujus arteriarum, venarum, & vasorum aquosorum poris hi liquores in membranarum istarum cavitates impelluntur.

Fœtus in utero nutritur etiam ore.

Nutritur autem fœtus jam grandior non tantum liquoribus istis per venas umbilicales ad cor ipsius delatis; sed ore etiam sugendo haustis & deglutitis: quod probant chylus, in ventriculo, & alvi fæces, quæ in intestinis crassioribus foetuum majorum inveniuntur. Idem probat vomi-

vomitus ſeroſi liquoris, quem foetus, jam natus, antequam ipſi quicquam alimenti eſt datum, aliquando ore rejicit.

Vaſa umbilicalia fœtus jam grandioris conſtant venâ & duabus arteriis. Hæ originem ducunt à vaſculis iſtis, quæ circa cordis rudimentum ſaliens primò conſpici diximus, & omnibus fœtus ac ejus involucrorum vaſis originem præbent. Arteriæ iſtę duæ ſunt propagines arteriæ iliacæ deſcendentis, quibus ſanguis à corde fœtus in membranas & carnes uterinas alituræ cauſa impellitur. Vena verò, quæ cum arteriis iſtis in placenta aliiſque uterinis carnibus unitur, & venæ portæ eſt continuata, deducit ſanguinem, partim à corde fœtus per arterias umbilicales in carnes illas uterinas impulſum, partim à matris utero placentæ aliiſque carnibus uterinis recens ſuppeditatum, ac venæ umbilicalis radicibus per carnes illas uterinas diſperſis inſinuatum, eumque per hepar fœtus ad cor defert, ſanguiniſque circulationem ibi ita perficit. Atque hoc ex ligatura vaſorum umbilicalium fœtus vivi, utero materno, matre etiamnum vivente, adhærentis, eſt manifeſtum. Venę enim ligatæ intumeſcunt circa ligaturam, à parte uteri; arteriæ vero ligatæ, à parte fœtus: deinde arteriarum umbilicalium pulſus conſentiunt cum pulſibus fœtus; diſſentiunt vero à pulſu arteriarum matris.

Vaſa umbilicalia.

Quomodo ſanguis circuletur à fœtus corde ad hepar uterinum; & inde rurſus ad cor fœtus.

Vaſis umbilicalibus vulgò annumerari ſolet *urachus*, corpuſculum membranoſum, teres, à veſica veluti baſi paulatim verſus umbilicum aſcendens; per quod redundans in veſica ſerum intra amnion & chorion tranſcolari volunt. Verùm hoc falſum eſſe, docet veſicæ in fœtu grandiore facta compreſſio, qua urina per pudendum expelli, non autem in ſecundinas trajici obſervatur.

Urachus non eſt vas umbilicale.

Formatio fœtus poteſt juvari & mutari ab imaginatione matris, quamdiu ille tenellus eſt; idque hoc modo fieri exiſtimo;

Quomodo fœtus ab imagina-

tione matris affici queat,

existimo: Imago rei visæ, vel aliter cogitatæ, quia revera in cerebro est picta, defertur ope spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, ad conarion, quod meo judicio, est sensorium commune, & ab illo porro, mediante sanguine & spiritibus, ad uterum; & denique per venam umbilicalem ad ipsum fœtum. Idque haud dissimili contingit modo, quam quo imagines rerum visibilium, ope globulorum æthereorum intermediorum, per longissima spatia, in cubiculi obscuri pariete albo, vel oculi retinâ, pinguntur; vel soni per aerem ad remotissimas distantias deportantur. Tenellus autem fœtus suscipit facile, ob mollitiem suam, imaginem ab imaginatione matris sibi fortiter impressam; eaque in principio valde est exigua, sed indies cum fœtu magis magisque augetur, & ita fere absolvitur, ut passim in peponibus, scalpello leviter signatis, varias imagines grandescere & perfici videmus.

Cur fœtus tali parte, qualem mater inter imaginandum tetigit, imaginem plerumque soleat suscipere.

Fœtus autem tali parte, qualem mater, dum imaginabatur, tetigit, imaginem plerumque solet suscipere: quia tum simul objecti & partis contactę imaginem in cerebro concipit mater; atque ideo non tantum similis imago ad fœtum; sed ad similem etiam fœtus partem, qualis à matre per tactus sensationem cerebro concepta fuit, imago illa à matris imaginatione plerumque determinatur atque dirigitur. Motu itaque impresso brachio vel pedi ipsius matris, imago etiam sæpe imprimitur pedi vel brachio ipsius fœtus.

Cur generationis ratio non sit semper statuenda fieri per imagines, & corpore

Neque est, quod hinc quisquam colligat omnem generationis formationem ope imaginis, à toto generantium corpore sese seminalibus spiritibus vel humoribus, mediante æthere, imprimentis fieri. Nam spontaneæ nivis, stirpium, & animalium generationes, quæ à sola particularum dispositione, sine ullis talibus generantium imaginibus

bus intervenientibus, sponte fiunt, satis evidenter probant, talibus imaginibus non semper, ad generationem peragendam, opus esse. Uti idem etiam probant fœtus, qui omnibus membris integri, à parentibus, brachio, vel crure alterutro, vel utroque, vel alia parte mutilatis, generantur. *generantium semini impressas.*

Cum fœtus in utero est perfectus, & maturuit, *partu* in lucem editur; qui est fœtus in utero perfecti & maturi ex eodem editio. *Partus.*

Hujus præcipua causa est peculiaris quædam humorum, circa uterum gravidæ existentium, effervescentia, criticæ instar, circa tempus partus, contingens, uterumque ad excretionem fœtus stimulans: huc etiam accedit ipse fœtus maturus, qui ab humoribus uterinis, in excrementa jam magis abeuntibus, & effervescentibus vellicatus, molestiâ afficitur; qua ille vehementius calcitrans, motumque vehementiorem per nervos ad cerebrum matris deferens, aperit copiosos cerebri poros, in fibras uteri, & musculos abdominis, vicinarumque partium spectantes. His apertis, fluunt spiritus animales tam copiosè & vehementer ex ventriculis cerebri matris in illas partes, ut per vehementem illum eorum influxus impetum, membranæ fœtum involventes, item carnes uterinæ, jam ad separationem ex maturitate adaptatæ, ab utero separentur; uterus aperiatur; ossa pubis, coxendicis, coccygis, aliaque vicina, jam ab allapsu humorum emollita, laxentur; & fœtus jam egressum quærens, magno impetu cum suis involucris & appendicibus, ut membranis ipsum involventibus, vasis umbilicalibus, & placentâ uterinâ, foras expellatur. *Quomodo is fiat.*

Involucra illa & appendices, quia post fœtum communiter provenire solent, *secundinæ* nomine designari consueverunt. *Secundina.*

Cur fœtus jam natus, & ab involucris liberatus, necessario mox respiret: eoque pulmones suos raros faciat.

Fœtus ubi jam natus & à suis involucris & humoribus, quibus innatabat, liberatus est, ac jam in libero aere versatur, quia nervos respirationi inservientes habet præ coeteris nervis quam maxime patentes, & aërem utpote tenuem & levem, per epiglottidis rimam, aëris transitui satis aptum & patentem, in & extra oris pectoris & pulmonum cavitatem jam inspirare & exspirare viciſſim potest, hinc mox, fluentibus necessariò ultro citroque in musculos respiratorios spiritibus animalibus, necessariò etiam dilatat & contrahit viciſſim pectus, eoque dilatationis & contractionis motu inspirat & exspirat per vices aërem; quo pulmones ejus vehementer expansi & rarefacti liberant venam arteriosam ejusque ramos per illos dispersos ab illa pressione, quæ fecit, ut, quamdiu fœtus in utero materno existebat, sanguis ex dextro cordis ventriculo in pulmones, ob eorum densitatem, copiosè impelli non posset, ac proinde refrigerio & fermento aëris inspirati non indigeret.

Cur fœtus, qui in utero diu sine respiratione vixit; extra uterum, post respirationem aliquoties factam, sine respiratione vivere non possit.

Pressione autem illâ istorum vasorum, per inspiratum aërem, pulmones rarefacientem, ablatâ, pellitur mox, per latum venæ arteriosæ orificium, magna sanguinis quantitas ex dextro cordis ventriculo in pulmones; qui cum talis sit temperamenti, ut in sinistro cordis ventriculo rursus justè incendi & incalescere non possit, nisi antea in pulmonibus fuerit refrigeratus, & fermento aëris imbutus, hinc fit, ut fœtus, qui ante respirationem diu sine respiratione vivere potuit, & vixit; transeunte sc. sanguine copioso ex dextro cordis ventriculo, non per pulmones, utpote tum nimis densos, in sinistrum ventriculum, sed in arteriam magnam per canaliculum arteriosum, in doctrina de respiratione superius à nobis designatum: post respirationem, semel atque iterum factam, necessariò porro respirare debeat, &, si respiratio deinde impediatur, necessariò suffocetur.

Ut

Ut vero, propter jam commemoratam nervorum musculorumque respiratoriorum conformationem, foetus jam natus, & in aëre libero versans, necessariò, ratione jam dicta, aërem vicissim inspirat & exspirat; ita propter eandem nervorum & musculorum conformationem, foetus nondum natus, & inter liquores uterinos versans, necessariò isto suorum musculorum respiratoriorum motu reciproco, tum etiam necessariò contingente, impellit & expellit vicissim liquorem uterinum in & extra suum os; qui cum ob crassitiem & gravitatem suam, epiglottidis & laryngis rimam claudat, propellitur ille ultra asperæ arteriæ caput, hinc jam clausum, ad initium gulæ sive oesophagi; quod ab illo liquoris impulsu identidem irritatum, acquirit motum ope spirituum affluentium talem, quo liquorem uterinum per vices eò appulsum, vicissim etiam deglutiat.

Cur fœtus, in utero inter aquas uterinas existens, necessario illas identidem ore per impulsum recipiat, sive sugat, & in ventriculum deglutiat.

Ante dimidium annum foetus humanus non editur vitalis. Septimo mense editus, vitalis creditur. Octavo mense natus, nunquam superstes est secundum multos. Alii tamen hunc quandoque vitalem esse statuunt; & cur non æque aut magis vitalis sit, quam septimestris, nullam rationem sufficientem reddi posse putant.

Quis fœtus sit vitalis.

Verùm cum partus critica quædam evacuatio esse videatur, quæ septimo vel nono mense naturaliter & cum commodo foetus & parientis fieri consuevit, quemadmodum meliores crises morborum, septimo, decimo quarto, vigesimo, & similibus aliis fere septenariis, malæ vero sexto, octavo, aliisque, extra istos fere septenarios, diebus contingere solent: si itaque sexto, octavo, decimo, vel undecimo mense fiat partûs crisis, necesse est ut valida causa præternaturalis intervenerit, qua justum pariendi tempus anticipatum vel superatum fuit: eaque videtur esse ratio, cur foetus illis mensibus extraordinariis in lucem editus

Cur octavo mense natus raro in vita manere videatur.

tus, cum ab illa valida interveniente præternaturali causa graviter sit affectus, rarò in vita maneat, & non sit vitalis.

Communissimum mulierum pariendi tempus, & hodiernum, & antiquum.

Maxime autem commune mulierum pariendi tempus nunc est mensis nonus: uti olim decimus; quod antiquorum scripta passim testantur. *Vid. Phil. nat. l. 4. c. 14.*

Ex generationis jam propositæ depravatione oritur monstrum & mola: de quibus inferius agemus *lib. 2. c. 14.* in generationis vitiis,

CAPUT XII.

De actionibus animalibus cogitativis.

Actiones animales.

EXpositis actionibus naturalibus, aggrediamur nunc *animales*: quæ non tantum à naturâ partium, seu naturali temperie & conformatione; sed etiam vi animæ rationalis, sive mentis, perficiuntur, vel saltem perfici possunt.

Earum præcipuum instrumentum.

Harum præcipuum instrumentum est cerebrum; in quo consideranda substantia, ventriculi, vasa, & spiritus: quæ descripta videantur *in Ph. Nat. lib. 4. c. 16. p. 362. & seqq.*

Actiones animales sunt cogitativæ, & automaticæ sive sensitivæ simplices.

Actiones cogitativæ.

Actiones animales cogitativæ, quæ etiam cogitationes dicuntur, sunt, quæ nobis cogitantibus, sive ad rem attendentibus, à mente earum conscia, auxiliante corpore, exercentur. Sic sensatio, reminiscentia, imaginatio, & omnis similis operatio, cujus mens est conscia, est actio cogitativa.

Dico autem *auxiliante corpore*; quia nullæ actiones cogitativæ, sine corpore bene temperato & conformato, a mente fieri possunt, ut postea demonstrabimus.

Mens, sive anima rationalis.

Mens autem; sive *anima rationalis*, est internum illud principium sive facultas, quâ actiones illæ cogitativę primò peraguntur.

Genus

Genus in hac definitione est *internum principium, sive facultas*, quod menti cum facultate movendi, & quiescendi, aliisque, est commune. Reliqua ponuntur pro specifica differentia, mentem ab aliis facultatibus discernente.

Genus hujus definitionis & ejus specifica differentia.

Porro additur *primò*, ut excludantur instrumenta cerebri, & ideæ rerum in mente existentes, quibus actiones cogitativæ, non primò, sed secundò, sive instrumentaliter, perficiuntur.

Cur addita sit vox primò.

Istæ autem omnes actiones cogitativæ, quæ non sunt ex revelatione divinâ, sunt sensationes, vel ab iis mediatè, vel immediatè originem ducunt. Nam nihil possumus velle, dijudicare, reminisci, nec de quoquam imaginari, nec quicquam aliter percipere vel intelligere, nisi ejus idea per sensationem, mediatè, vel immediatè, in nobis antea producta, vel postea excitata, & menti oblata fuerit.

Omnes actiones cogitativæ sunt sensationes, vel inde ortæ.

Atque hinc patet sensum aliquem omnis cognitionis reliquarumque actionum cogitativarum esse principium; Ac proinde non esse omnis cognitionis principium, sive primum cognitum, *Cogito*; nedum, *cogito, ergo sum*. Hi enim sunt conceptus generales, qui ex speciali aliquo sensu primam originem duxerunt.

Hic vel ille sensus est omnis cognitionis principium: non vero cogito, ergo sum.

Quantum ad naturam rerum attinet, ea videtur pati, ut mens humana possit esse vel substantia, vel quoddam substantiæ corporeæ accidens; vel, si nonnullos alios Philosophantes sequamur, qui statuunt extensionem, sive magnitudinem corporis, & cogitandi facultatem mentis, esse attributa, quæ certis substantiis, tanquam subjectis, insunt; cum illa attributa non sint opposita, sed diversa; quippe quæ, licet in bestia dissentiant, in homine tamen, in quo sunt conjuncta & unita, optimè consentiunt: nihil obstat, quo minus mens possit esse attributum quoddam,

Quare mens possit esse substantia, vel accidens, vel attributum, eidem subjecto cum extensione inhærens.

eidem ſubjecto cum extenſione, ſive magnitudine corporea, conveniens, quamvis unum, in alterius conceptu, ut quidam volunt, non comprehenderetur: Cum omnium *diverſorum* hæc ſit natura, ut unum in alterius conceptu non comprehendatur, ſed tamen in eodem ſubjecto ſimul ſubſiſtere queant; ut formoſitas & facundia, doctrina & opulentia: quæ licet in uno diſſentiant, in alio tamen conſentire poſſunt. *Oppoſita* autem ita in ſuo conceptu ſe mutuo non includunt, ut nunquam eidem ſubjecto, ſecundum idem, ad idem, & eodem tempore, attribui poſſint; ut pax & bellum, libertas & ſervitus, viſus & cœcitas. Quicquid autem recte poſſumus concipere, id ſaltem per divinam potentiam poteſt eſſe: Atqui ut mens aliquid horum ſit, vel eſſe poſſit, concipi poteſt; nam nullum horum implicat contradictionem; cum mens, ſive ſit ſubſtantia, ſive accidens, ſive attributum; manebit tamen ſemper facultas cogitandi: Ergo ea aliquid horum eſſe poteſt.

Natura diverſorum, & oppoſitorum.

Objectionis ſolutio.

Nec obſtat, quod de corpore humano dubitare, de mente vero dubitare nequaquam poſſimus. Hoc enim illud tantum probat, quòd, quamdiu de corpore dubitamus, illam ejus eſſe accidens, vel attributum, certò dicere non poſſimus.

Error aliter ſentientium.

Errant itaque, qui aſſerunt, nos humanam mentem clarè & diſtinctè, tanquam neceſſariò à corpore realiter, ſive ut ſubſtantiam à ſubſtantia, diſtinctam concipere.

Scimus ex SS. LL. mentem eſſe ſubſtantiam.

Quod autem mens revera nihil aliud ſit, quam ſubſtantia, ſive ens realiter à corpore diſtinctum, & actu ab eo ſeparabile, & quod ſeorſim per ſe ſubſiſtere poteſt, id in Sacris literis, plurimis in locis nobis eſt revelatum. Atque ita, quod per naturam, ſi accuratam, & non moralem ſive probabilem rerum veritatem & cognitionem quæramus, dubium eſſe poteſt, per divinam in Sacris revelationem jam eſt indubitatum.

Mens

Mens humana, quamvis sit substantia à corpore realiter distincta, in omnibus tamen suis actionibus peragendis, quamdiu est in corpore, est corporeorum organorum indigens; & per consequens extensionem instrumentorum corporeorum in suo conceptu includens. Atque hoc ex eo patet, quod, pro varia corporis dispositione, cogitationes mentis sint variæ, ut apparet in mente sanis, & deliris; & interdum etiam nullæ, uti manifestissimum est in gravi apoplexia, epilepsia, catalepsi, syncope, & uterinâ suffocatione.

Mens in omnibus actionibus indiget extenso corpore; ideoque in ejus conceptu est extensio organorum.

Atque hinc patet mentem non in cogitando sive cogitatione, sed in sola facultate cogitandi, quæ non semper est actuosa, consistere; ac proinde illam nullo modo actum purum, sed sæpe nudam potentiam, sive facultatem meram, esse dicendam.

Mens non in cogitatione, sed in sola facultate cogitandi consistit: nec ullo modo actus purus dicenda.

Corpus autem semper se extendit; quia ad extensionem suam nullius auxilio vel ministerio indiget: mens verò non semper cogitat; quia sæpe corpore bene temperato & conformato, ipsi ad cogitandum necessario, non est instructa.

Cur corpus semper se extendat; mens verò non semper cogitet.

Cum hæc sit naturæ, à corpore & corporis dispositione planè diversæ, nec ab hac oriri queat, ea est, &, etiamsi esset tantum quoddam substantiæ corporeę accidens, ea nihilominus foret incorruptibilis, sive, ut vulgo loquuntur, immortalis. Nihil enim esset in rerum natura, quod accidens illud posset destruere.

Mens licet esset accidens; esset tamen incorruptibilis.

Cum mens in solo sensorio communi cerebri, quod ego conarion esse existimo, (quia nulla alia pars, quæ isti officio sit commodior & aptior, meo judicio, dari potest,) actiones suas cogitativas immediatè exerceat; generatioque & alitura à mente non peragantur, quia earum non est conscia; nulla causa est cur eam in aliâ corporis parte, quam in isto sensorio communi, existere statuamus.

Mens est in solo conario; idque est sensorium commune.

Mens non est tota in toto, & in singulis partibus tota.

Errant itaque, qui animam rationalem totam in toto, & in singulis partibus totam existere asserunt. Præsertim cum ea, ut ex Sacris patet, sit substantia incorporea, quæ nullas partes, nec ullum totum, in suo conceptu habet.

Apodictica rerum scientia est a S. literis; non à natura.

Cum mens æquè ab imaginariis, atque à veris, affici queat, hinc non moralem, sive probabilem, sed exquisitam & accuratam veritatis cognitionem quærenti, per naturam dubium est, an ulla vera corpora, an vero imaginaria tantum phantasmata à nobis revera percipiantur. Verùm etiam hoc dubium tollit divina in Sacris revelatio, quâ indubitatum est, Deum coelum & terram, & omnia, quæ iis continentur, creasse, & etiamnum conservare.

Objectionis solutio.

Neque est, quod quisquam hic objiciat; Deum, qui, cum sit perfectissimus, decipere non potest, nos tamen decepturum, si res nobis apparentes, & ab ipso factæ, possent esse tantum mera phantasmata, & non revera talia corpora, qualia vulgò ea esse credimus & judicamus. Nam utrumque quod hic asseritur, non est admittendum. Deus enim, pro summâ & liberrimâ suâ, quam in omnia habet, potestate, fallaciâ potest uti, primò innocuâ & sapienti, quali ex. gr. medici & prudentes patresfamilias nonnunquam utuntur; & deinde pœnali, quo Deus interdum utitur in improbis puniendis, ut testatur S. scriptura. *Rom.* 1.28. *Ezech.* 14.9 Nec uterque ille dolus ullam in Deo imperfectionem, sed bonitatem, justitiam, prudentiam, & potentiam summam, quando ipsi isto uti placet, arguit. Præterea, si homines mera phantasmata, quæ Deus forsan ipsis objiceret, pro veris corporibus haberent, atque in eo fallerentur; tum non Deus homines istos falleret, sed homines isti fallerent se ipsos. Possent enim de rei veritate judi-

cium

cium suspendere; & ea quæ apparent, pro verisimilibus tantum habere, atque ita deceptionem evitare:

A natura est tantum probabilis scientia; quæ vitæ humanæ etiam in religiosis actionibus sufficit.

Quamvis autem, citra divinam revelationem, nulla apodictica, sed sola moralis, sive probabilis, & verisimilis rerum, extra mentem nostram existentium, sit certitudo: ea tamen omnibus vitæ humanæ actionibus, etiam religiosis, satis bene peragendis & dirigendis sufficit. Cum ad illas nihil aliud, quam moralis & probabilis cognitionis certitudo & verisimilitudo requiratur; ut passim docet experientia; ipseque noster Servator testium exemplo innuit. *Matth.* 18. 16.

Mens non indiget ullis ideis, notionibus, vel axiomatis innatis.

Mens, sive facultas cogitandi humana, non indiget ullis ideis, notionibus, vel axiomatis innatis, quæ vel qualia passim post antecedentes perceptiones, ex reminiscentia, imaginatione, & judicio, in ipsa observantur. Sed ipsa sola, organis suis rectè instructa, ad omnes suas cogitationes, tum priores, tum posteriores peragendas, sine ullo tali innato auxilio, sibi ipsi sufficit. Recte itaque mens recens nati dicitur esse instar tabulæ rasę; cui nihil sit inscriptum, sed omnia inscribi possunt.

Unde communes notiones oriantur.

Atque ideo omnes communes notiones, menti insculptæ, ex propriâ rerum observatione, vel aliena traditione originem ducunt.

Unde idea Dei.

Imo ipsa idea Dei, menti insita, est vel ex revelatione divina, vel traditione humana, vel rerum admirandarum in mundo existentium propriâ nostrâ observatione, & inde factâ collectione sive conclusione, orta: nequaquam, vero nobis innata.

Idea Dei, in mente nostra extstens, non recte probat existentiam Dei.

Conceptus noster de Deo, sive idea Dei, in mente nostra existens, non est satis validum, nedum omnium validissimum argumentum, ad existentiam Dei probandum. Cum non omnia existant, quorum conceptus vel ideæ in nobis observantur: atque hęc idea, utpote à nobis concepta

cepta, idque inadæquatè, ac proinde imperfectè, non magis, quam cujusvis alîus rei conceptus, vires noſtras cogitandi proprias ſuperet.

Exiſtentia neceſſaria ſi ſit in idea Dei, illa probat tantum Deum poſſe exiſtere.

Nec obeſt, quod in ideâ ſive conceptu Dei, in mente noſtrâ exiſtente, exiſtentia non tantum actualis, ſed etiam neceſſaria, comprehendi dicatur. Nam hinc non ſequitur, quod Deus jam, non tantum actu, ſed etiam neceſſariò exiſtat; ſed ſolummodo, quod cum, ſi, aut quando Deus exiſtit, cum ille tum ſit omnium potentiſſimus, nec â quoquam de exiſtentiæ ſtatu deturbari poſſit, ille tum idcirco non contingenter, ſed neceſſariò exiſtat; ſive quod propter hanc ſummam ſuam potentiam, ille tum ita exiſtat, ut non poſſit à quoquam deſtrui, ac proinde non poſſit non exiſtere. Rei enim cujuslibet, rectè, ut putamus, ſecundum eſſentialia attributa comprehenſæ, conceptus ſive idea in mente exiſtens, non ſignificat vel probat, rem illam ita comprehenſam, ſive mente conceptam, jam certò exiſtere; ſed tantum nihil, noſtro judicio, obſtare, quo minus illa ita, ut à nobis concepta eſt, aliquando, hoc eſt, nunc, vel alias, exiſtere queat.

Quidam negant in idea Dei eſſe exiſtentiam neceſſariam.

Præterea ſi res bene conſideretur, petitio principii, ex quorundam judicio, deprehenditur in illa aſſertione, qua in conceptu ſive idea Dei actualis & neceſſaria exiſtentia neceſſariò comprehendi dicitur; illa enim tantundem valet, ac ſi quis diceret, Deus neceſſariò concipitur, ut actu & neceſſariò jam exiſtens; quod eſt illud ipſum, quod eſt in quæſtione; atque à Plinio, aliiſque cum ipſo ſentientibus, negatur, qui mundum ab æterno, per ſe, & à nullo exſtitiſſe, vel exiſtere potuiſſe, dicunt: ac proinde neceſſariam & actualem Dei exiſtentiam neceſſariò concipiendam negant; ſed vel nullam, vel tantum poſſibilem ejus exiſtentiam ſtatuendam cenſent.

Idea Dei,

Idea autem Dei, in mente noſtra exiſtens, nihil aliud eſt,

est, quam nota, vel signum in mente existens, cujus ope Deum cognoscere possumus, vel quæ nobis Deum qualicunque modo in intellectu repræsentare est apta. Alii alias significationes ipsi etiam attribui volunt; sed quacunque significatione vel quocunque modo sumatur, homine tamen præstantior non est; quia nec est Deus, nec homo, sed accidens quoddam in mente humana existens, quo Deum qualicunque modo cognoscere possumus; ac proinde propriis suis viribus eam homo formare in se potest.

qua in mente existit, est tantum quoddam accidens, atque ideo humanis viribus formari potest.

Optimè autem & omnium firmissime, ut omnium aliarum rerum, ita vera Dei existentia, etiam apud gentiles & irreligiosos probatur per revelationem divinam in sacris literis factam. Quicunque enim auctoriatem S. scripturæ, & Divina miracula in ea tradita negare aut rejicere audebit; ille multò facilius quævis alia argumenta rejiciet, aut rejicere saltem poterit. *Plura Vid. in Phil. Nat. l. 5. c. 1.*

Optima existentia Divina probatio, etiam apud gentiles & irreligiosos, est ex SS. literis. Et quare.

Actiones cogitativæ sunt duæ: intellectus & voluntas.

Hæ itaque hîc non facultates, sed mentis operationes significant.

Intellectus est cogitatio, sive actio cogitativa, quâ homo res objectas cognoscit.

Intellectus.

Eaque est perceptio & judicium. Tum enim res bene cognitæ existimantut, cum illæ bene perceptæ & dijudicatæ fuerint.

In quo consistat recta rerum intelligentia.

Perceptio est intellectus, quo res mente percipimus; sive objecta cum attentione recipimus.

Perceptio.

Hæc triplex est; sensus cogitativus, reminiscentia & imaginatio cogitativæ.

Sensus cogitativus, qui synecdochicè *sensus* dicitur, est perceptio, quâ motus, à corpore aliquo objecto fibrillis nervorum satis validè impressus; & in cerebrum delatus; & sensorio communi sive conario, mediantibus spiritibus anima-

Sensus cogitativus.

animalibus, ventriculis cerebri contentis, communicatus, à mente in sensorio communi percipitur.

Quomodo motus, qui est in sensatione, per organa in cerebrum, & ad commune mentis sensorium deferatur.

Cum enim *nervi* duabus constent partibus, *membrana* sc. duplici, ab utraque cerebri membrana ortum habente, atque in tubulos excavata, & *fibrillis* tenuissimis ab ipsa cerebri substantia ortis, ac in partes sive sensoria per medios tubulos productis, iisque inclusis: & tubuli illi nervorum semper in vigilia aliquantum à spiritibus animalibus sint inflati & distenti, ita ut inclusæ fibrillæ, licet se mutuo multis in locis leviter contingant, attamen, cum sint ab omni pressione liberę, si ab objectis moveantur, motum suum etiam per membra flexa & incurvata quibus intenduntur, ad cerebrum transmittant; quemadmodum fides testudini intensa & plectro mota, ad extremos suos fines motum diffundit: Cumque ventriculi cerebri perpetuò a spiritu animali in vigilia, instar veli a vento tumidi, sint distenti; & conarion sive glandula pinealis, quæ est circa medium ventriculorum cerebri, a spiritibus animalibus undique cingatur & perfundatur: Itaque, quicunque motus fibrillis nervorum impressus, ad cerebrum diffunditur, is necessario etiam contiguis spiritibus, in ventriculis cerebri existentibus, imprimitur, ac illorum ope, glandulæ pineali, quæ est sensorium commune, ibidemque animæ, inter partes ejus, in unum ibi coeuntes, existenti, communicatur.

Ad sensum non requiruntur species intentionales.

Motus, qui sensu percipitur, est motus localis, atque ideo nullæ hic requiruntur species intentionales.

Sensuum discrimina, & eorum causa.

Sensus est quintuplex: visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.

Hæc sensuum discrimina, tum ex eo oriuntur, quod nervorum fibrillæ tenuitate & crassitie valde inter se differant; tum quod sensoria varie sint temperata & conformata; tum quod corpora moventia, tam objecta, quam media,

media, sint varia. Hinc enim varij oriuntur motus, qui diversimode percepti varios faciunt sensus. *Vid. Phil. Nat. l. 5. c. 2.*

Visus est sensus, quo ex justo fibrillarum nervi optici in fundo oculorum motu, eoque in cerebrum & ad sensorium commune, sive conarium, delato, anima nostra lumen, colorem, situm, distantiam, magnitudinem, numerum, & figuram rerum visibilium objectarum, percipit. *Visus.*

Auditus est sensus, quo ex justo fibrillarum nervi auditorii motu, auribus impresso, & in cerebrum ad sensorium commune delato, anima nostra sonos percipit. *Auditus.*

Odoratus est sensus, quo ex justo motu fibrillarum nervi odoratorii, circa basin anterioris partis cerebri, prope os cribriforme siti, anima in cerebro odores percipit. *Odoratus.*

Gustus est sensus, quo ex justo motu nervi gustatorii, linguæ inserti, anima sapores percipit. *Gustus.*

Tactus est sensus, quo ex justo motu nervorum tactoriorum, per totum corpus diffusorum, calor, frigus; humiditas, siccitas; gravitas, levitas; mollities, durities; asperitas, lævitas; dolor, titillatio; aliæque tactiles qualitates, ab anima percipiuntur. *Tactus.*

De Visu vide *Phil. Nat. Cap. 3. lib. 5.* & de Oculo, quo visus peragitur, *eod. libr. Caput. 4.*

De reliquis verò sensibus, videatur *eod. libr. Caput. 5.*

Sensus peragitur in vigiliâ, cessat in somno.

Vigilia est ventriculorum cerebri & nervorum dilatatio & expansio, à sufficiente copiâ & motu spirituum animalium orta; quâ organa sensoria & motoria à pressione libera evadunt, ad motus objectorum sensorio communi, circa cerebri medium, offerendos; & motus partium recte peragendos. *Vigilia.*

Somnus est ventriculorum cerebri & nervorum, eorumque *Somnus.*

que pororum considentia & angustatio, à deficiente justo motu vel copiâ spirituum animalium cerebri originem ducens: quâ organa sensoria & motoria sistuntur, & inepta sunt, ad motus objectorum, ad cerebrum & sensorium commune usque, deferendos; motusque partium recte efficiendos.

Cur in somno perseveret respiratio.

Manet autem in somno respiratio, licet alii motus partium in eo cessent; quia nervi respiratorii, præ aliis nervis, latiores & magis patentes habent poros: atque ideo illi à subsidente in somnis cerebro comprimi & claudi non possunt.

De vigiliâ & somno Vide *Phil. Nat. lib.* 4. *c.* 16. *pag.* 371. *& seq.*

Reminiscentia,

Porrò *reminiscentia* est perceptio, quâ rerum antea perceptarum ideæ, menti in sensatione vel aliâ perceptione impressæ, per earum vestigia, vel imagines cerebro impressas, vel voces, vel alia earum signa oblata, animæ, mediantibus spiritibus animalibus cerebri, in sensorio communi, rursus offeruntur.

Spontanea.

Voluntaria.

Eaque est vel *spontanea*, dum ex cerebri vel spirituum motu imaginens istæ sive notæ sponte animę in conario objiciuntur. Vel ea est *voluntaria*, dum anima ope glandulæ pinealis & spirituum animalium, imagines in cerebro pictas quærit & invenit, easq; interdum varie inter se confert.

Imaginatio.

Imaginatio vero est perceptio, quâ novæ imagines & ideæ, è vestigiorum cerebri variâ mutatione, vel spirituum animalium certâ dispositione & motu, vel aliâ novâ imaginum & idearum antea perceptarum oblatione, genitæ, vel productæ, menti offeruntur.

Quomodo ea fiat per mutationem vestigiorum cerebri.

Mutatio illa vestigiorum cerebri fit, dum vestigia ista vel composita, vel ampliata, vel imminuta, vel separata, vel detorta, vel inter se comparata aut collata, menti objiciuntur. Ita ex conjunctione imaginis sive notæ ignis, capitis

capitis leonis, thoracis & ventris capri, ac caudę serpentis, producitur per phantaſiam chimæra: atque ex detractione extenſionis corporeæ à re agente vel exiſtente, facile fit cogitatio de rebus incorporeis, quales ſunt Deus, angelus, mens. Atque ex detorſione imaginis ſive notæ, ex. gr., naſi, fit imaginatio de naſo monſtroſo. Et ex negatione & detractione finis a re exiſtente, facillimè concipitur infinitum.

Idque etiam in ideis incorporeorum & infiniti efformandis & conſiderandis.

Imaginatio itaque ſive phantaſia non tantum ſimpliciter magnitudines & figuras rerum corporearum; ſed etiam ideas rerum incorporearum, ut mentis humanæ, & infiniti, ut Dei, aliorumque, per analogiam conſiderat, atque efformat.

Diſpoſitio verò illa & motus ſpirituum oritur ex certo eorum in veſtigia cerebri impulſu & reſultu, quemadmodum varias imagines ex impulſu & reſultu aquarum in fontibus & fluminibus fieri videmus. Item ex peculiari ſpirituum temperamento, quo, ad has vel illas imagines ſuſcipiendas, vel per varium motum ſuum, ad has vel iſtas cogitationes vel ideas in mente antea exiſtentes, quamvis hæ cum motibus illis nullam ſimilitudinem habeant, excitandas vel exhibendas ſunt apti, ut apparet in maniacis, pheniticus melancholicis, ſanguineis, bilioſis, qui hinc varias habent imaginationes.

Quomodo per certam ſpirituum diſpoſitionem vel motum; licet nullam cum phantaſmatis habeant ſimilitudinem.

Ut enim per conſuetudinem facti ſumus, ut ubi audimus certos motus vocum, ut, ex. gr., vocis *homo*, quia ideam ejus in mente impreſsam habemus, cogitemus de animali rationali, cum quo vox illa nullam ſimilitudinem habet; ita per naturam, ſive ob innatam quandam peculiarem mentis facultatem paſſivam, facti eſse videmur, ut per certum motum ſpirituum, ut, ex. gr., melancholicorum, triſtes & deliræ; & per motus ſpirituum maniacorum, iracundæ & feroces cogitationes, quarum ideæ antea in

Cur per certos vocum motus prolatos, nullam ſimilitudinem cum rebus ſignificatis habentes, variæ in nobis excitentur

cogitationes, & ideæ, in mente antea existentes.

mente ab objectis erant impressæ, in mente producantur; quamvis ille spirituum motus cum rebus illis cogitatis nihil similitudinis habeat.

Phantasia.

Imaginatio est vel vigilantium, & synedochicè *phantasia* vocatur; vel dormientium, & dicitur *insomnium.*

Insomnium.

Memoria.

Reminiscentiæ & imaginationi inservit *memoria*; quæ est notarum sive vestigiorum, ab objectorum oblatorum motu, plicatilibus cerebri fibrillis, variis in locis, impressorum, retentio.

Nisi enim rerum objectarum vestigia, cerebro impressa, in eo aliquamdiu retineantur, nullius rei homo reminiscì, nec de ullâ re imaginari potest.

De reminiscentiâ & imaginatione Vide *Ph. Nat. lib. 5. c. 7*

Iudicium.

Judicium autem est intellectus, quo mens naturas & circumstantias, rerum perceptarum perpendit & dijudicat.

Naturæ rerum sunt earum essentiæ; vel causæ essentiales. Eaque sunt substantia vel accidentia.

Naturæ rerum sunt ipsæ earum esentiæ, vel causæ eas constituentes; materia sc. & forma.

Essentiæ sunt vel *substantiæ*, quæ per se solę, & ab aliis separatæ, posunt subsistere: ut corpus humanum, & ejus membra. Vel sunt *accidentia*, quæ per se sola, & ab aliis separata, subsistere non posunt: ut corporis humani color & figura; vis movendi & quiescendi, quæ est in materia, sive in corpore in genere considerato.

Circumstantiæ rerum.

Circumstantiæ rerum, sunt causæ earum efficientes & finales: item subjecta, adjuncta: præterea diversa, & opposita, (quæ posteriora sunt disparata, relata, adversa, contradicentia, & privantia:) nec non paria, majora, minora, similia, dissimilia: adhæc conjugata, notatio: definitio, distributio, (quo pertinet totum, pars; integrum, membrum; genus, species:) & denique testimonium.

Cur ea notiones, argumen-

Eaque omnia notionum, argumentorum, & terminorum nomine vulgò designari solent: propterea quod eorum

rum ope res nobis in dijudicando innoteſcant, arguantur, ac determinentur. *Vide de his Dialect. P. Rami lib.* 1. *ta, & termini vocentur.*

Hujus partes ſunt duæ; perpenſio, & deciſio. *Judicii partes.*

Perpenſio eſt eſſentiæ rei perceptæ, & ejus circumſtantiarum conſiderata examinatio. *Perpenſio.*

Eaque etiam ſine *dubitatione* rectè, in rerum perſcrutatione, & inveſtigatione, inſtitui poteſt.

Hæc niſi à accurata & exacta fuerit, facile in decidendo committitur error, vel culpa.

Deciſio eſt de re percepta & perpenſa ſententiæ prolatio. *Deciſio.*

Eaque eſt *affirmativa*, qua rebus conſentanea attribuimus; vel *negativa*, qua diſſentanea ab iis rejicimus.

Judicium aliud *firmum*, quo ex perceptione perpenſione vel mentis illuſtratione bene determinati, quæſtionem firmiter decidimus: Aliud eſt *vacillans*, quo in decidendo, ex perpenſione non ſatis firmiter determinati, vacillamus. *Judicium firmum.* *Vacillans.*

Deinde judicium, aliud *rectum* ſive *verum*, quod de rebus, quantum poteſt clare & diſtincte perceptis & recte perpenſis, judicat, uti rebus eſt conveniens. *Pravum* ſive *falſum* judicium eſt, quod contrario modo ſe habet. *Verum.* *Falſum.*

Modus judicii eſt *noeticus* ſive *axioma*, quo mens duorum argumentorum ſive terminorum diſpoſitione, rem eſſe, vel non eſſe dijudicat; vel *dianoëticus*, quo mens aliud axioma ex alio deducit. *Modi.* *Noeticus.* *Dianoeticus.*

Eſtque *ſyllogiſmus*, qui eſt dianœa, qua quæſtio cum argumento tertio ita diſponitur, ut poſitâ propoſitione & aſſumtione, ea neceſſariò concludatur; vel *methodus*, quæ eſt dianœa variorum axiomatum homogeneorum, pro naturæ ſuæ claritate præpoſitorum. *Vide de his Dialect. P. Rami lib.* 2. *Syllogiſmus.* *Methodus.*

De Judicio Vide *Phil. Nat. lib.* 5. *caput.* 8. *p.* 474. *& ſeq.*

Atque hæc de intellectu. *Voluntas* eſt cogitatio, quâ homo *Voluntas.*

homo res intellectas libere amplectitur, vel rejicit.

Ejus libertas. Voluntas in naturalibus non tantum libera est à coactione; sed etiam ab omni necessitate: ita ut ad opposita sit indifferens. Idque ipsa nobis testatur conscientia.

Ejus determinatio. Hæc se ipsam ad volendum, ut intellectus se ad intelligendum, proximè determinat, sive dirigit.

Ejus differentia vel modi. Hæc fit vel solo animo, vel animo simul & corpore.

Motus arbitrarius. Posteriori voluntatis modo inservit *motus arbitrarius*; quo corpus nostrum pro mentis arbitrio, ad res prosequendas vel fugiendas, de loco in locum, per spiritus, in musculos, qui justis valvulis, membranis, & poris, sunt instructi, à mente determinatos, eosque secundum latitudinem dilatantes, secundum longitudinem verò contrahentes, & partes alligatas moventes, transfertur.

Quomodo partes pro arbitrio mentis flecti, tendi, & alternatim hac & illac moveri queant. Ut autem motus arbitrarius partium, modò hac, modò illac fieri & alternari, parsque aliqua per eum ex nostrâ voluntate tendi possit; musculi, oppositis motibus inservientes, habent non tantum valvulas & poros ex cerebro in musculorum cavitates, sed etiam ab uno musculo in alterum oppositum musculum, per intermediam membranam vel carnes, vicissim spectantes. Quo fit, ut spiritus à mente, modò in oppositorum musculorum unum, modò in utrumque, modò alternatim in hunc, modò in illum, determinentur; atque ita motus quilibet & partium tensio, pro mentis arbitrio peragatur.

De Voluntate Vide *Phil. Nat. l. 5. caput. 9. p.* 477. & de Motu arbitrario *ibid. caput.* 10. *p.* 482.

CAPUT XIII.

De Animi affectibus.

Quando in nobis fiant ani- ACtiones cogitativæ, jam explicatæ, fiunt vel sine, vel cum vehementiore spirituum animalium, in ventriculis

triculis cerebri existentium, motu. Ubi vehementior spirituum motus ab illis abest, illę sunt pacatæ & tranquillæ, simplicibusque cogitationum jam enumeratarum nominibus designantur. Cum verò inter cogitandum spiritus illos vehemcntius in ventriculis cerebri moveri contingit, tum turbantur ab illo vehementiore spirituum motu cogitationes, mensque & corpus vehementius ab illis afficiuntur. Atque hinc illæ tum latine animi affectus, & passiones animi, & græcè pathemata vocantur.

mi affectus; & quando non.

Est itaque *animi affectus* cogitatio, cum vehementiore spirituum animalium, in ventriculis cerebri existentium, motu conjuncta; quo animus sive mens, cum corpore, vehementius afficitur.

Quid animi affectus.

Motus ille spirituum animalium, affectus animi efficiens, oritur *vel* à determinatione mentis cogitantis; *vel* ab ipso spirituum temperamento; *vel* ab objectis spiritus illos moventibus. Eæque causæ se mutuò excitant, augent, vel immutant.

Unde motus spirituum, qui est in affectibus.

Quia affectus sunt cogitationes, eæque in solo cerebro à mente fiunt, mentemque ibidem immediatè & pręcipuè afficiunt; idcirco *eorum sedes primaria & præcipua* est cerebrum: quia verò à spirituum illo, in cerebro, motu, cogitationes istas affectuosas comitante, etiam cor aliæque corporis partes per spirituum in illas influxum, fortius & vehementius afficiuntur; quæ deinde mediantibus nervis cerebrum & in eo mentem vicissim afficiunt; ideoque etiam cor aliæque partes ab iis affectæ, & mentem deinde etiam afficientes, eorum quoque *sedes*, sed *secundaria* dici possunt.

Affectuum sedes primaria, & secundaria.

Spiritus animales cerebri, pro vario suo motu varios affectus excitante, apti sunt, instar variarum clavium, varios cerebri & nervorum aperire poros: atque hinc, quia in variis affectibus est varius spirituum motus & determi-

Quomodo motus spirituum, affectus efficiens,

variàs partes corporis possit afficere.

terminatio, fluunt etiam spiritus, in variis affectibus, variè in diversas partes, easque diversimode afficiunt; ut ex risu & rubore, qui gaudium; & fletu ac pallore, qui tristitiam comitantur, patet.

Affectus species.

Affectus, ob duplicem spirituum motum, hos excitantem, sunt duo: voluptas & dolor.

Voluptas.

Voluptas est animi affectus, per gratum motum spirituum animalium, mentem sive animum jucunditate perfundens.

Quomodo in eâ spiritus determinentur.

In voluptate, spiritus animales, tum ab objectis, tum à suo temperamento, tum à mente, sæpe ita determinantur, ut illi apti evadant copiosius influere in cordis & vasorum ejus fibras dilatatorias & expulsorias: quo fit, ut sanguis in cor copiosius ingressus, ibique intentius calefactus, & deinde largius per corpus distributus, gratum totius corporis calorem & ruborem excitet.

Dolor.

Dolor est affectus animi, per ingratum, spirituum animalium motum, mentem molestiâ afficiens.

Quomodo in eo spiritus determinentur.

In dolore spiritus animales in cerebro, tum ab objectis, tum à mente, tum à suo temperamento, sæpe ita determinantur, ut illi ex cerebro sese insinuent in fibras, quæ cordis orificia & vasa arctant, & copiosi sanguinis in illud ingressum, & ex eo egressum impediunt; unde postea corpus, ob sanguinem non satis calefactum & parce distributum, refrigeratur & pallore perfunditur.

Distinctio doloris & voluptatis secundum varias cogitationes.

Affectus doloris & voluptatis afficiunt hominem, vel *in perceptione* sensus, reminiscentiæ, & imaginationis, ac præcipuè in sensu tactus. Ac tum vel *voluptatis & doloris sensitivi*, vel senecdochice generali *voluptatis & doloris* nomine designantur: quia affectus voluptatis & doloris, qui sensibus, & præsertim tactu percipiuntur, fortius, quam ullæ aliæ voluptatis vel doloris cogitationes, nos afficiunt.

Voluptas & dolor sensitivus.

Vel

Vel afficiunt nos in *judicio*: & appellantur *lætitia* & *triſtitia*. Quo pertinent gaudium, moeror; ſpes, metus; beneficentia, ira; favor, invidia.

Lætitia eſt voluptas ex judicio rei gratæ orta. *Lætitia.*

Triſtitia eſt dolor ex judicio rei ingratæ natus. *Triſtitia.*

Gaudium eſt lætitia ex judicio boni acquiſiti. *Gaudium*

Moeror eſt triſtitia ex judicio mali, quod nacti ſumus. *Moeror.*

Spes eſt lætitia ex opinione deſideratum bonum adipiſcendi. *Spes.*

Metus eſt triſtitia, ex opinione mali acquirendi. *Metus.*

Beneficentia eſt lætitia, ex opinione beneficii accepti orta, & deſiderio illud beneficio compenſandi comitata. *Beneficentia.*

Ira eſt triſtitia, ex opinione injuriæ illatæ nata, & vindictæ cupiditate conjuncta. *Ira.*

Favor eſt lætitia ex judicio boni ab altero, cui bene cupimus, acquiſiti. *Favor.*

Invidia eſt triſtitia ex Judicio boni ab altero, cui male volumus, comparati. *Invidia.*

Vel afficiunt nos *in volendo*: & vocantur *amor* & *odium*. Quò ſpectant cupiditas, averſatio: amicitia, inimicitia: lenitas, crudelitas.

Amor eſt rei intellectæ cùm voluptate amplexio. *Amor.*

Odium eſt rei intellectæ cum dolore rejectio. *Odium.*

Cupiditas eſt amor rei acquirendæ. *Cupiditas*

Averſatio eſt odium rei comparandæ. *Averſatio*

Amicitia eſt, amor ejus, quem parem nobis putamus. *Amicitia.*

Inimicitia eſt odium ejus, quem parem nobis exiſtimamus. *Inimicitia.*

Lenitas eſt aliis parcendi amor. *Lenitas.*

Crudelitas eſt aliis parcendi odium, & graviter aliis nocendi amor. *Crudelitas.*

Vel denique ab his affectibus afficimur *in rebus intellectis, per motum arbitrarium, fugiendis vel proſequendis*: &

illi *alacritatis* vel *languoris* appellatione insigniri consueverunt. Eoque referenda, audacia, timor: animositas, pusillanimitas: diligentia, ignavia.

Alacritas — *Alacritas* est voluptas, ex rebus per motum arbitrarium prosequendis vel avertendis orta.

Languor. — *Languor* est dolor ex rebus, per motum arbitrarium prosequendis, vel avertendis, profectus.

Audacia. — *Audacia* est alacritas in rebus difficilibus & periculosis aggrediendis.

Timor. — *Timor* est in rebus difficilibus & periculosis aggrediendis languor.

Animositas. — *Animositas* est alacritas in rebus magnis tentandis. Et si tentamen illud fiat ad exemplum aliorum, vel certando cum aliis, tunc vocatur *æmulatio*.

Pusillanimitas. — *Pusillanimitas* est languor in rebus magnis tentandis.

Diligentia. — *Diligentia* est in rebus nostri officii peragendis alacritas.

Ignavia. — *Ignavia* est in rebus nostri officii peragendis languor.

Reliqua, ad affectus animi pertinentia, vide *in Phil. Nat. lib. 5. c. 11. pag. 487. & seqq.*

CAPUT. XIV.

De Actionibus animalibus automaticis.

Actiones. Animales Automaticæ. — SEquuntur jam *actiones animales automaticæ:* quæ animâ, seu mente, ad rem non attendente, per solum quidem organorum animalium, nempe spirituum, nervorum, cerebri, & musculorum, ab objecto interno vel externo agitatorum, motum, ab homine tanquam aliquo automato, aut instar bruti alicujus animalis, peraguntur; sed à mente tamen, si attendat, perfici possunt.

Earum exempla aliqua. — Hujusmodi actiones inter ambulandum, ex. gr. & attentius cum aliis colloquendum, in nobis observantur; ubi inscii spiritum ducimus, pedes movemus, & non-

nun-

nunquam etiam alios, nos salutantes, resalutamus.

Actiones animales automaticæ sunt tres: receptio, appetitus sensitivus simplex, & motus spontaneus. *Earum species.*

Receptio est actio animalis automatica, quâ motus rerum objectarum sine mentis attentione recipimus. *Receptio.*

Hæc triplex est: sensus simplex, reminiscentia simplex, imaginatio simplex.. *Ejus differentia.*

Sensus simplex est receptio, quâ motus à corpore aliquo objecto fibrillis nervorum impressus, & in cerebrum delatus, tandem conario, mediantibus spiritibus animalibus, satis validè communicatur. *Sensus simplex.*

Hic est quintuplex: simplex visus, auditus, olfactus, gustus, tactus.

Visus simplex est simplex sensus, quo ex varia globulorum æthereorum, in retinam oculi satis validè impingentium, motu, ab homine simpliciter, sive citra mentis attentionem, sentitur lumen, & color. *Visus simplex.*

Auditus simplex est s. sensus, quo ex vario aëris circumstantis motu tremulo, tympanum auris verberante, simpliciter sentiuntur soni. *Auditus simplex.*

Olfactus simplex est s. sensus, quo, ex diverso nervorum, radici narium circa os cribriforme implantatorum, motu, simpliciter sentiuntur varii corporum terrestrium, in particulas minimas dissolutorum, & in aëre volantium, & satis validè agentium, eoque delatorum, odores. *Olfactus simplex.*

Gustus simplex est s. sensus, quo ex diverso nervorum linguæ & vicinarum partium motu, simpliciter sentiuntur corporum terrestrium, in ore dissolutorum, & cum saliva mixtorum, sapores. *Gustus s.*

Tactus simplex est s. sensus, quo tactiles quorum vis corporum terrestrium qualitates, ut calor, frigiditas, humiditas, siccitas, lævitas, asperitas, gravitas, levitas, dolor, voluptas, aliæque similes, ex diverso nervorum, *Tactus s.*

per totum corpus disperſorum, motu, mediante cute, ſimpliciter ſentiuntur.

Reminiſcentia.

Reminiſcentia ſimplex eſt receptio, quà motus rerum antea receptarum, per veſtigia, cerebro à ſenſu olim impreſſa, ſenſorio communi ſimpliciter iterum offeruntur.

Imaginatio.

Imaginatio ſimplex eſt receptio, quâ novæ imagines, è veſtigorum, cerebro à ſenſu olim impreſſorum, variâ mutatione, vel ſpirituum animalium in ea impingentium certâ diſpoſitione, productæ, ad ſenſorium commune ſimpliciter, ſive ſine conſcientiâ, deferuntur.

Phantaſia.

Hæc eſt vel vigilantium, & vocatur *phantaſia*; vel eſt dormientium, & *inſomnium* dicitur.

Inſomnium.

Memoria.

Huic reminiſcentiæ & imaginationi etiam inſervit *memoria*, de qua ſuperius in perceptionibus egimus.

Appetitus ſenſitivus.

Appetitus ſenſitivus ſimplex eſt motus quidam ſpirituum, à receptione excitatus, quo meatus quidam nervorum ad apertionem vel clauſionem vellicantur: unde ad certam aliquam rem, vel aſſequendam, vel fugiendam, ſumus proclives, ſæpe etiam inſcii & inviti.

Motus ſpontaneus.

Motus ſpontaneus eſt motus, quo corporis humani partes, citra ullam cogitationem, à ſpiritibus animalibus, magnâ vi è cerebri ventriculis, per ejus poros à receptione apertos, in nervos & muſculos partibus annexos, qui juſtis poris valvulis & membranis ſunt inſtructi, fluentibus, eoſque inflando ſecundum latitudinem dilatantibus, & longitudinem contrahentibus, de loco in locum, inſtar automatorum hydraulicorum, vel pneumaticorum, moventur.

Quomodo partes, pro receptionis varietate, flecti, tendi, & alternatim

Ut autem motus ſpontaneus partium modò hac, modò illac fieri & alternari, parſque aliqua per eum ex receptione tendi poſſit; muſculi, oppoſitis motibus inſervientes, habent non tantum, *valvulas & poros* ex cerebro in muſculorum cavitates, ſed etiam; ab uno muſculo

in

in alterum oppositum musculum, per communem & intermediam membranam vel carnem, vicissim spectantes; ac præterea etiam habent *membranas*, carnem musculorum investientes, quæ musculos, à spiritibus ingressis distentos, spontaneâ contractione premunt, spirituſque iis contentos ex illis in oppositos musculos vicissim repellunt; adhæc musculorum oppositorum *nervi & pori*, ut spiritus non semper in utrosque simul & pariter fluant, eorum alii aliis sunt majores & patentiores. Quo fit, ut spiritus à receptione, modò in utrumque, modò alternatim in hunc, modo in illum determinentur; atque ita quivis motus spontaneus & partium tensio, variè, pro receptionis varietate, peragatur.

hæc & illæc moveri queant.

Hæc ut commodius intelligantur, spontaneam dormientis respirationem hic ex. gr. explicabo. Cum homo dormit, quia pori nervorum & musculorum respiratoriorum semper satis, ut antehac fuit explicatum, patent, & inspiratorii præ exspiratoriis magis sunt patentes, ideo fluunt spiritus animales primò copiosius in musculos inspiratorios, quibus pectus dilatatur & aër impellitur in pulmones & thoracem, & fit *inspiratio*; quæ tam diu durat, donec membranæ musculos inspiratorios investientes à spiritibus ingressis distentæ, sponte se contrahant, spirituſque animales iis contentos, sursum premant: qua pressione attolluntur valvulæ, quæ adstant poris lateralibus in musculos exspiratorios spectantibus, per eosque ex valvularum sublatione apertos mox fluunt spiritus animales in musculos exspiratorios, quibus pectus contrahitur & aër ex pulmonibus & thorace foras expellitur, & ita fit *exspiratio*; quæ similiter tam diu durat, donec membranæ, musculos exspiratorios investientes, à spiritibus ingressis distentę, sponte se contrahant, spirituſque animales iis contentos sursum premant: qua pressione attol-

Quomodo spontanea dormientium fiat respiratio.

luntur valvulę, quę adstant poris lateralibus in musculos inspiratorios spectantibus, per eosque, ex valvularum sublatione apertos, fluunt mox spiritus animales in musculos inspiratorios, quibus pectus dilatatur, & aër rursus in pectoris cavitatem, quæ est in pulmonum bronchiis, impellitur, & fit iterata inspiratio; quam deinde ratione jam explicatâ sequitur vicissim alia exspiratio; & hanc rursus alia inspiratio. Eæque vices inspirandi & exspirandi tandiu durant, quamdiu homo vivit, & impedimentum nullum adest, quod illas alternas inspirandi & exspirandi vices impedire possit.

Quomodo motus spontaneus in oculo movendo, ambulando, deglutiendo, aliisque, actionibus, per rationem jam explicatam, fiat, videatur *in Phil. Nat. Cap.* 16. *lib.* 4. *p.* 375. *& seqq.*

CAPUT XV.

De Sanitatis speciebus sive differentiis.

ATque hęc de actionibus humanis; quæ ubi salubres sunt, præcipua sunt sanitatis indicia. Progrediamur jam ad *sanitatis species sive differentias*; quas statuo duas: *Firmam* sc. & *Vacillantem.*

Sanitas firma. ***Firma sanitas*** est, quâ firmas edimus actiones.

Eaque est accurata, vel deflectens.

Sanitas accurata. *Sanitas accurata* est, quâ ad actiones accuratè perficiendas sumus apti.

Ejus signa. In hac actiones sunt perfectissimæ: ac primum motus & sensus sunt integri: insomnia levia & jucunda: somnus & vigilia, appetitus & affectus, pulsus & respiratio, omnia sunt moderata beneque temperata.

Coctiones item & excretiones fiunt tempestivè, excrementa nec quantitate nec qualitate admodum sunt mole-

molesta. Alvi dejectio inter durum & fluidum media, bile paululum tincta, quantitate proportionatâ assumptis cibis respondens. Urina consistentiâ est mediocri, clara, pellucida, pura, subaurea, hypostasin habens albam, lævem, æqualem, in acutum fastigiatam; potui quantitate congruens.

Corpus nulla aliena qualitate est præditum, color cutis est floridus, & quasi ex rubro & albo mixtus. Capilli in vigore ætatis Europæis fere flavi; in puerili fulvi, densitate & tenuitate moderati, inter crispos & rectos medii. Corpus est pulchrum, quod difficulter ab externis injuriis offenditur: & æqualiter se habet ad omnes excessus, qui ex anni tempestatibus aut diætæ erroribus oriuntur.

Sanitas firma deflectens est, quę quamvis ab accuratâ decedat, apta tamen est actiones satis firmas & validas edere. *Sanitas firma deflectens.*

Hæc vulgo maxime observari solet: eaque vel ad calidum, vel frigidum, vel humidum, vel siccum, vel rarum, vel densum recedit.

Qui ad calidum deflectunt, ad iram sunt proniores: pulsus habent majores & frequentiores, uti & respirationem. In infantia tempestive dentiunt, crescunt, & tempestivius articulatè loquuntur. *Sanitatis ad calidum deflectentis signa.*

Dura & valida alimenta facilè coquunt: urinam & alvi fæces coloratiores dejiciunt; ad Venerem mature sunt proclives; masculos gignunt.

Corpus eorum in contactu sentitur calidius, color ipsis est rubicundus, pili nigri & densi: gracile ipsorum corpus, & adipis expers, cito incalescit.

Si ad calorem accedat humiditas, sensus habent hebetiores, & motus temperatis tardiores; insomnia frequentia; ad iram sunt proclives, non tamen feri; pulsus ipsis *Signa eorum, qui sunt calidi & humi-*

sunt

midi. sunt molles; sanguis copiosus: Venerem facile ferunt; semen habent multum, quod cito excernunt, excrementa sunt copiosa, moderatè cocta.

Colore sunt sanguineo: corpore molli & temperatis carnosiore; capillis subflavis, rectis, planis, crassis, mollibus.

Signa calidorum & siccorum. *Temperamentum si ad calidum & siccum deflectat*, motus corporis est perfectus; mobilitatem habent in opinionibus; motus celeritatem; somnos leves breveseque; insomnia ignea; ingenium velox; audacem temeritatem; in Venerem proclivitatem, quà tamen citò satiantur. Vox ipsis est clara asperaque. Coctio validior. Excrementis abundant paucis. Semen ipsis est paucum, densum, crassum, fervens; quod tarde excernunt.

Corpore sunt hirsuto; capillis copiosis, nigris, & interdum crispis; tempestivior his est calvities; corpus est firmum, articulatum, musculosum, & pinguedinis expers; cutis dura & subnigra.

Signa frigidorum. *In deflectente frigida temperie* pulsus temperatis sunt minores, & respiratio his analoga; timidi sunt, & ad actiones, segnes; ad iram tardi; Veneremque minus appetunt; nec sensibus admodum valent.

Corpus tactui frigidius temperato apparet, &, si frigus multum excesserit, etiam lividum & glabrum: adeps per carnes est sparsa; capilli multi post natalem oriuntur, tempestivius tandem canescentes, qui tamen non facile calvitiem adducunt.

Signa frigidorum & humidorum. *Temperiei frigidæ humidæ deflectentis* signa sunt sensus obtusiores, motus tardiores, somnolentia; ac somnus gravis & profundus; pulsus hic sunt molles ac parvi; iræ minima tenacitas; excrementa multa: semen tenue, aquosum, candicans, spumosum, frigidiusculum, fœmellas gignens.

Corpus

Corpus est molle, laxum, rarum; pili albicantes, molliſſimi, ac planiſſimi.

Deflectentem frigidam ſiccam temperiem indicant corpus duriuſculum, tenue. *Signa frigidorum & ſiccorum.*

Senſus in juventute tantum vigent: reſpiratio ac pulſus ſunt tardi ac rari: ad iram coacti, difficulter placantur: ſanguis & ſemen his eſt paucum.

Qui rari ſunt corpore, maximam partem calidiores humidioreſque exiſtunt: tactu ſunt molles; ac levi exercitatione ſudant: laboribus cito exſolvuntur, & ab externis facile offenduntur. *Signa rarorum.*

Denſitas corporis contrariis ſignis innoteſcit. *Signa denſorum.*

Sanitas vacillans eſt, quæ in morbos eſt prona. *Sanitas vacillans.*

Hæc conſtitutio *neutra* dici poteſt: quia nec eſt ſanitas firma, nec morbus. *Cur ea conſtitutio neutra dici poſſit.*

Hujus ſigna ſunt actiones vacillantes, ſeu infirmæ.

Sanitas vacillans eſt decidentiæ, vel convaleſcentiæ.

Sanitas decidentiæ eſt, quæ jamjam in morbos eſt prolapſura. *Sanitas decidentia.*

Convaleſcentiæ eſt eorum, qui à morbis convaleſcunt, & nondum in integrum ſunt reſtituti. *Sanitas convaleſcentia.*

MEDICINÆ

LIBER SECUNDUS.

De Cognoscendis Morbis.

CAPUT I.

De Intemperie.

Cognitio Pathologica.

ATQUE ita *cognitionem Physiologicam* absolvimus. Sequitur *Pathologica*: quæ est de cognoscendo seu inquirendo morbo.

Morbus.

Morbus est partium nostri corporis constitutio, qua ad actiones suas rectè peragendas sunt ineptæ.

Morbus est facultas læsa corporis; non anima.

Hæc est ipsa facultas corporis læsa, unde proximè actionum læsiones proficiscuntur: cum nulla alia facultas corporis læsa dari possit. Male igitur à quibusdam quæri solet, an morbus primo lædat facultatem, an verò actionem.

Dico autem morbum esse *facultatem læsam coporis*; nequaquam vero animæ sive mentis: quia corpore in pristinum restituto, nullisque remediis animæ seu menti, utpote incorporeę, adhibitis, anima tamen mox suo officio fungitur.

Morborum species.

Morborum species duæ sunt: intemperies & prava conformatio.

Cur hæ non sint morborum causæ continentes, vel proximæ dicendæ.

Neque hæ pro morbi, sive pravæ constitutionis, *causâ continente vel proximâ*, sed pro morbo, sive ipsa prava corporis dispositione, sunt habendę: cum in morbo nulla alia prava dispositio, præter ipsam intemperiem & pravam conformationem, demonstrari à quoquam possit; ac proinde entia hic non sint multiplicanda absque necessitate.

Intem-

Intemperies est morbus, qui in qualitatum corporis inconvenientia consistit. *Intemperies.*

Ea est manifesta, vel occulta.

Manifesta intemperies est, in qua manifestæ vulgò dictæ qualitates inconvenienter se habent. *Manifesta.*

Eaque est *vel* simplex, *vel* composita. *Ejus differentia.*

Simplex intemperies est, ubi una qualitas peccat: ut intemperies calida, frigida, humida, sicca, rara, densa, aspera, lævis, mollis, dura: item pravus in oculo color, visum; & linguæ malus sapor, gustum lædens; & similis quævis alia. *Simplex.*

Composita intemperies est, ubi plures in vitio sunt, qualitates. Talis est intemperies calida & humida; vel calida & sicca; vel frigida & humida; vel frigida & sicca; &c. *Composita*

Intemperies occulta, est occultæ vulgò dictę qualitatis vitium. *Talis* est ex. gr. intemperies venenata, contagiosa, pestilens. *Hæc* à nonnullis *morbus formæ* dicitur, quia non à qualitatibus, sed à forma elementorum eam oriri volunt; & quia formam, totam substantiam rei, constituere putant, etiam *morbus totius substantiæ* ab illis appellatur. *Talis* etiam in hydrophobia, epilepsia, scorbuto, morbo gallico, aliisque similibus vulgo animadvertitur. *Occulta.* *Morbus formæ & totius substantiæ.*

Horum posteriorum morborum causæ manifestæ in Praxi mea Medica, ubi eorum medicationes sunt propositę, videri possunt,

Intemperies venenata est, quæ à veneno, aut intus genito, aut assumpto, originem ducit. *Intemperies venenata.*

Venenum est, quod occultâ vulgo & deleteriâ qualitate est præditum. Talia dicuntur arsenicum, auripigmentum, opium, mercurius sublimatus, napellus, aconitum, &c. *Venenum.*

Pleraque venena revocari posse videntur *ad* calorem, vel frigus, præsertim potentiale: *item* ad vim narcoticam, quæ consistit potissimum in volatili quodam glutine, quo pori plexus choröidis in cerebro ita obstruuntur, ut spiri- *Venena dicta quomodo ad manifestas revocari pos-*

sint qualitates. tus animales ex eo sufficienter in ventriculos cerebri exhalare, eosque satis extendere non possint; eoque cerebrum fortiter subsidat, sensoriumque commune, sive conarion, & subjecti nervi fortissime premantur, & gravis sopor inde oriatur; spirituque animales, quibus cor ad motum suum peragendum perpetuo indiget, tandem penitus deficiant, & mors ex eo necessariò sequatur: *nec non* ad particularum minimarum duritiem, & figuram, qualis ex. gr. est acuta, quâ incîdunt. *Atque* hinc oriuntur à venenis magni ardores, mentis perturbationes, deliria, partium & totius corporis refrigerationes, intumescentiæ, livores, rosiones, excoriationes, similiaque alia symtomata; quæ per contraria calefacientia, vel refrigerantia, item oleaginosa, pinguia, & lenientia, sæpè curantur.

Idque probatur.

Contagiosa intemperies. *Intemperies contagiosa* est, quæ noxio contagio se propagare potest.

Contagium noxium. *Noxium contagium* est, quod occultâ vulgo & noxiâ qualitate præditum, per contactum corporum manifestum, vel latentem, à vaporibus vel spiritibus vel humoribus factum, similemque qualitatem producentem, aliis communicari est idoneum. Tale apparet in scabie, & ophthalmiâ.

Pestilens intemperies. *Intemperies pestilens* est, quæ quibusdam temporis intervallis, ex aëre corrupto, vel alio inquinamento aëri admixto, originem ducens, multos, per similis qualitatis productionem, inficere & occidere est apta. Talis est in peste, variolis, morbillis, dysenteriâ contagiosâ, &c.

Inquinamentum pestilens, ad quas qualitates manifestas sit referendum; Et unde *Inquinamentum pestilentiale* consistere videtur in humore vel vapore quodam volatili, coagulatorio, & contagioso, interdum etiam corrosivo & caustico, intus vel foris genito. Atque *hinc*, sanguine & spiritibus eo coagulatis & iuquinatis, observantur in his morbis vires subitò prostratæ, sopor, pulsus debilis, maculæ, pustulæ, anthra-

thraces, bubones, contagium, ſubitus interitus. *Hinc* etiam illi curantur per attenuantia, incidentia, volatiliſantia, calefacientia: qualia ſunt theriaca, mithridatium, diaſcordium, ſuccus limonum, bolus armenus; ſal abſinthii, angelicæ, cardui benedicti; *item* per veſicantia & ſcarificationes, quibus humor & vapor ille è corpore educitur. *hæc pateat*

CAPUT II.

De Pravâ conformatione.

ATque hæc de *intemperie*. *Prava conformatio* eſt morbus, in organis corporis ſenſibilibus (ut brachiis, cruribus, venis, arteriis, nervis, aliiſque ſimilibus,) ſenſibiliter non ſatis bene conformatis, conſiſtens. Hæc idcirco vulgo *morbus organicus* appellatur; ut intemperies *morbus ſimilaris*. *Prava conformatio.*

Hæc eſt mala figuratio, injuſta quantitas, & inconveniens conſtructio. *Ejus ſpecies.*

Mala figuratio eſt vel ſuperficiei, vel cavitatum.

Mala figuratio ſuperficiei, eſt *inconveniens* ejus ſenſibilis vel *Aſperitas*, ut cum trachęa arteria ſenſibiliter nimis eſt aſpera, ex acri catharro raucedinem inducente: vel *Lævitas*, ut ex. gr. ventriculi, inteſtinorum, aut uteri nimia lævigatio & lubricitas; vel *Rectitudo*, ut apparet in coſtâ nimis rectâ, cum debeat eſſe juſtè arcuata: vel *Curvitas*, qualis morbus eſt in valgis & varis; vel *Gibboſitas*, ut in iis eſt, qui habent gibbum ex luxatione vertebræ dorſi; vel *Planities*, qualis eſt ex. gr. in depreſſione cranii &c. *Mala figuratio ſuperficiei.*

Cavitatum mala figuratio, eſt earum nimia *vel* Dilatatio, *vel* Anguſtia.

Cavitates autem ſunt vel *Meatus*, per quos aliquid tranſit, ut venæ, arteriæ, inteſtina, &c: vel *Receptacula*, ad *Cavitatum.*

aliquid recipiendum vel continendum præcipuè destinata, ut acetabula, nares.

Dilatatio cavitatum. *Cavitatum nimia dilatatio* apparet in pupilla nimis dilatata, in varicibus & aneurismatis, sive venis & arteriis, ut ajunt, nimis dilatatis. *Ad hanc* vulgò referuntur anastomosis, diapedesis, & diæresis vasorum.

Anastomosis. *Anastomosis* est, cum oscula, seu extremitates, vasorum aperiuntur, quo humores contenti effluunt. Hæc tantum in iis venis & arteriis contingit, quæ ex aliquâ læsione nullam venam vel arteriam habent continuam; omnes enim venarum & arteriarum extremitates inter se naturaliter sunt continuatæ, ut in doctrina de sanguinis circulatione ante hac in Physicis nostris fuit demonstratum.

Diapedesis. *Diapedesis* est, quando tunicæ vasorum ita rarefiunt & laxantur, ut humores per eas queant transudare.

Diæresis. *Diæresis* est, cum à causa incidente, erodente, vel rumpente, via aliqua, quæ adesse non debebat, in vasis aperitur.

Hæ pertinent ad intemperiem. *Hi tres morbi* videntur esse referendi ad intemperiem nimis raram: alioqui enim pro vulnusculis essent habendi.

Angustia cavitatum. *Angustia cavitatum nimia*, pro causarum & generationis diversitate, est laterum cavitatis vel *compressio*, vel *subsidentia*, vel *contractio*, vel *arctatio*: vel pororum *constipatio*, vel cavitatum *obstructio*.

Injusta quantitas Injusta partium quantitas est indecens *vel* magnitudo, *vel* numerus.

Indecens partium *magnitudo* est plus justo vel aucta, vel diminuta.

Magnitudo nimis aucta. *Magnitudo* plus justo *aucta* est ex. gr., cum linguæ tanta est moles, quæ ore contineri non potest.

Tumores. Huc pertinent omnes *Tumores*; qui sunt partium extuberantiæ justo majores.

Eorum origo. *Hi oriuntur*, *ubi* aliquid solidi aut fluidi in partem aliquam supra modum decumbit; *vel*, quod ex parte aliquâ com-

communiter est evacuandum, in illa retinetur. Atque hinc tumores oriri dicuntur ex *illapsu*, vel *collectione*.

Tumorum varietas præcipuè originem ducit *à variis*, per vasorum poros nimis apertos in partes solidas *illabentibus humoribus*; iisque vel alibi, vel in ipsis partibus, è pororum figuratione, vel particularum conjunctione, vel separatione, natis. Dum enim humores per poros illos transeunt, variè secundum partes insensibiles figurantur, & diversimodè uniuntur vel separantur; unde, naturam vel benignam vel malignam in partibus induentes, vel *benignos* & domabiles tumores; ut per pituitam, *ædemata*; per bilem, *erysipelata*; per sanguinem, *phlegmonas*; item *verrucas*, &c. vel *malignos* & sæpè indomabiles; ut per melancholiam, *scirrhos*; per atram bilem, *cancros*; per materiam melleâ consistentiâ prœditam & vesiculâ inclusam, *melicerides*; per adiposam, *steatomata*; per pultaceam, *atheromata*; alioque gignunt.

Quomodo fiat Oedema, Erysipelas, Phlegmone, Verruca, Scirrhus, Cancer, Melicris, Steatoma, Atheroma.

Causæ autem, quæ poros vasorum nimis aperiunt, sunt humorum nimia tenuitas vel acrimonia vel fervor; vasorum nimia mollities; contusio; nimia vasorum distentio, orta à plethorâ vel à justâ sanguinis circulatione impeditâ; motus nimis vehemens; vaporum ex vasis exhalantium ingens copia & agitatio; &c.

Causa poros vasorum nimis aperientes.

Sed hic non est prætereundum *aneurisma*; quod est tumor pulsans, à sanguine, ex arteriâ aliquâ ruptâ, in vicinarum partium mollium undique clausarum cavitatem, se cum pulsu identidem effundente, & interiorem illam cavitatem pelliculâ quâdam, ex viscidis sanguinis partibus natâ, obducente, ortus.

Quomodo aneurisma fiat.

A *Corporibus solidis*, in partes procumbentibus vel in iis genitis fiunt ex. gr. enterocele, epiplocele, exomphalos, sarcocele; sive hernia intestinalis, omentalis, umbilicalis, & carnosa.

Item enterocele, epiplocele, exomphalos.

Sæpe

Quomodo à dolore ſæpe oriantur tumores.

Sæpe oritur *tumor à dolore*: ut in nervi vel tendinis punctură, primò dolorem, deinde tumorem inducente, eſt manifeſtum. Idque *ex eo* fit, quod à dolore partis affectæ, per nervos, talis motus in cerebrum deferatur, qui ejus poros ita aperit, ut ſpiritus, in partem affectam copioſius per apertos illos poros fluentes, meatus inſenſibiles vaſorum. in eâ exiſtentium, multos nimium referent, eoque humores acres & bilioſi, à reliquo ſanguine ſeparati, vel cum eo mixti, & in illam ex iis copioſè fluentes, eam in tumorem attollant.

Unde oriatur ſæpe in tumoribus inflammatio.

Tumoribus ſæpè adeſt inflammatio, ut contingit in eryſipilate, phlegmone, paronychia, aliiſque multis; quod fit ob poros in partibus, & humoribus atrabilariis, bilioſis, ſanguineis, aliiſque per putredinem vel aliam corruptelam ita adaptatos, ut ſubtilis materia ſive æther vehementius quaſdam, in iis, particulas agitare, atque ita magnum præter naturam calorem inducere poſſit. Niſi enim talis pororum in partibus & humoribus effuſis fiat adaptatio, nulla inflammationis incaleſcentia unquam fiet; uti videre eſt in ictero, ubi bilis, & in ecchymoſi, ubi ſanguis in cutim citra inflammationem eſt effuſus.

Magnitudo nimis diminuta.

Diminuta plus juſto *magnitudo* eſt ex. gr. in pedis, brachii, vel alterius partis injuſtâ brevitate, in atrophia, & phthiſi.

Ejus cauſa.

Hæc fere *ex* vi aliquid auferente, *vel* nutritionis defectu proficiſci ſolet.

Indecens numerus alicujus partis, eſt ejus vel exſuperantia, vel defectus.

Numeri exſuperantia & defectus.

Exſuperantia numeri eſt ex. gr. in ſexto digito, duplici ordine dentium.

Defectus ejus eſt in pedis vel manus ablatione, digitorum vel aurium detruncatione; item in calvitie, &c.

Prava conſtructio

Inconveniens partium conſtructio, eſt pravus earum *vel* ſitus, *vel* nexus. *Pra-*

Pravus earum *situs* est in *luxatione*; quæ est alicujus ossis, de justâ cum altero contiguitate, deturbatio. Item in *uteri procidentiâ*; & in *intestini* in scrotum *prolapsu*. &c. *Luxatio.*

Malus partium nexus est *vel* mala partium unio, *vel* prava continui in illis solutio.

Mala partium unio, est, ubi eæ coaluere partes, quæ à se mutuo separatæ esse debent; ut in coalescentia labiorum, palpebrarum, podicis, &c. *Mala unio.*

Solutio continui est, quæ partium cohærentiam & unitatem, ab earum immediato cum quiete inter se contactu factam, dissolvit; qualis est in *vulnere*, quæ est solutio continui, in parte molli, sanguinolenta, quocunque modo facta; & *ulcere*, quod est solutio continui, in parte solidâ & molli, à sanie vel pure sordidâ: & *fractură*, quæ est continui, in parte durâ osseâ vel cartilagineâ, solutio; hęc si fiat à carie, vulgò *caries ossis* appellatur: item in *contusione*, fibrarum *divulsione*, &c. *Solutio continui.* *Vulnus.* *Ulcus.* *Fractura.* *Caries ossis.*

Hæc vulgo *morbus communis* dicitur. Numeratur autem à me inter *morbos pravæ conformationis*, vel *organicos*; quia organum vitiat, & conformationem parti debitam tollit, pravamque inducit. *Cur solutio continui dicatur morbus conformationis & organicus.*

CAPUT. III.

De Communibus morborum differentiis.

PRæter explicatas morborum species, etiam *communes* seu *accidentariæ* quædam eorum *differentiæ* proponi solent: nam *Communes morborum differentia.*

Primò ratione originis, morbus alius est idiopathia, alius sympathia.

Idiopathia est morbus ab alio morbo non dependens: Estque protopathia & deuteropathia *Idiopathia.*

Protopathia, sive morbus primarius, est idiopathia, quæ ab alio morbo non est orta. *Protopathia.*

Deutero-pathia. *Deuteropathia*, sive morbus secundarius, est idiopathia. quæ ab alio morbo originem duxit.

Sympathia. *Sympathia* est morbus, ab alio morbo dependens.

Quot modis ea fiat Quæ fit, *vel* quia id communicatur, quod non debebat communicari; ut cum ab humido cerebro catharri in thoracem vel aliam partem delabuntur; vel cum motus, cerebro impressus, communicatur ventriculo, quò ille interdum ad vomitum stimulatur. *Vel* quia id non communicatur, quod debebat: ut quando ex vulnere spinæ dorsi oritur brachii vel cruris paralysis, sensum & motum tollens; propterea quod spiritus, ob illud vulnus, in illas partes influere non possunt.

Deinde à numero, morbus alius dicitur unus, alii multi,

Morbus Unus. *Unus morbus* est, qui idem unam partem, vel plures, sed sine interruptione ullâ, occupat: talis est intemperies calida vel frigida ventriculu m, vel totum corpus infestans.

Estque vel simplex, vel compositus.

Simplex. *Simplex* est, qui unius duntaxat speciei simplicem naturam accepit: ut intemperies, vel vulnus, vel obstructio simplex.

Compositus. *Compositus* est morbus unus, qui ex multis morbis, eidem parti insidentibus, & quasi connexis, concrevit.

Hic componitur, *vel* ex morbis ejusdem generis, ut intemperies calida & sicca, luxatio & vasis compressio in crure: *vel* ex morbis diversi generis, ut luxatio, vulnus, vel ulcus cum phlegmone.

Morbi multi. *Multi morbi* sunt, quorum unus non inhæret parti, quam alter occupat, nec ei continuatur. Suntque vel complicati, vel connexi; vel disjuncti.

Complicati. *Complicati*, sunt morbi multi, qui eidem actioni nocent: ut pleuritis & asthma; quorum uterque tussim & difficilem respirationem efficit: illa autem pleuræ & lateri dicitur insidere; hoc vero bronchiis pulmonum.

Con-

Connexi, sunt morbi multi, quorum unus ad generationem alterius aliquid confert; ut intemperies frigida & humida cerebri & ventriculi, vel pulmonum. *Connexi.*

Morbi disjuncti sunt morbi multi, qui nec eidem actioni nocent, nec alter alterum producit; sive sint ejusdem generis, sive diversi: ut vulnus capitis & cruris; pedis ulcus & nervi optici obstructio. *Disjuncti.*

Præterea, ratione magnitudinis, morbus est magnus, vel parvus.

Magnus morbus est, qui magnopere affligit. Quod contingit *vel* ob magnum recessum à naturali dispositione; *vel* ob prestantis partæ affectiam, ut vulnus cordis & cerebri: *vel* ob malignam causam, ut vulnus à venenato animali illatum; *vel* ob gravia symptomata, ut affectio colica dolorum vehementiâ vires prosternens. *Morbus magnus.*

Parvus morbus contrario modo se habet, *Parvus.*

Quartò, à more, sive agendi modo, quo ægrum pro apparente suâ naturâ afficit, morbus alius dicitur benignus, alius malignus.

Morbus benignus est, qui nulla vehementiora & sæviora supra naturam suam habet symtomata: ut febris tertiana, & febris ardens. *Benignus.*

Malignus est, qui sęvit vel perseverat vehementius aut diutius, quam natura ejus præ se fert; ut febris pestilens, ulcus cacoethes. *Malignus*

Adhæc morbus, ratione durationis, est brevis, vel longus; item continuus, vel intermittens; nec non recens; vel inveteratus.

Morbus brevis dicitur, qui intra quadragesimum finitur diem: ut febris ardens, pleuritis. *Brevis.*

Estque *vel* sine periculo, ut ephemera; *vel* est brevis cum magno periculo; qui vocatur *acutus*. *Acutus.*

Hic est vel *perperacutus*, sive *peracutissimus*, qui tertio vel quarto *Ejus differentiæ.*

quarto die finitur, ut febris peſtilens, apoplexia gravis; vel *peracutus*, qui uſque ad ſeptimum diem extenditur; vel *acutus ſimpliciter*, qui ad decimum quartum, vel vigeſimum diem, ad ſummum durat, ut febris continua non ardens; vel *acutus ex decidentiâ*, qui, vigeſimo ſuperato die, quadrageſimum diem pro ſummo termino habet.

Longus. Qui diutius, quam quadraginta dies, durat, *longus* vocatur.

Continuus *Continuus* eſt, qui continuo affligit, donec totus ſit ſublatus.

Iſque *aut* ita eſt continuus, ut eodem modo ſemper ſe *Continens* habeat, vel increſcat, vel remittat; & is *continens* dicitur, ut febris ſynochus; *aut*, quamvis continuo affligat, alternas tamen intentiones & remiſſiones habeat; atque *Remittens* hic poſterior *continuus ſimpliciter*, vel *remittens* appellatur, ut tertiana continua.

Intermittens. *Intermittens* eſt, qui quibuſdam periodis affligit, & deſinit.

Periodus. *Periodus* eſt tempus in morbis intermittentibus, ex intenſione & intermiſſione conſtans.

Morbi paroxyſmus. *Integritas* Pars periodi, quâ morbi illi intenduntur, vocatur *Paroxyſmus*, vel *Exacerbatio*: quâ intermittunt, *Integritas*.

Paroxyſmus ordinatus, & inordinatus. Paroxyſmus eſt *ordinatus*, qui certis temporibus intenſionis affligit, ut ſit in febri tertiana: vel *inordinatus*, qui nullum certum intenſionis tempus obſervat; ſed nunc hoc, nunc illo die redit; nunc citius, nunc tardius infeſtat; talis eſt in febri erratica.

Morbus, *ratione durationis*, *etiam* dicitur eſſe vel in principio, vel in augmento, vel in ſtatu & vigore, vel in declinatione.

Tempora morborum; & unde ea oriantur. Hæc *tempora* in morbis *oriuntur*, tum à varia materiæ morbificæ alteratione, auctione, vel imminutione; tum ab ægri temperamento ſeu robore, diverſimodè immutato.

tato. Cum enim in principio ægri vires adhuc sint validę: materiaque morbifica nondum multum sit alterata; hinc omnia symtomata in principio sunt mitiora; sed cum illius partes sensim aliter disponantur, illaque sæpè magis magisque sensim incalescat, & nonnunquam acrior evadat, viresque ægri debilitentur; hinc morbus pedetentim gravior & tandem graviſſimus per maximam humorum ebullitionem, quæ frequentiſſime accidit, evadere consuevit. Cumque, per ebullitionem vel attenuationem, materia morbifica expelli, vel æger ab illa opprimi soleat; hinc circa morbi vigorem ægri, si fuerint debiliores, intereunt; sin rubustiores, vehementer quidem perturbantur, sed postea melius habent: & morbus paulatim declinat, ac tandem finitur.

Tempora morborum sunt vel *universalia*, quibus totius morbi mutatio distinguitur; hæc sunt morbi *principium*, quo ille agere incipit, nec actiones valde lędit: *augmentum*, quo jam magis magisque affligit; *status*, quo ægri maximè lædantur, & symtomata maxima apparent: *declinatio*, qua imminuitur actionum læsio. Vel *tempora* morborum sunt *particularia*, quibus uniuscujusque periodi mutationes distinguuntur.

Tempora universalia.

Particularia.

Sextò, ab eventu, morbi dicuntur *salutares*, qui ut plurimum ad salutem finiuntur, ut tertiana vera dicta: vel *dubii*, à quibus multi sanantur, & multi intereunt, ut pleuritis: vel *lethales*, qui maxima ex parte ægros perimunt; ut apoplexia fortis, vulnera cerebri, cordis, ventriculi, tenuis intestini, vesicæ, medullæ spinæ, vasorum majorum, quæ commodè claudi nequeunt. Item *sanabiles*, qui remediis sæpè cedunt, ut febris ardens; vel *insanabiles*, qui etiamsi non occidant, tamen vix aut nunquam sanantur, ut elephantiasis.

Morbus Salutaris. Dubius. Lethalis. Sanabilis. Insanabilis.

Ratione causarum morbificarum, alii sunt *exquisiti*, qui ex sin-

Exquisitus.

ex sincero aliquo humore oriri dicuntur, talis est tertiana exquisita, quam volunt à bile sincera oriri; alii *spurii*, à mixtis humoribus nati, ut tertiana spuria, quæ fertur ex bile pituitæ mixtâ provenire. *Deinde*

Spurius.

Hæreditarius.

Hinc alii dicuntur *hæreditarii*, qui originem ducunt à vitio seminis, vel materni sanguinis, quod parentes, morbis aliquibus obnoxii, illis impresserunt; talis in multis est podagra & calculus: alii *nativi*, qui licet non sint hæreditarii, attamen nobiscum ex aliquâ aliâ causâ nascuntur; hinc multi ob varias causas nascuntur claudi vel gibbosi: alii *adscititii*, qui post nativitatem casu quodam contingunt.

Nativus.

Adscititius.

Sanguineus.

Biliosus.

Pituitosus.

Melancholicus.

Atque hinc *etiam* alii morbi vocantur *sanguinei*, qui fiunt à sanguine, qualis dicitur esse synochus, phlegmone: alii *biliosi*, qui fiunt à bile, ut fertur de tertiana exquisita, & erysipelate: alii *pituitosi*, qui fiunt à phlegmate, ut febris quotidiana, œdema: alii *melancholici*, qui fiunt à melancholia, ut quartana, scirrhus.

Vernus.

Octavò, ab anni temporibus, morbi alii dicuntur *verni*, qui verno tempore gignuntur, qualescunque illi fuerint; aut qui frequentissimè tunc gigni solent: alii *æstivi*: alii *autumnales*: alii *hiberni*; de quibus simile quid est intelligendum, quod de vernis diximus.

Æstivus.

Autumnalis.

Hibernus.

Quando in aliquo loco vel regione morbi aliqui communiter grassantur, tum dicimus morbos illos esse communes seu *pandemios*. Iique sunt vel ejusdem, vel diversæ speciei. Quando ejusdem speciei morbi, in aliquâ regione, plures eodem tempore, invadunt; illi sunt vel *epidemici*, certo quodam tempore, nunc in una, nunc in pluribus regionibus, multos simul infestantes; qui plerumque sunt pestilentes, qualis est ipsa pestis, & nonnunquam dysenteria: vel *endemii*, qui certum, aliquem locum & regionem semper occupant; talis apud batavos

Pandemius.

Epidemius.

Endemius

vos & alios ſeptentrionales eſt ſcorbutus. Quando verò morbi, ſpecie inter ſe differentes, eodem tempore plures homines in eâdem regione infeſtant, tum vocantur *ſporadici* ſive diſperſi; tales ſunt pleuritis, ophthalmia, angina, in eadem urbe vel regione ſimul graſſantes. *Sporadicus.*

Decimò, ratione temperamenti corporis affecti, morbi alii dicuntur naturæ *cognati*, qualis eſt febris ardens hominibus calidiori temperamento præditis: alii *minus cognati*, qualis eſt cauſus ratione eorum, qui temperamentum frigidius habent. *Cognatus.* *Minus cognatus.*

Undecimò a ſexu, *morbi* alii ſunt *virorum*, ut priapiſmus; alii *fœminarum*, ut hyſterica paſſio. *Virilis, Muliebris*

Duodecimò, ab *ætate* alii *morbi* ſunt *puerorum*, ut epilepſia: alii *juvenum*, ut febris ardens: alii *ſenum*, ut apoplexia. *Puerilis, Juvenilis, Senilis.*

CAPUT IV.

De Febribus.

RAtione corporis, quod morborum eſt ſubjectum, *morbi alii* dicuntur *particulares*, qui tantum partem, vel partes aliquas occupant, ut ophthalmia: *alii univerſales*, qui totum corpus obſident, ut *Febris*; cujus cum magna apud alios auctores ſit difficultas & obſcuritas; idcirco brevem quidem, ſed perſpicuam tamen, ut ſpero, & ſufficientem ejus deſcriptionem, auctarii loco, hoc loco ſubjungam. *Morbus particularis.* *Univerſalis.*

Febris itaque eſt incaleſcentia ſanguinis in corde; naturali interdum major; interdum minor; ſed ſemper malignior. *Febris.*

Major illa ſanguinis incaleſcentia apparet ex. gr. in febrium intermittentium paroxyſmi vigore; *minor* in iſtarum paroxyſmi initio. Atque hinc patet febrim non ſem- *Definitionis ejus ratio.*

per

Febris interdum est frigida dicenda.

per esse calidam, ut quidam volunt; sed interdum etiam frigidam dicendam.

Malignior vero sanguinis in febribus incalescentia non tantum ex eo patet, quod sanguis per ipsam non tam aptus bene alendo & afficiendo corpori evadat, quam per naturalem; quamvis per hanc sanguis interdum minus justo incalescat, uti fit in timore; vel nonnunquam etiam calorem justo majorem concipiat, ut contingit in ira; sed potissimum ex eo, quod sanguis variè per febrim depravetur, variaque, pro varia depravationis sive malignitatis ejus ratione, inducantur ab illa symtomata; qualia sunt frigus, horror, rigor, æstus, pulsus modò tardus, modò celer, sitis, cardialgia, inappetentia, macies, cephalalgia, vigiliæ, pallor, aphthæ, diarrhæa, alvus adstricta, deliria, aliaque plurima.

Pathognomonica febris signa.

Frequentissime autem & communiter inducit febris, saltem in augmento & vigore, pulsum celerem & sitim, citra aliam manifestam causam ægrum afficientem; unde etiam, tanquam *pathognomonicis signis*, potissimum hæc tunc innotescit.

Differentiæ.

Febris est simplex, vel composita.

Simplex est hectica, vel schetica.

Hectica.

Hectica ex ipsa cordis intemperie oritur. Eaque est *vel* fine; *vel* cum partium carnosarum, aut fibrosarum tabe.

Schetica.

Febris vero *schetica* à sanguinis intemperie originem ducit. Eaque est continua, vel intermittens.

Continua.

Schetica continua oritur à sanguinis intemperie perpetuò & continuò in sanguine existente; eâque ad malignam illam incalescentiam concipiendam perpetuò aptâ.

Atque ideo hæc, ubi semel incaluit, perpetuo fervore fatigat ægrum.

Ea est primaria, vel symptomatica.

Continua primaria.

Continua primaria est à vitio perpetuo sanguinis, quod aliunde in illum non defertur.

Atque

Atque hæc pro diversitate modorum, quibus sanguis corrumpitur & vitiatur, est *vel* minus, *vel* magis maligna.

Continua minus maligna simpliciter continua dicitur. *Minus maligna, sive simpliciter continua.*

Eaque, pro vario partium sanguinis vitio, est ephemera; synochus; continua quotidiana, tertiana, quartana, vaga.

Ephemera, sive *diaria*, ex vitio partium spirituosiorum & volatiliorum sanguinis originem ducens, facilius dissipatur; atque ideo unum tantum diem durare solet. *Ephemera.*

Synochus, latinè *continens* dicta, oritur ex vitio humorum, qui ad partis temperatioris sanguinis naturam accedunt. *Eaque* est homotonos, epacmastica, vel paracmastica. *Synochus.*

Synochus homotonos est, quæ perpetuâ incalescentię æquabilitate affligit; eo quod tantundem calidi generetur, quantum dissipatur. *Homotonos.*

Epacmastica est, quæ invalescendo semper molestat; propterea quod plus caloris generetur, quam exhalat. *Epacmastica.*

Paracmastica est, quæ continuo decrescit; eo quod plus calidi exhalet, quam gignitur. *Paracmastica.*

Deinde synochus est *mitior*, ex tenuioribus istorum humorum partibus incensis originem ducens; quæ etiam *ephemera extensa* vocatur, quia non raro ad quintum diem extenditur. Vel est *vehementior*, cum crassiores istorum humorum partes fervent. Eaque est vel *non putrida*, vel *putrida*. *Mitior.* *Vehementior.*

Continua quotidiana est, quæ ex pituitosioris sanguinis vitio accensa, quotidie intenditur & remittitur. *Continua quotidiana.*

Continua tertiana est, quę ex biliosiore sanguine incenso orta, alternis diebus intensionem patitur. *Tertiana.*

In hac si ardor & sitis ingens ægrum affligat, *causus* dicitur. *Causus.*

Continua quartana est, quæ ex sanguine magis melancholico accensa, quarto quoque die intenditur. *Quartana.*

Vaga. *Continua vaga* est, quæ ex variorum humorum incensorum vitio orta, incerta intensionis habet intervalla.

Symptomatica. *Continua secundaria*, sive *symtomatica*, est, quæ ex humoribus, in aliqua parte affecta genitis, & inde in vasa sese perpetuo effundentibus, atque cum sanguine miscentibus, orta, continuo accenditur. Talis observatur in pluritide, angina, lethargo, brachii vel cruris erysipelate & phlegmone, aliisque similibus morbis.

Maligna. Ejus diversitates. Febris *continua magis maligna*, quæ synecdochicè maligna dicitur, pro majoris suæ malignitatis varietate, est febris pestilens, petechialis, variolarum, morbillorum, sudor anglicus, morbus ungaricus, vel alia. Atque hæc de *febribus continuis*.

Febris intermittens. *Febres intermittentes* oriuntur ab intemperie sanguinis, quæ, per intervalla quædam temporis, ad febrilem incalescentiam concipiendam, est idonea.

Quomodo ea fiat. Atque hinc dissipato humorum, per intervalla quædam febriliter sive malignè nimis efferveścentium, calore, ad plenam quidem deferveścentiam veniunt; sed postea, ex novo humorum fervore, rursus efferveścunt. Atque hoc fit, *vel* quia ex aliqua parte affecta, ut hepate, liene, pancreate, mesenterio, vel alia simili, materia febrilis, certis temporibus ibi genita & ad febrilem incaleścentiam matureścens, se in vasa effundit, & cum sanguine miscet; *vel* quia materia febrilis, in vasis etiam majoribus existens, secundum partes quasdam, certis temporibus, ad febriliter sive maligne incaleścendum matureścit: *vel* quia, propter vasorum vel viscerum intemperiem, certis intervallis, materia talis nova gignitur, quæ certis temporibus calorem illum præter naturam concipere potest. *Vel* quia ex diætæ intemperantia nova materia febrilis est genita; quę efferveścens vel sola novam febrim; vel cum alia materia febrili, paroxysmi augmentum, vel anticipationem producit.

Humorum, hanc efficientium, sedes potest esse & in vasis, & extra vasa.

Nec

Nec est, quod quisquam metuat, ne materia hæc febrilis in vasis perpetuò existens, & ad cor per sanguinis circulationem continuò transiens, febrim continuam inducat. Cum enim hæc materia, non perpetuò, sed tantum per quædam intervalla, aptitudinem ad febrilem incalescentiam habeat; idcirco etiam febrim continuam, quamvis ea ad cor perpetuò deferatur, excitare non potest. *Cur materia febrilis, in vasis perpetuò hic existens, non producat febrim continuam.*

Materia autem illa febrilis, primum effervescere incipiens, cum reliquo sanguine non satis bene miscetur, ac præterea multas partes aqueas aliasque nimis crassas admixtas habet, atque ideo, ubi ad cor primum est delata, imminuit primo ejus calorem, facitque *totius corporis frigus*; in cerebro vero talem excitat spirituum motum, ut illi inordinate in partes corporis fluentes, convulsivum quendam per totum corpus producant motum, quem nos, cum prædicto frigore, *rigorem* & *horrorem*, pro varia magnitudinis suæ ratione, appellare solemus. Dissipatis vero, aut dispersis ex sanguine aqueis & crassis istis partibus, reliquæ illæ effervescentis humoris partes, cor ingressæ, & cum sanguine ibidem melius mixtæ, concipiunt *majorem calorem*, & inducunt *paroxysmi augmentum*, & deinde *statum*. Materia autem illa fervida paulatim dissipata, combusta, aut per sudores, vel alias evacuationes, è corpore ejecta, producit paroxysmi *declinationem*, & tanden *finem*. *Cur paroxysmus hic cum frigore & horrore vel rigore incipiat; ac postea calor intendatur, & tandem desinat.*

Febres intermittentes vel sunt *statæ*, quæ certis; vel *vagæ*, quæ incertis temporibus exacerbantur.

Intermittens stata est quotidiana, vel tertiana, vel quartana. *Intermittens stata.*

Intermittens quotidiana est, quæ à pituitosiore humoris vitio originem ducens, quotidie invadit & desinit. *Quotidiana.*

Tertiana intermittens est, quæ a bilioso humore orta, tertio quoque die paroxysmum suum absolvit. *Tertiana.*

Quartana intermittens est, quæ à melancholico succo ori- *Quartana.*

originem ducens, quarto quoque die post exacerbationem desinit,

Vaga. *Intermittens vaga* est, quæ ex variis succis orta, vel diversimode in vasa irrumpens, varia & incerta invasionis & intermissionis tempora habet.

Causa diversitatis istarum exacerbationum. *Causa*, cur hæ febres diversis diebus exacerbantur, & febres continuæ diversis diebus intenduntur, consistit in diversâ humorum ad effervescendum aptitudine, ex certa eorum temperie ortâ. Atque ideo quamvis materia febrilis biliosa, per suam temperiem partium, majorem incalescentiam, quam pituitosa, concipiat, cum incensa est; non tamen citius, quam pituitosa, incenditur: propterea quod plus oleaginositatis, (quæ tenacioribus suis particulis effervescentiæ fermentationis celeriori, ut testatur experientia, adversatur,) materiæ biliosæ, quam pituitosæ sit admixtum. Materia verò febrilis melancholica, propter crassitiem suarum partium, ad effervescentiam febrilem concipiendam, vel intendendam, est omnium tardissima.

Febres quintanæ, sextanæ, septanæ, octanæ, anniversaria. *Inveniuntur* interdum, quamvis rarò, febres, quæ post quintum, sextum, septimum, vel octavum, à priore invasione diem, imo etiam post annum, ægrum invadunt. Verum hæ non pro febribus intermittentibus; sed pro *novis*, & pro *unius diei febribus*, sunt habendæ.

Febris composita. Atque hæc de *febri simplici*. *Febris composita* est, ubi febris cum febre conjungitur.

Homogenea. Estque vel *homogenea*, ubi similis cum simili est conjuncta; qualis est duplex quotidiana, duplex tertiana, duplex vel triplex quartana: vel est *heterogenea*, ubi dissimiles conjunguntur; talis est semitertiana, & hectica cui intermittens est conjuncta.

Heterogenea.

Semitertiana. *Semitertiana*, sive *hemitritæa* est febris, ex quotidianâ continuâ & tertianâ intermittente; vel ex tertianâ continuâ & quotidianâ intermittente composita.

Atque hæc de *febribus*. CAP.

CAPUT V.

De Externis morborum causis.

INter communes morborum differentias imprimis observanda est illa ultima, quâ morbi alii dicuntur *solitarii*, alii *causâ foti*, alii *symtomate comitati*: nam pro harum diversitate, morborum curatio summopere variari solet. *Morbus solitarius: Causa fotus; & symtomate comitatus.*

De causis itaque morborum jam est agendum, & postea de Symtomatis.

Causa autem *morbi* est, à quâ morbus est. *Causa morbi.*

Itaque per causam Medici *efficientem solam* intelligunt. *Cur medici tantum agant de causa efficiente.*

Idque meritò. Cum enim morbus sit tantum partium dispositio, nullam materiam habet. Forma verò morbi, quæ est dispositionis partium pravitas, est ipse morbus; uti & finis, qui est aptitudo ejus, qua actiones lædere est aptus: utpote quæ non re, sed sola ratione sive consideratione nostra, à morbo differant.

Tum autem *morbus* dicitur esse *cum materia*, cum causa morbi efficiens est substantia corporea, in corpore existens, ibique genita: non autem nuda aliqua qualitas frigoris, caloris, raritatis, densitatis, vel alius similis. Atque talis morbus cum materia est ex gr. phlegmone, œdema, scirrhus, erysipelas, cancer. *Quid sit morbus cum materia.*

Hæc causâ, ut in aliis disciplinis, ita etiam in Medicina varie distribui solet: est enim proxima, vel remota: per se, vel per accidens: communis, vel propria: evidens, vel abdita: &c. *Ejus varia differentia.*

Potissimum vero apud nostros dividitur in externam & internam; item in illam, quæ sola, & quæ cum aliis morbum producit.

Causa externa est, quæ extrinsecus adveniens morbis originem præbet. Estque necessaria, vel contingens. *Externa.*

Externa necessaria.

Necessaria externa est, quæ à rebus quibusdam externis, ad vitam necessariis, oritur. Estque *vel* aëris, *vel* cibi & potus vitium.

Aëris Vitium;

Aëris vitium est qualitatum ejus immoderatio, vel subita mutatio, vel inconveniens ejus motus.

Secundum manifestas qualitates.

Qualitatum aeris immoderatio, seu intemperies, est *vel* manifestarum, ut intemperies ejus calida, frigida, humida, sicca; *vel* occultarum.

Caloris.

Et *aeris* quidem *intemperies calida* sanguinem, uti & reliquum corpus, calefacit, dissolvit, liquat, attenuat, adurit; undè plurimi morbi, iique sæpe acuti originem ducunt: præterea poros aperit, caloris nativi vim dissipat, coctionem quoque & nutritionem illâ dissipatione debilitat, diuque perseverans senium mortemqe præpropere accersit.

Frigoris.

Frigida verò, etiamsi in robustioribus per refrigerationem corpus firmet, parteſque, ut & calidum nativum, conservet & augeat, appetitum acuat, coctionem foveat, vitam protrahat, & in omnibus morbos acutos calidos reprimat. Attamen in minus firmis spiritus, sopiendo, exstinguit, calorem nativum debilitat, humores incrassat, diuturnos morbos & destillationes excitat, cerebrum nervosque debiliores reddit.

Humiditatis.

Humida spiritum incrassat, corpus, supervacuâ humiditate onerat, & calorem nativum infringit; unde coctiones debilitantur, & cruditates gignuntur; atque ex illis catharri diuturni, febres, cachexia, ulcera putrida, & dysepulotica; *idque* præcipuè, si frigus adfuerit. *Sin* vero adfuerit calor, putredines humorum & partium solidarum inducit, corpora emollit, laxat, ineptaque obeundis muneribus reddit.

Siccitatis.

Sicca spiritus quidem facit limpidos, humores supervacuos absumit, eosque à putredine tuetur, & corpora dura,

ra, solida, fortiaque efficit, articulosque roborat: quoniam tamen illa indurat, humoresque crassiores reddit, obstructionum est auctor; &, si intemperies calida hanc comitetur, humores adurit, atramque bilem gignit.

Secundum occultas qualitates.

Occultarum qualitatum in aere vitium est, quando ille à fœtidis, putridis, venenatis, contagiosis, pestilentibus, aliisque pernicioſis exhalationibus & inquinamentis, contaminatus est. Hinc pravæ illæ qualitates spiritibus, humoribus, & partibus solidis, inferuntur; atque inde putridi, & maligni, venenati, contagiosi, pestilentiales, aliique exitiosi morbi excitantur.

Ob subitam & insolentem mutationem.

Subita insolensque aeris mutatio, sive sit ab annuis aut menstruis tempestatibus, sive à rarioribus cœli constellationibus, sive à loci mutatione; qualis fit à peregrinantibus, & ægris se aëri foris primò committentibus; spiritus, humores, reliquumque corpus varie alterat & perturbat, unde exitiales morbi sæpè gignuntur. Nam aperto ex. gr. per calorem corpore, si frigus subito superveniat, altissime illud corpori insinuatum vehementer nocet. Contra vero, si corpus a frigore fuerit clausum repentinus calor, humores spirituſque agitando, dum ii exitum è cute non inveniunt, corpus summopere labefactat, morbosque ex putredine gignit.

Ob motum inconvenientem.

Aeris motus inconveniens morborum est opifex; *primo*, cum à ventis & procellis nimis vehementer agitatur, quo ille altius in poros cutis impellitur, suasve qualitates, quas à cœlo vel terra vel aquis habet, profundius in corpus invehit; ut manifestum est ex flatu aëris, in cutim flabello acti: & deinde, cum aër nimis est tranquillus, & nulla ventorum vi impellitur. Hinc enim omnes vapores & fumi, à terrâ & aquâ perpetuo sublati, & in aëre hærentes, putrescunt, & instar stagnantis aquæ corrumpuntur, unde putridi, contagiosi, & pestilentes morbi sæpe originem sortiuntur.

Vi-

Vitium cibi & potus.

Vitium cibi & potus est inconveniens eorum *vel* qualitas, sive sit manifesta, sive occulta; *vel* quantitas repletionis sc. aut inediæ; *vel* sumendi tempus pravum; *vel* ordo perversus.

Secundum manifestam intemperiem. Caloris,

Manifesta eorum intemperies est justo vel calidior, vel frigidior, vel humidior, vel siccior; item crassior, vel tenuior.

Cibus & potus, justo calidiores, producunt humores biliosos, sanguinem incendunt, ac totum corpus excalefaciunt; ut allium, piper, aliaque aromata, vinum generosum, &c. Atque hinc fere morbi calidi.

Frigoris,

Frigidiores gignunt humores frigidos & crudos, ac totum corpus refrigerant, ut pisces, lactuca, cerevisia valde tenuis. Hinc morbi frigidi.

Humiditatis, Siccitatis.

Humidiores corpus humectant: Sicciores exsiccant, & similes morbos producunt.

Crassitiei.

Crassior cibus & potus, ut bubula caro, panis azymus, aqua palustris, cerevisia crassa, & ex crassiæ substantiæ frumento cocta, parit obstructiones; unde varii morbi.

Tenuitatis.

Tenuior succos parit tenuiores, qui facile dissipantur; unde languor.

Secundum intemperiem occultam.

Alimenta obtinent vitium occultæ qualitatis, quando putredinem conceperunt, aut aliam ejusmodi noxiam qualitatem habent, quâ naturam corporis nostri pernicioſe lædunt: talia sunt frumentum & carnes putredine aut situ corrupta, item venenis vitiata.

Ex nimia repletione.

Ex repletione, sive satietate *à nimio cibo & potu*, oritur plethora, ubi sc. alimenta benè à natura subiguntur; vel cacochymia, ubi ipsa corrumpuntur; atque ab his duabus infinita est morborum seges.

Ex inedia.

Contra *per inediam*, aut ubi minus cibi, quam natura exigit, assumitur, non solum humores, spiritus, & calor nativus; sed etiam partes solidæ consumuntur: & deinde,

quam

quamvis humores crudi per eam concoquantur, corrupti tamen & ferventiores, ut bilioſi, hac ebulliunt, & quaſi in furorem aguntur.

Lædit etiam *alimentum, quod tempore non idoneo aſſumitur*, nimirum horâ non conſuetâ, & *priori cibo* non concocto, nec ventriculo exonerato: nam ſi hoc tempus antevertatur, cruditates, atque hinc obſtructiones, aliique morbi gignuntur. *Protractio* vero alimenti ſumendi, & diuturnior famis toleratio, ventriculum pravis humoribus, ibi redundantibus, & ab aliis ſeparatis, vel recens genitis, aut eo appulſis & acrioribus redditis, moleſtat. *Ex temporis inconvenientia.*

Ordo in alimentis ſumendis pervertitur, ſi cibus, qui cæteris concoctu difficilior eſt, & difficilius per vaſa tranſit, iis præmittatur, qui facilis ſunt coctionis, & facile diſtribuuntur. Hinc ciborum oriri creditur corruptela; unde cacochymia & morbi. *Ex ordine pravo.*

Cauſæ externæ contingentes ſunt vitia rerum, nullâ neceſſitate nobis occurrentium: ut ictus gladii, lapſus ab alto, aliaque fortuita. *Cauſa externa contingens.*

CAPUT VI.

De Internis morborum cauſis.

ATque hæc *de cauſa externa. Interna* eſt, quæ intrinſecus corpori inhærens, ibique genita, morbos efficit. *Cauſa interna.*

Requiritur, ut cauſa morbi interna in *corpore ſit genita*; alioqui enim cibus vel potus, quantitate vel qualitate peccans, & intro aſſumptus, eſſet cauſa interna. *Ratio definitionis.*

Cauſæ morborum internæ hæ ſequentes fere eſſe videntur: *errores* in motu vel quiete; *nec non* in ſommo & vigilia; *item* in animi pathematis: *vitia* excretorum & retentorum; ſpirituum; humorum; partium ſolidarum: *denique* illa, quæ toto genere præter naturam in corpore gigni dicuntur. *Cauſa interna differentia.*

Errores in motu & quiete; Ex eorum immoderatione quantitatis.

Errores in motu vel quiete commissi, sunt *motus* corporis immoderatus, *quies* nimia, & motus *intempestivus*.

Motus immoderatus calorem nimium primò excitat: diu autem continuatus, & sæpius reiteratus, spiritus caloremque nativum, ac solidarum partium substantiam, dissipat, totumque corpus refrigerat: nervorum, ligamentorum, ac musculorum robur dissolvit; membranas interdum laxat & distendit, venasque nonnunquam rumpit: sanguinem totius corporis exagitat: chylum crudum è ventriculo in venas propellit, atque ita cruditates & obstructiones parit: corruptos humores, alioquin tranquillos, & loco ignobili quasi sopitos, commovet, per corpus disjicit, & in iis ebullitionem excitat; qui deinde corpus varie lacessunt: & quoquoversum expulsi, scabiei, tuberculorum, omnis generis abscessuum, febrium, alui profluviorum, vomitionum, multorumque aliorum affectuum sunt autores.

Nimia quies, seu otium, & desidiosa vita calorem nativum spirituſque obtundunt, eosque, ad omnes mentis aliasque naturæ functiones, ineptos reddunt; corpus enervant; evacuationes impediunt; excrementorum vitiosorumque humorum copiam producunt & augent.

Ex temporis inconvenientia.

Intempestivus motus est, qui mox à cibo sumpto, vel cum corpus pravis humoribus scatet, fortiter instituitur. Illo partes chyli crudę in viscera, aliique humores à corde non satis excocti, ipsaque cacochymia, quæ adest, in habitum corporis propelluntur, unde obstructiones & cutanei affectus; ut pruritus, tubercula, scabies.

Errores in somno & vigilia, ex inconveniente quantitate. Ex incon-

Errores in somno & vigilia sunt immoderatæ vigiliæ & nimius somnus; quæ eadem fere mala gignunt, quæ nimius motus & immoderata quies: ad illa enim, tanquam eorum species, hæc non incommode referri possunt.

Est præterea error in somno, si ii *meridie dormiant*, qui præ

præcedente nocte bene dormiverunt. Hi enim, sequente nocte minus dormientes, inordinato motu corpus per lectum jactant, quo justa coctio & distributio ciborum impeditur; unde cruditates natæ morbos gignere possunt. *Valetudinariis* autem *& senibus*, qui noctes fere magnam partem insomnes ducunt; item quibusdam ex nimio labore *defatigatis*, somnus meridianus prodest. Quod enim de calore, per hunc somnum intro, & per lucem foras evocato, circumferri solet, infirmioribus videtur niti fundamentis; & præterea si qua inde noxa esset metuenda, illa facile, per locum somni capiendi tenebrosum, evitari posset.

viente tempore diurno.

Quibus somnus diurnus conducat.

Errores in pathematis sunt affectus animi intemperati: quorum præcipui sunt gaudium, mœstitia, timor, ira.

Errores in affectibus animi.

Gaudium, si immoderatius fuerit, spiritus & sanguinem ita vehementer interdum, tum foras, tum in cor effundit, ut ii, qui debiliores sunt, syncopen & mortem repentinam incurrant.

Ex gaudio.

Timor & mœstitia naturalem sanguinis incalescentiam & distibutionem impediunt, & partes corporis refrigerant, vires omnes debilitant, unde pulsus parvi, rari, debiles, tremor, & aliquando syncope. Atque hæc præcipuè fiunt à *timore*, qui, caloris distributionem repente sufflaminando, mortem interdum subitaneam inducit. *Mœstitia* autem coctiones vitiat, sanguinemque melancholicum gignit.

Ex timore.

Effrenata vero *ira* cor inordinatâ quâdam vehementiâ dilatat, & sanguinem incendit; unde totum corpus incalescit, & quam maxime perturbatur, febresque interdum excitantur.

Ex ira.

Excretorum & retentorum vitia sunt excrementorum justo *vel* parcior, *vel* copiosior excretio.

Excretorum & retentorum vitia. Qua

Justo parcior eorum excretio morbos parit, dum nativus

Nimis sunt pauca. calor ab excrementis retentis obruitur, & ipsa, putredinem alienasque pravas qualitates concipientia, eas humoribus & reliquo corpori communicant, obstructionesque pariunt,

Vel nimis copiosa. *Copiosior excrementorum excretio* etiam multorum morborum est causa: excrementa enim cum multis spiritibus excernuntur; itaque dum horum immoderata fit excretio, calor nativus dissipatur, unde naturales animalesque functiones languescunt, & tabes, cachexia, hydrops, aliique morbi frigidi emergunt: idque præcipuè, si sanguinis immodica fiat profusio, vel seminis immoderata ejectio,

Vitia spirituum. *Spirituum vitia* sunt nimia eorum copia, inopia, inconveniens eorum motus, calor, frigus, tenuitas, crassities.

Humorum. *Humorum vitium* est plethora, deficiens sanguinis copia, cacochymia, & pravus humorum motus.

Plethora. *Plethora est*, cum humores, alendo corpori utiles, in venis & arteriis supra mediocritatem abundant.

Ad vasa. Estque vel *ad vasa*, cum sanguis ita abundat, ut vasa,

Ad vires. quibus continetur, mole suâ distendat: vel *ad vires*, quando tanta est sanguinis copia, ut vasa quidem non supra modum repleat; viribus tamen sit gravis; & nulla cacochymiæ adsunt signa.

Ejus effecta. *Ex his* oriuntur plurimi morbi, ut inflammationes, apoplexia, vasorum ruptiones, febres.

Sanguinis inopia. *Deficiens sanguinis copia* etiam morbos accersit, ut tabem, atrophiam, caloris nativi extinctionem.

Cacochymia. *Cacochymia* est humorum, corpori alendo inutilium, in venis, vel arteriis, vel extra illas, redundantia.

Estque *vel* pituitosa, *vel* biliosa, *vel* melancholica, *vel* atrabilaris, *vel* serosa, *vel* maligna.

Pituitosa. *Cacochymia pituitosa* est insipida, acida, salsa, vitrea, vel gypsea.

Biliosa. *Biliosa* est vitellina, porracea, æruginosa, vel glastea,

sive

sive glastum colore referens.

Melancholica est insipida, acida, vel acerba. *Melancholica.*

Atrabilaris est sanguinea, melancholica, pituitosa, vel biliosa, sive è bile genita. *Atrabilaris.*

Serosa est mitis, vel acris. *Maligna* est insigniter prava. *Serosa. Maligna.*

Deinde cacochymia est *universalis*, vel *particularis*: & hæc posterior est *publica*, in partibus publicis; vel *privata*, in partibns privatis existens, *Universalis, particularis; publica, privata.*

Denique cacochymia est *cruda*, quæ ad evacuandum est inepta; vel *cocta*, quæ justam tenuitatem habens, & à reliquis humoribus & partibus separata, ad excernendum est apta. *Cruda: Cocta.*

Ex hac congeneres nasci innumeros morbos quotidiana experientia ita docet, ut exempla nulla hic videantur desiderari. *Cacochymia effecta.*

Vitium solidarum partium est, cum ipsæ corrumpuntur, Hinc morbos nasci docet pars gangrænâ affecta, quæ vitium suum sæpè quàm celerrime reliquis partibus communicat. *Solidarum partium vitium.*

Res toto genere præter naturam in corpore genitæ, quæ morbos gignunt, sunt calculi, vermes, & similia. *Res toto genere præter naturam in corpore genita.*

Calculi obstructiones, &, si acuti sint, solutiones continui, & summos sæpe dolores pariunt.

Vermes multorum malorum sunt autores, ut febris, palpitationis cordis, pruritus narium, epilepsiæ, pravi appetitus, &c. *Eorum effecta.*

CAPUT VII.

De Causa Solitaria, Procatarctica, Antecedente, & Continente.

ATque hæc *de externa & interna causa* diximus. *Solitaria & cum aliis agens* jam est proponenda. *Causa solitaria, & cum aliis agens.*

Causa morbi solitaria ex. gr. est ictus gladii, vulnus; & lapsus, contusionem vel luxationem inferens.

Ejus vero, *quæ cum aliis causis morbum inducit*, exemplum est cacochymia, quæ à mala diæta orta, cum obstructionibus & putredine, febrim parit.

Hæc *posterior*, primo est *princeps*, vel *ministra*: & deinde *procatarctica*, *antecedens*, vel *continens*. Et denique *remota*, vel *proxima*.

Procatarctica.

Procatarctica est causa cum aliis agens, unde primò morbus producitur; sive illa sit externa; sive interna: ut ira, vel æstus aëris, cacochymiam movens, febrimque inducens.

Antecedens.

Antecedens est, quæ in corpore ortum ex aliâ ducens, ita morbum producit, ut eâ sublatâ morbus possit perseverare: ut plethora vel cacochymia à diætæ vitio orta, unde inflammatio vel obstructio in venis alicujus partis, vel constipatio viscerum originem ducit.

Conjuncta.

Hæc morbum vel proximè attingit, & *conjuncta* vocatur, ut intemperies alicujus partis frigida, quæ vicinæ parti similem intemperiem tribuit: vel *remote*, *quæ* synecdochicè *antecedens vocatur*; ut plethora respectu phlegmones, mediante humorum putredine vel affluxu, inductæ.

Continens.

Continens est causa morbi interna, cum materiâ, aliunde orta, quæ ita morbo proximè adhæret, ut eâ positâ morbus ponatur, sublatâ tollatur: ut calculus, qui, ex cacochymiâ, ab intemperantia cibi & potus ortâ, natus, ureterem obstruit.

Non omnis morbus continentem causam habet.

Atque hinc constat *non omnes morbos continentem causam habere*. Non enim omnes sunt cum materia, nec causam internam habent, nec cum aliâ causâ agunt.

Causa remota.

Causa *remota* est, inter quam & morbum alia causa intervenit.

Proxima.

Proxima, est causa cum aliis agens, a qua morbus proximè producitur.

Itaque ictus gladii vulnus infligens, non est causa proxima, dicenda: quia est causa vulneris solitaria. CAP.

CAPUT VIII.

De Symptomatis in genere.

JAm porro agendum de *Symptomate*; quod est res contra naturam, in corpore nostro à morbo profecta. *Symptoma.*

Estque vel *morbus à morbo ortus*; ut intemperies ventriculi calida, originem ducens à præsente intemperie calida hepatis: vel *morbi causa à morbo nata*, ut redundantia bilis, ab intemperie calida hepatis originem ducens, febrimque pariens: vel *simplex symptoma*; quod sc. non est morbus a morbo profectus, nec causa morbi a morbo profecta. *Ejus differentia.*

Hoc postremum est actio læsa, excrementorum vitium, qualitas corporis immutata. *Simplicis symptomatis differentia.*

Actio læsa est, quæ secundum naturæ leges non perficitur. *Estque* abolita, diminuta, aucta, vel depravata. *Actio læsa.*

Actio abolita est, quæ omnino cessat; ut cœcitas, paralysis. *Abolita.*

Diminuta, quæ debiliter & imperfecte peragitur; ut nyctalopia, stupor. *Diminuta.*

Aucta est, quę validius, vehementius, & fortius justo peragitur; talis est nimia vigilia, pulsus & respiratio ingens, aliæque similes, quæ mediocritatem excedunt. *Aucta.*

Depravata est vitiosa, quæ tamen nec est abolita, nec aucta, nec diminuta; ut depravata imaginatio melancholicorum, diabolos, chymæras, aliaque monstra horrenda sibi adesse imaginantium. *Depravata.*

Excrementorum vitium est, ubi illa qualitate, quantitate, excernendi modo, tempore, vel toto genere, à naturali statu recedunt. *Excrementorum vitium;*

Qualitate recedunt, excrementorum putredo; urinæ nimia acrimonia; bilis amaror nimius; nimia etiam eorum crassities, vel tenuitas, vel alia qualitas pręter naturam. *Qualitatis.*

Quan-

Quantitatis. *Quantitate*, ubi copiosius, vel parcius profluunt; ut ptyalismus, diarrhæa, alvus nimis adstricta.

Excernendi modi. *Modo excernendi*, ubi per convenientia loca non excernuntur; ut si alvi fæces per os ejiciantur, uti fit in volvulo; vel sanguis menstruus evacuetur per mammas, vel vomitu; vel catarrhus pituitosorum aut serosorum humorum ex capite delabatur in pulmones, vel ventriculum.

Temporis *Excernendi tempore* delinquunt menses, qui justo citius, vel tardius profluunt.

Quæ toto genere peccant. *Toto genere à naturali statu recedunt*, ex. gr vermes, calculi, item pannus, cultri, clavi, aliaque multa similia, quæ nullam cum excrementis naturalibus similitudinem habent, è corpore excreta.

Qualitas corporis immutata. *Qualitas corporis immutata* est quodvis accidens, quod solidioribus partibus præter naturam inest, & morbum sequitur.

Ejus differentiæ. *Hæc à numero* sensuum, quibus percipitur, in quinque ordines redigitur.

Visibilis. *Primi ordinis* sunt fœdi colores; ut flavus ab ictero, pallidus à leucophlegmatia.

Audibilis. *Secundi*, sunt soni præter naturam; ut aurium tinnitus, pulmonum fauciumque stertor, dentium stridor, &c.

Olida. *Tertii*, sunt tetri odores, quos axillæ, nares, os, aut universum corpus exspirat.

Sapida. *Quarti*, sunt ingrati sapores, qui linguam, vel palatum inficiunt.

Tactilis. *Quinti*, sunt tactiles qualitates, quæ non conveniunt; ut inconveniens calor, frigus, humiditas, siccitas, mollities, durities, scabrities, item *dolor*: qui est vehementior sensoriorum tactoriorum motus, sensationem tristem inducens.

Dolor tactorius.

Hic non est semper à solutione continui. *Cumque* hic motus possit esse sine continui solutione; nulla causa est, cur dolorem semper à continui solutione sensibili, vel insensibili, esse dicamus.

Hic,

Hic, pro cauſę efficientis & ſubjecti diverſitate, eſt varius. Ab acribus enim & pungentibus, in partibus nervoſis & membranoſis, *acutus*: à rebus obtuſis, in partibus carnoſis, *obtuſus*: à ponderoſis, & in parenchymatis, *gravativus*: circa arterias, *pulſans* percipitur dolor. *Ejus diverſitas.*

CAPUT IX.

De Symptomatis famis, ſitis, & deglutitionis.

ATque ita ſumma genera ſymtomatum enarravimus; quæ ut paulò clariora evadant, ea in exemplis particularibus nonnihil demonſtranda, cauſæque eorum reddendæ videntur: quod ut commodè fiat, actionum læſiones cæteris prę̃mittere, eaſque eo fere ordine, quo actiones humanæ in Cognitione phyſiologica propoſitæ fuerunt, exponere decrevi.

Inter actionum naturalium læſiones *prima* eſt abolita, imminuta, aucta, vel depravata *fames*, vel *ſitis*.

Aboletur vel diminuitur fames, quando nullus aut nimis paucus ſuccus acris & fermentaceus ab arteriis in ventriculum infunditur, ut ſit in nimis diu jejunantibus: *vel* quia punctio & roſio ſucci acris, in ventriculum effuſi, non percipitur, propterea quod mens intentioribus cogitationibus aliò ſit diſtracta: *vel* quia nimia aliorum ſuccorum, ex quacunque cauſa circa ventriculum hærentium, copia, punctionem & roſionem acris iſtius ſucci impedit. *Ἀνορεξία ſive fames imminuta, vel ablata.*

Fames ſupra modum aucta, ſeu βούλιμος, oritur *ab* acri illo ſucco, ventriculum nimis rodente, & cibum conſumente, ſeu ita attenuante, ut inſenſibiliter facilè diſſipetur. *Deinde* hujus cauſa eſt corporis extenuatio, quà alimentum celeriter per corpus diſtribuitur, & ventriculus evacuatur; ac nervus ventriculo inſertus, ob extenuationem, *Βούλιμος ſive fames nimia.*

valde sensibilis factus, acutius rosionem acris succi, in ventriculum expulsi, persentiscit; præsertim ubi humores circa ventriculum nulli sunt, qui acrimoniam illam frenent.

Fames canina. Si famem supra modum auctam comitatur vomitus vel diarrhæa, vocatur *fames canina.*

λίτθα sive pica. *Depravata fames in pica* & λίτθα, ubi carbones, cineres, creta, pix, & alia, à naturâ nostrâ aliena, appetuntur, ob humorem vitiosum & peculiariter corruptum, qui, ventriculum certo modo movendo, talium rerum appetendarum imaginationem excitat. *Huic* affectui maxime obnoxiæ sunt fœminæ, primis uteri gestationis mensibus.

Sitis imminuta, vel ablata. Quæ ventriculum nimio humore humectant, sive ibi gignantur, sive aliunde affluant, illa *sitim tollunt, vel imminuunt.* Tollunt *etiam* sitim cogitationes, quæ mentem aliò distrahunt.

Nimis aucta. Quæ vero ventriculi os superius nimis exsiccant, & nimiâ salsugine perfundunt, *sitim ultra modum augent.*

Depravata. *Hæc depravatur,* à pravo aliquo succo salsuginoso, ventriculum exsiccante, & simul potus appetendi imaginationem vitiante; ita ut ex. gr. muria, acetum, urina, vel aqua fœtida appetatur.

Deglutitio ablata, & depravata. Huc etiam pertinent *deglutitio ablata*, quâ nihil omnino: & *imminuta*, quâ cum difficultate aliquid, atque ideo paucum: item *depravata*, quâ palpitando, tremendo, vel convellendo, alimentum deglutitur.

Causæ. *Idque* ob vitium *rei* deglutiendæ. Cum sc. illa est dura, sicca, aspera, inæqualis, viscida, aut ingrato sapore prædita. *Vel* ob organum lęsum, ex fibris œsophagi relaxatis, *vel* exsiccatis, *vel* tumore, ulcere, aut excoriatione affectis; *vel* paralysi aut convulsione laborantibus; *vel* ex cavitate œsophagi, ob tumorem, vertebrarum luxationem, aut spinam inhærentem, arctatâ.

CAP.

CAPUT. X.

De Symptomatis primæ, secundæ, & tertiæ coctionis,

COctionis Ventriculi, seu chylosèos, vitia sunt Apepsia, Bradupepsia, & Dyspepsia. *Vitia coctionis ventriculi.*

Apepsia seu cruditas, & *Bradypepsia* seu tarda & diminuta coctio, quæ secundum magis & minus tantum differunt, fiunt vel ob ventriculi intemperiem frigidam; *vel* propter obstructiones vasorum cœliacorum, quæ succum fermentaceum à ventriculo avertunt; *vel* propter cibos, quantitate aut varietate peccantes, aut concoctu difficiles, aut justo tempore non sumptos: *vel* ob intempestivum, vel immoderatum corporis motum. *Apepsia & Bradypepsia.*

Dyspepsia, sive cibi corruptio, est nidorosa, vel acida. *Dyspepsia nidorosa.*

Dyspepsia nidorosa est, cum alimentum in nidorosum & quasi ustum succum mutatur: *quod* constat ex ructibus, oleum frixum, vel pisces corruptos, aut simile quid, redolentibus.

Hæc plerumque originem ducit ab intemperie ventriculi calida; *vel* excrementis biliosis, in eo vel circa illum redundantibus; *vel* ab alimentis calidis & corruptioni obnoxiis, ut lacte, fungis, fructibus quibusdam horariis, &c. *Causa.*

Dyspepsia acida est, cum cibus in acidum cremorem convertitur: *quod* cognoscitur ex acidis ructibus. *Acida.*

Hæc provenit fere ex intemperie ventriculi frigidiore, alimentis frigidis, & succis acidis, circa ventriculum existentibus. *Causa.*

Altera coctio seu *Chymosis*, quæ in hepate, liene & vasis vicinis fit, & sanguificatio vulgò dici solet, vel *abolebitur*, cum fere nulla fit chyli mutatio, & pro bono sanguine, vel potius chymo, pituitosus, vel serosus gignitur: vel *imminuitur*, quo ille semicrudus generatur: vel *depra-* *Vitia coctionis, quæ fit in hepate, liene, &c.*

vatur, ubi chymus justo calidior & adustus nascitur.

Causa. Sanguificationis vulgaris, seu chymoseos potius, imminutæ & obolitæ *causa* est viscerum horum & vasorum intemperies frigida, undè gignitur sanguis crudus instar aquæ, in qua carnes recens mactatorum animalium sunt ablutæ. *Eadem* oritur etiam à viscerum obstructionibus, tumoribus, ulceribus: cum eorum temperies & conformatio his valde vitientur.

Hydrops. Hoc malum si augeatur, nascitur *Hydrops*; qui est hujus sanguificationis læsæ species, in qua tantum serosi humoris gignitur, & in quibusdam partibus colligitur, ut corpus in tumorem attollatur.

Ejus species. *Hujus tres præcipuè sunt species*: ascites, anasarca, & tympanites.

Quomodo fiat ascites. Quæ ut rectè intelligantur, *sciendum* est, ad boni sanguinis generationem requiri, *primò* ut cibus in ventriculo benè concoquatur & attenuetur: *deinde* ut chyli partes, quæ sese in venas gastricas, lacteas, & mesaraicas insinuarunt, exactè à moderato calore cum sanguine misceantur; ita ut partes aqueæ chyli & sanguinis à spirituosis & oleaginosis præter naturam separari, ob exactam mixtionem, nequeant: & *denique* ut vasorum tunicæ justam habeant densitatem, ad aqueas & serosas partes in vasis satis continendum. *Si itaque* contingat ob *cruditatem* chyli, *vel* frigiditatem vasorum vel viscerum, ex quâvis causâ ortam, partes chyli cum sanguine non exquisite misceri, *aut* poros vasorum vel viscerum, propter exsiccationem vel aliam causam, nimis patere, tum partes sanguinis aqueæ & serosæ, quia non sunt ramosæ, sed læves, facile & nimis copiosè per tunicas vasorum egrediuntur, tanquam in vaporem nimis copiosum resolutæ; qui quando ad superficiem peritonæi, omenti, musculorum abdominis, aliorumque pervenit, partes ipsius, partim ob angustiam loci

Quomodo aqua in ventre hydropicorum colligatur ordinariè.

con-

conglomeratę, *partim* à minore superficierum calore condensatæ, in aquam abeunt. Cum autem hoc fiat continuò, & aquæ isti, ubi crura vel scrotum nonnunquam replevit, nullus detur exitus, capacitas totius abdominis paulatim impletur, & in magnum tumorem attollitur, qui *ascites* dici solet.

Quomodo extraordinarie.

Nec est prætereundum, aliquando contingere, ut hepar, renes, lien, pancreas, ureteres, ductus aquosi, vel aliæ partes abdominis exulceratæ, vel nimis rarefactæ, vel ruptæ, serosum humorem in capacitatem ventris perpetuò emittant, & ita *ascitem* etiam gignant.

Leucophlegmatia.

Si autem imbecillis istorum vasorum & viscerum calor tantum valeat, ut partes aqueæ sanguinis & chyli leviter quidem, sed tamen satis sufficienter, quamdiu intra viscera versantur, cum reliquis partibus conjungantur, & inter se contineantur, tunc non nascitur quidem ascites; sed ubi ille sanguis ad habitum corporis est delatus, tum partes aqueæ & serosæ, leviter cum reliquis mixtæ, ob frigus istius loci, à reliquis separantur, & ex poris vasorum exhalant, atque in aquam condensantur, quæ ibi hærens, habitumque corporis in tumorem attollens, *leucophlegmatiam* sive *anasarcam* gignit.

Tympanites.

Si verò contingat, ob intemperiem viscerum aut vasorum frigidam, crudos succos in abdomine gigni, eosque non satis cum sanguine misceri; ac præterea aliquam partium abdominis intemperie calida laborare; tum calor crudos illos succos, ex vasorum poris exhalantes, ex parte in flatus crassos resolvit; aut ubi pori vasorum vel viscerum ita patent, ut tanta copia crassorum vaporum exhalet, quæ in aquam satis commode converti non potest, tum etiam plurimi flatus in capacitate abdominis gignuntur: qui, cum ob crassitiem per insensibilem transpirationem dissipari nequeant, in abdomine contenti, atque il-

lud distendentes, *tympanitem* pariunt.

Cur hydropicorum urina sæpe sint pauca & rubra.

Hinc jam facilè ratio reddi potest, *cur* frequentissimè *in hydropicis, & præsertim asciticis, urina sit rubicunda*, quamvis hoc malum plerumque oriatur ab intemperie frigida. Serum enim, cum ex venis exhalet, &, in aquam condensatum, in abdomine aut habitu corporis retineatur, cum sanguine ad renes satis parcè appellitur, nec bilem sanguinis diluere potest. *Via* etiam, per quam aquea ista materia in capacitatem ventris pervenit, *jam est manifesta*, etiamsi nulla viscera manifestam aliquam continui solutionem habere sæpissime videantur. *Atque* hinc etiam intelligimus, cur in quibusdam hydropicis hepar & alia viscera quam plurimis vesicis, sero plenis, obsita sæpè observentur. Ex his etiam *hydrops thoracis* facile intelligi potest, atque etiam *hydrocephalon*.

Per quam viam aqua hic veniat in ventris cavitatem; Et cur viscera hic sæpe vesicis sint obsita.

Ratio hydropis capitis & thoracis.

Depravata chymosis.

Depravatur chymosis à viscerum intemperie, præcipue calida & sicca, quæ chylum & sanguinem adurit, & in bilem æruginosam ac atram convertit: huc etiam faciunt *alimenta acria & nimis calida*, ut aromata, allium, cepe, vinum generosum, spiritus vini.

Vitium hæmatoseos cordis.

Vera sanguificatio, quæ in solo corde fit, *imminuitur vel depravatur*; tum ob *intemperiem*, vel vitiatam cordis vasorumque ejus *conformationem*; tum ob *vitium alimenti*, ad cor delati.

Ejus probatio.

Sanguificationem autem *a cordis affectu* lædi, manifestum est in multis hydropicis exstinctis, & post mortem dissectis, quorum cor induratum, pinguedine repletum, & aliter male affectum, sæpissimè reperitur.

CAP.

CAPUT XI.

De Symptomatis pulsus, & respirationis.

INter symptomata pulsus, principem locum obtinet *palpitatio cordis*; quæ est inordinatus & nimis vehemens cordis & arteriarum pulsus; quo nonnunqam costę vicinæ effringuntur, & magna aneurismata excitantur. *Palpitatio cordis.*

Hæc à duabus causis græcipuæ oriri videtur: *primo*, à nimis vehementi & inordinatâ sanguinis ebullitione, ortâ ab humoribus quibusdam, in aliqua corporis parte collectis, qui ira, venere, corporis vehementi exercitatione, vel alia ratione agitati & deinde sanguini admixti, & in cor illapsi, tales acquirunt poros, ut ætherea materia in illis impetuosius & inordinatius agitata, particulas quasdam crassiores in alias fortius & præter naturæ ordinem agitando, sanguinem vehementius & inordinatius rarefacit. *Altera* ejus causa est inordinatus & vehemens spirituum animalium in cor influxus, qui oritur à re molesta cordis fibrillas ita movente, ut spiritus animales ex cerebro in cor præter naturam influant, illudque vehementius & inordinatius moveant, ac partes sanguinis in corde ad vehementiorem & inordinatam rarefactionem disponant. Talia sunt res acres, tumores, pus, caruncułæ, aut flatus, circa cor existentes. *Causa.*

Respiratio, quæ sanguificationi cordis & sanguinis circulationi ministrat, vel *tollitur*, ut in apnęa: vel *imminuitur*, & *depravatur*, ut in asthmate, orthopnæa, pleuritide, præfocatione uterinâ, anginâ. *Respiratio læsa.*

Dyspnæa, *Asthma*, & *Orthopnæa* tantum gradibus quibusdam inter se differunt. *Primus* enim *gradus* est anhelatio, sive dyspnæa: *secundus* respiratio frequens, seu asthma: *tertius* summusque, cum erecti respirare coguntur, & ideo vocatur orthopnæa. Ubi ad sensum abolita est respiratio, dicitur *apnæa*. *Dyspnæa, asthma, orthopnæa, apnæa.*

Cau-

Causa. *Causa* symtomatum respirationis læsæ sunt, *vel* defectus spirituum animalium, musculos thoracis moventium; *vel* vitium pulmonum aut thoracis. *In pulmonibus* causa est intemperies eorum calida; *vel* obstructio bronchiorum a materia crassa, *vel* humore a capite eô defluente, *vel* ex ipsa pulmonum carne in bronchiorum cavitatem transsudante, *vel* bronchia foris comprimente, facta; *vel* alius morbus conformationis, ut tumor, ulcus, aut vulnus. *Thoracis* vitium est, cum ille est inflammatus, vel tumore obsessus, *vel* pure aut sero repletus; vel ubi diaphragma, ob aquam in abdomine contentam, satis in inspiratione deprimi non potest.

Pleuritis. *Pleuritis* est respirandi difficultas, punctorio lateris dolore, & continuâ febre, comitata.

Hæc non tantum est ab inflammatione pleuræ, sed etiam membrana pulmones investientis. *Hæc* oritur non tantum à pleurę (unde ei nomen primo est impositum) & musculorum intercostalium; sed etiam ab alicujus partis pulmonum exterioris inflammatione, uti docet sectio plurimorum pleuriticorum, hoc morbo extinctorum in quibus pulmones affecti inveniuntur, pleurâ sępè integrâ.

Quomodo membranæ pulmonis inflammatio dolorem punctorium gignat. *Nec* adversatur dolor punctorius, qui hic percipi solet: ille enim oritur à membrana pulmonem investiente, quæ, inflammatione cum pulmonibus laborans, dum alternis vicibus perpetuo contrahitur & distenditur, illum parit. *Nec* tamen pleuram interdum inflammari negamus. Si autem hoc fiat, existimo sanguinem, hîc exspuendum, ex ea non satis commode in pulmones posse transire; sed facilius in diaphragma delabi.

Inflammatio membranæ pulmonis non facit dolorem ob membranaceos nexus. *Nec* doloris hujus causa, ad membraneas pulmonum & pleuræ connexiones, perpetuò est referenda: cum illæ in omnibus pleuriticis non inveniantur.

Si inflammatio interiores pulmonũ partes occupaverit, *peripneumonia* vulgo vocatur: quiâ membranam, pulmones investientem, inflammari putant.

In-

Inflammatio autem pleuræ, & membranæ pulmones investientis, ut & pulmonum ipsorum, *fit* non tantum à *calore* poros istarum partium aperiente, & humores fervidos in illas effundente: sed etiam *à frigore*, corpus nimis excalefactum contingente; uti evenit in iis, qui à vehementiore corporis motu, vel aëris æstu, valde æstuantes, potum frigidum copiosè ingerunt, vel denudatum corpus aëri frigido exponunt, atque hinc pleuriticam inflammationem sibi accersunt. Cujus rei causa mihi esse videtur; quod frigus illud aëris vel potus, poros quosdam pectoris æstuantis, & vapores copiosissimos undique emittentis, claudat; quo magna vaporum illorum fervidorum pars per alios meatus egressum, cum aliis vaporibus eodem tendentibus, sibi parare, meatusque illos pectoris plus justo aperire cogitur. Poris jam plus justo, in pulmonibus, pleurâ, vel aliis pectoris partibus, apertis, humores fervidi a corde in istas partes copiose ex vasis impelluntur, & deinde ibidem corrumpuntur; iique corrupti talem ex corruptela acquirunt pororum & particularum dispositionem, ut illi porro ab æthere intercurrente vehementissime inter se & in partes agitentur, eaque vehementissima agitatione *inflammationem* ibi inducant.

Quomodo inflammatio pleuræ & pulmonum non tantum à calore, sed etiam à frigore oriri queat.

Nec est, quod quisquam dicat ex frigore illo aëris vel potus, in partibus pectoris ab eo contactis, venas ita claudi, ut sanguis per arterias identidem impulsus, hinc commode circulari, & ulterius in venas procedere nequeat; ac propterea partes illas nun tantum distendi, sed etiam, ex accessu sanguinis arterioši valdeque calentis insequente, calorem in illis pattibus valde augeri, atque ideo *inflammationem* in iis excitari:

Alterius opinionis refutatio.

Nam, cum sanguis in partem aliquam per arterias impellitur, nec, propter venas clausas, circulari sive ulterius ad cor procedere potest; quamvis primò per copiosioris

sanguinis impulsionem & vasorum distentionem partes distendantur; ulterior tamen earum distentio, vasis jam impletis, &, quantum fieri potest, expansis, cessat; ac, propter eandem illam vasorum impletionem, recens sanguinis calidi in partes sanguine repletas impulsio, per easque diffusio, necessariò etiam sufflaminatur; quo contingit, ut partes illæ, conservatore sui caloris destitutæ, tum paulatim magis magisque refrigerentur, ac calor tandem in iis extinguatur; tantum abest, ut partes illæ inde nimium incalescant, vel *inflammationem* concipiant. Atque hæc in quâvis parte, in quâ venæ, propter injectam perseverantemque ligaturam, sunt constrictæ, ad visus & tactus sensum sunt manifesta.

Quomodo ob circulationem sanguinis, à frigore impeditam, inflammatio oriri aliquando possit.

Verum si, propter sanguinis circulationem à frigore nonnihil impeditam, vasa à sanguine nimium distendantur, porique eorum nimis aperiantur; & humores fervidi per poros istos nimis apertos, sese in partes vicinas copiosè effundant, ibique corrumpantur; & ex ista corruptione talem pororum & particularum insensibilium acquirant dispositionem, ut ab æthere intercurrente vehementissime inter se & in alias partes agitentur, tum ex illa vehementissima agitatione *inflammatio* ibi oriri potest.

Præfocatio uterina,

Præfocatio uterina est respirandi difficultas, orta ab humoribus circa uterum corruptis, &, vellicatione fibrillarũ uteri, poros in cerebro ita aperientibus, ut spiritus animales, ex eo in certos musculos abdominis aliasque partes influentes, convulsivum quendam motum, respirationem valdè lædentem, in abdomine & diaphragmate, aliisque partibus, respirationi inservientibus, excitent.

Quid sit ille globus, qui in abdomine hystericam passionem

In hoc affectu sæpè *intestina*, *in globum contracta*, versus superiora magno impetu indentidem à spiritibus ex cerebro per nervos sextę conjugationis in ea vehementissime influentibus propelluntur. *Hoc* alii ab utero, alii à tubâ

Fal-

Fallopianâ dictâ, proficiſci male putare videntur. Cum illæ partes, præſertim in virginibus, in tantam molem diſtendi, & tam alte, ubi globus ille percipitur, attolli non poſſint. *patientium, ſæpe ſentitur.*

Hi humores, ſi ſanguini admiſti ejus dilatabilitatem valde imminuant, ad cor delati pulſum debilem, lipothymiam, ſyncopen, corporis totius refrigerationem; &, deficientibus hinc ſpiritibus animalibus, apnæam, ſenſus & voluntarii motus læſionem, aliaque gravia ſymptomata inducunt. *Quomodo alia graviſſima ſymtomata hunc affectum comitari ſoleant.*

Maxima etiam reſpirandi difficultas eſt in *anginâ*; quæ eſt difficultas reſpirandi, ex inflammatione muſculorum faucium, vel laryngis guttur nimis arctante, orta. *Angina.*

CAPUT XII.

De Symptomatis excretionis oris, ventriculi, & inteſtinorum.

EXpulſionis *oris & ventriculi* ſymtomata ſunt ptyaliſmus, ſingultus, nauſea, vomitus, cholera, ructus.

Ptyaliſmus eſt ſalivæ nimia ex ore excretio. *Ptyaliſmus.*

Eaque *oritur* ex magna pituitoſorum humorum in corpore redundantiâ, *atque* ex tonſillarum, aliarumque carnoſarum oris partium, nimiâ raritate, & pororum nimiâ apertione. *Cauſa.*

Singultus eſt motus ſuperioris partis ventriculi, qui per intervalla cum ſonitu fit, à re moleſta, ipſam vellicante, & poros cerebri, ope nervi ſextæ conjugationis, ita aperiente; ut ſpiritus animales, ex eo per vices in fibras ventriculi, quæ oblique aſcendunt, influentes, id, quod ipſum moleſtat, identidem per os cum ſonitu expellere conentur. *Singultus.*

Hic fit *per idiopathiam*, cum materia ventriculum vel *Per idiopathiam;*

copiâ gravat, vel qualitate laceſſit, vel extrinſecus comprimit: *aut* ſit *per ſympathiam*, compatientibus ſc. nervis ſextæ conjugationis, ventriculo implantatis, ob cerebri inflammationem, vel percuſſionem, item ob inflammationem diaphragmatis, pulmonum, hepatis, inteſtini ilei, &c.

Vel ſympathiam.

Vomitus. *Vomitus* eſt violentus ventriculi motus, quò ille a remoleſtâ irritatus, & ope ſpirituum animalium, in certas ejus fibras, per apertos cerebri poros, influentium, verſus ſuperiora contractus & compulſus, ea, quæ in ejus cavitate continentur, per os expellit.

Cauſæ. Oritur vomitus à *ventriculi* intemperie, præſertim frigidâ & humidâ, vel pravâ ejus conformatione, qualis eſt nativa ejus anguſtia, item exſiccatio, contabeſcentia, ulcus, tumor. *Item* à vomendi conſuetudine. *Huc* etiam facit pylori occluſio vel anguſtatio, ſicut & inteſtinorum obſtructio, & perverſus eorum motus, item colicus & nephriticus dolor, atque etiam cerebri ac meningum læſiones. *Deinde* materia ventriculo contenta illum ad vomitum irritat, vel copiâ gravando, vel acrimoniâ vellicando, vel poros ejus claudendo, vel os ſuperius molliendo & humores circa ventriculum dilatando, vel maligna qualitate ſtimulando; ſive ſit cibus, ſive potus, medicamentum, vermes, ſanguis, pus, bilis. Et *denique* nimius corporis motus, *item* imaginatio rerum horrendarum. *Ex* omnibus enim his cauſis oritur ſæpè talis motus in cerebro, quo pori illi aperiuntur, qui ſpiritus in ventriculi fibras, expulſioni per ſuperiora faciendæ inſervientes, immittunt.

Nauſea. *Nauſea* ab iiſdem producitur cauſis; ſed minoribus.

Cholera. *Cholera* eſt motus ventriculi & inteſtinorum depravatus, quo materia vitioſa, per utrumque eorum orificium, magnâ vi ejicitur.

Cauſa

Causa hujus affectus sunt pravi & acres humores, copiâ vel qualitate excretionem ventriculi & intestinorum per superiora & inferiora excitantes; dum sc. à spiritibus animalibus, ob certam vellicationem è cerebro aperto immissis, fibræ earum partium obliquè ascendentes & descendentes, item transversæ, æqualiter inflantur, & contrahuntur, &, quod his continetur, sursum & deorsum expellitur. *Causa.*

Est etiam *cholera*, quæ *sicca* dicitur. *Causa* ejus est spiritus flatuosus & acris, a bile flava, atra, ac adusta, ventriculo substrata, excitatus. *Cholera sicca.*

Ructus est flatuum, cum sonitu, è ventriculo, per influxum spirituum contracto, per os excretio. *Ructus*

Hi *originem ducunt* à ventriculi cruditate, cibos non satis attenuante: *item* ab obstructione pororum ventriculi, qua partibus tenuibus chyli ingressus impeditur in vasa gastrica & vas breve: atque *etiam* ab acidis & acribus succis, circa ventriculum redundantibus; unde tanta copia crassorum vaporum in ventriculo gignitur, quæ commode per corpus distribui, & per insensibilem transpirationem dissipari non potest; atque ideo flatus in ventriculo constituit, qui deinde per ructum expelluntur. *Causa.*

Falluntur itaque, qui has multasque alias his similes vehementes expulsiones à facultate quadam expultrice, sine tali spirituum animalium & fibrarum auxilio, fieri putant; cum illa sit tantum imaginaria, & nullâ rectâ ratione intelligibilis. *Aliorum opinionis rejectio.*

Excretionis *intestinorum* symtomata sunt lienteria, cœliaca affectio, diarrhæa, dysenteria, tenesmus, ileus, alvus tarda & suppressa. *Excretionis intestinorum vitia.*

Lienteria est fluxus alvi, quo cibus & potus, non mutatus, excernitur. *Lienteria.*

Cœliaca affectio est frequens & copiosa chyli crudi, & *Cœliaca affectio.*

imperfectè cocti, per alvum ejectio.

Causa. *Horum affectuum*, qui tantum ut majus & minus differunt, *causæ* sunt ventriculi & inteſtinorum intemperies frigida & humida; humores pituitoſi; cicatrix eorum poſt dyſenteriam lævis & denſa; pinguium & lubricantium immoderatus uſus; ulceroſa ventriculi & inteſtinorum diſpoſitio, ex mordacibus & acribus humoribus orta: interdū *etiam* occulta vulgo qualitas, nata ex cibis pravis aut venenis, aut etiam ex prava conſtitutione aëris, quæ reſpiratione hauſta, ſanguini primò, ac deinde ventriculo & inteſtinis communicatur. *Verum* his qualitatibus ſemper adeſſe debet qualitas, inteſtina ad excretionem intempeſtivam irritans: alioqui enim nulla ex iis alvi orietur evacuatio.

Poteſt hic *obſtructio* venarum lactearum vel meſaricarum aliquando concurrere; ſed hæc non requiritur ſemper adeſſe.

Diarrhæa. *Diarrhæa* eſt copioſa & frequens excrementitiorum humorum per alvum dejectio.

Cauſa. Hujus *cauſa* eſt *humorum* excrementitiorum copia, vel acrimoniæ právitas, inteſtina ad excernendum per inferiora irritans: ſive illi in ventriculo & inteſtinis ex corruptione gignantur; ſive aliunde eò confluant. Oritur hæc *etiam* ex pororum in inteſtina deſinentium nimia apertione. *Poteſt* hic interdum adeſſe effervescentia: ſed ea non ſemper requiritur.

Varietas. *Hæc* pro varietate humorum, qui excernuntur, eſt varia.

Dyſenteria. *Dyſenteria* eſt alvi dejectio cruenta, frequens, & doloroſa.

Cauſa. *Cauſæ* hujus ſunt acres & mordaces, & ſæpe etiam viſcidi *humores*, qui inteſtina ad excretionem irritant, eaque exulcerant; *ſive* illi in ipſis ſint geniti, *ſive* aliunde eò ferantur: *item* acria medicamenta, & venena; ut colocynthis, arſenicum.

Mem-

Membranæ si quæ in hoc affectu excernantur, eas de substantia intestinorum esse, diligens magnæ earum tenacitatis docuit observatio. *Membranæ, hic excretæ. intestinorum.*

Est præterea *triplex* alia alvi cruenta excretio. Quarum *prima* citra morbum contingit; ubi sc. tanta sanguinis copia gignitur, ut naturæ sit molesta, & copiâ vel ebullitione poros vasorum, in intestina desinentes, aperiat, & in illa expellatur. *Secunda* est ille fluxus hepaticus, in quo sanguis niger, & splendens, ac diutius assatus, in intestina exturbatur. *Tertia* est dejectio sanguinis aquosi, similis loturæ carnium, orta ab insigni intemperie frigidâ viscerum, qua sanguis non satis excoctus & mixtus, secundum serosiores partes in intestina popellitur. *Aliæ tres cruentæ excretiones.*

Tenesmus est continua, & fere inanis, per alvum egerendi cupiditas; qua nihil, præter pauca cruenta & mucosa, excernitur. *Tenesmus.*

Causa hujus est humor acris & lentus, crassæ intestini recti tunicæ tenaciter adhærens, eamque exulcerans. *Causa.*

Ileus est fæcum alvi per solum os ejectio, orta ob intestinorum motu expulsorio inverso; propterea quod spiritus, à certâ quadam irritatione excitati, influant in fibras obliquè ascendentes, quo contenta tantum versus superiora propelluntur. *Ileus.*

Hujusmodi *irritatio* sæpè contingit in intestinorum inflammatione, & eorum à duris fæcibus obstructione, *item* in eorum exulceratione, & enterocele, *atque* intestinorum in nodum convolutione, vel implicatione. *Causæ.*

Alvus suppressa est, cum illa segnius, vel nihil excernit. *Alvus suppressa.*

Causa ejus interdum est in *fæcibus*: quando illę sunt nimis paucæ ob inediam, vel propter purgationem, qua intestinâ fuerunt evacuata: *vel* quando nimis sunt duræ aut viscidæ: *vel* quando naturali acrimoniâ, quæ ipsis à bile est, quâ fibras ad excernendum stimulant, sunt destitutæ, *Causæ.*

ut

ut fit in obstructione folliculi fellis, vel post purgationes medicamento factas: *vel quando* succus quidam fibras intestinorum oblique descendentes, excretioni infernæ inservientes, adstringens, qualis ex, gr. est in mespilis, glandibus, cortice granatorum, alumine, aliisque multis, fæcibus admiscetur, vel circa intestina restagnat. *Interdum* causa est *in intestinis* non satis patentibus, vel ex nimio adstringentium usu; vel à tumore intus nato; vel ab eorum coalitu, & præcipuè ipsius ani, qui quibusdam à primo ortu contingit; *vel* ab intestinorum convolutione & contortione, *vel* compressione ut aliquando evenit in hernia, cum intestina, in scrotum prolapsa, convolvuntur, & comprimuntur. *Interdum* ea est *in fibris*, ubi illę sunt nimis duræ, ut irritationem & motum, ab excrementis excitatum, cerebro debite communicare non possint; hoc sæpè in senibus, ut puto, contingit. *Interdum* est *in spiritibus*, ubi illi deficiunt, ut fit in apoplexiâ, aut in vulnere spinalis medullæ; aut ubi mens, altioribus cogitationibus occupata, spiritus aliò evocat. *Interdum* est *in musculis abdominis vel pectoris*, quibus excretio fæcum adjuvatur, quando illi ex longo morbo aut evacuatione sunt debiles, aut inflammati, aut alio dolorifico affectu laborant.

CAPUT XIII.

De Symptomatis excretionis urinæ, lactis, seminis, & mensium.

EXcretionis *urinæ* symptomata sunt ischuria, stranguria, urinæ incontinentia, diabetes.

Ischuria. *Ischuria* est urinę, vesicâ contentæ, talis suppressio, quâ ejus nihil, aut parum excerni potest.

Causæ. *Hæc oritur* vel ex *sensu vesicæ*, à narcoticis, luxatione, contusione, aut aliâ causâ *læso*, quo stimultatio urinæ non per-

percipitur, & sphincter vesicæ non aperitur; vel *à fibris vesicæ*, præ humiditate nimis laxatis, vel obstructis, vel nimis extensis, uti fit in nimia urinæ retentione, qua fibræ nimis extensæ ita arctantur, ut spiritus animales ad illas contrahendas influere non possint: vel a *sphincteris* urethram aperientis læsione. Vel *à meatu urinario*, à caruncula constipato; aut pure, sanguinis grumo, vel calculo obstructo; vel à tumore, aut contortione compresso.

Ischuria impropriè dicta.

Est etiam *ischuria impropriè dicta*, cum nulla aut valde pauca urina in vesicam delabitur; quod fit *vel ob renum* intemperiem; vel propter eorum obstructionem aut constipationem; vel *quia serum aliò transfertur*, uti contingit, cum illud per alvum vel sudores excernitur, vel in abdomine per ascitem cumulatur.

Causæ.

Dysuria.

Dysuria est dolorosa & frequens mictio, assatim vel guttatim facta.

Causa.

Causa consistit *vel* in nimia urinæ acrimonia; *vel* in meatu urinario excoriato, *vel* exulcerato, *vel* intemperie laborante.

Stranguria.

Hæc si guttatim fiat, *stranguria* vocatur.

Causa.

Hæc fit non tantum ab humoribus acribus; sed etiam viscidis, & sphincteri ac vesicæ tenaciter adhærentibus.

Urinæ incontinentia.

Urinæ incontinentia est involuntarium urinæ profluvium; quod interdum dormientibus ac vigilantibus contingit.

Causa.

Ac *oritur*, *vel* à contractione sphincteris ablatâ propter ejus paralysim, ex luxatione, ictu, lapsu, vulnere, vel alia causa ortam: *vel* à musculorum abdominis convulsione; aut à vesicæ pressione, qua gravidis sæpè, ultimis gestationis mensibus, urina præter voluntatem effluit. *Interdum* urinæ incontinentia fit tantum in somno, atque eâ lectus sæpe permingitur. Hujus *causa* est dispositio quædam fibrillarum sphincterem aperientium, qua in somno, dum

homo ad rem non attendit, ex urinę irritatione, ſpiritus in fibrillas, ſphincterem aperientes, copioſius influunt. Multum autem diſpoſitio illa à *conſuetudine* augeri ſolet.

Diabetes. *Diabetes* eſt immoderata urinæ evacuatio.

Cauſa. Hujus *cauſa* eſt mala ſeri cum ſanguine commiſtio, orta à viſceris alicujus *intemperie frigida*: *vel* ſeri à reliquo ſanguine ſeparatio, quæ fit à *calore*, craſſiores partes ſanguinis per aduſtionem conjungente, & tenuiores ſegregante. *Nam* cum ſerum cum reliquo ſanguine non ſatis eſt mixtum, vel a reliquo ſeparatum, ſimulatque a corde in renes impellitur, mox ingreditur extremitates pelvis & principia ureterum, ac in veſicam præcipitatur. Cumque illa impulſio ſit perpetua & copioſa, hinc tam copioſe & continuo mingunt ægri. *Huc* etiam facit corporis colliquatio: & *meatuum* in arteriis emulgentibus & ductibus aquoſis, renumque carne, *juſto major apertio*; quæ mihi *præcipua* hujus affectus *cauſa* eſſe videtur.

Potus hic non excernitur non mutatus. Quod autem ajunt, interdum *potum non mutatum* in hoc affectu per veſicam reddi, mihi non eſt vero ſimile; cum certum ſit omnem urinam, vel magnam ſaltem ejus partem, quæ per urethram excernitur, cor tranſire, atque ibi, ut etiam in aliis partibus, per quas tranſit, à calore vitali magnam mutationem neceſſariò ſubire.

Symtomata *generationis lactis* ſunt, ejus abundantia, defectus, & coagulatio.

Lactis redundantia. *Redundantia lactis* oritur à ſanguinis copia & ſufficiente ejus tenuitate: *item* à pororum & meatuum in mammillis juſta apertione; qua in glandulas lactarias commodè impelli poteſt: *item* à lactis in uberibus retentione, dum mulieres diutius à lactando abſtinent.

Lactis defectus. *Lac deficit* ob paucitatem ſanguinis; *item* ob ejus intemperiem; *nec non* ob meatuum in mammillis anguſtiam: has enim ob cauſas ſufficientem ſanguinis copiam admittere & elaborare non poſſunt.

Con-

Concrescit & coagulatur lac, vel *quia* à nimio calore serosæ partes dissipantur: *vel* quia copiosius & diutius in mammis continetur, ibique ob moram exsiccatur; *vel* quia humor quidam coagulatorius ipsi permiscetur. *Lactis coagulatio.*

Hic ut aliquo modo intelligatur, sciendum est vulgare coagulum fieri ex *reticulo* vituli macerato in aceto, quod macerationè partes glutinosas, seu mollibus uncinis præditas, per absterssionem aceti, in illud deponit. Hujus aceti cum aliquantulum lacti permiscetur, illud, cum sit in perpetuo motu, utpote liquidum, uncinos à reticulo abrasos, & per macerationem communicatos, per totum lac deducit; qui in caseosas, ramosas, & crassiores partes lactis impingentes, illis adhærent, illasque inter se conjungunt. Serosæ autem partes uncos istos effugiunt, tum ob tenuitatem & flexibilitatem suam, tum quia non sunt ramosæ, atque ideo ab illis retineri & cogi non possunt. *Huc* etiam facit potentiale aceti frigus. Atque ita, per serosarum partium separationem, & caseosarum unionem, fit coagulatio. *Simile* coagulum ex acribus & viscidis succis generari in fœminis, quibus lac in mammis coagulatur; illudque vel lacti vel ipsarum sanguini admisceri, atque ita lactis coagulationem in illis fieri, vero simile videtur. *Quomodo à succo quodam coagulatorio lactis in uberibus coagulatio fiat.*

Præcipuum symptoma excretionis seminis est *gonorrhæa*, quæ est nimia seminis profusio. *Gonorrhæa.*

Hæc si dormientibus, per libidinosa insomnia, cum sensu titillationis fiat, *pollutio nocturna* appellatur. *Pollutio nocturna.*

Hujus *causa*, præter illa insomnia, sunt seminis copia, calor atque acrimonia; *item* partium sperma generantium sensibilitas; *nec non* libidinosæ vigilantium cogitationes. *Causa.*

Si verò hæc, *citra sensum* voluptatis & tentiginem, invitis fiat, *vel* est simplex gonorrhæa, *vel* virulenta.

In *simplici gonorrhæa* emittitur semen crudum, aquosum, tenue, nec album. *Gonorrhæa simplex.*

Causa. Hujus *causa* est partium spermatis generationem peragentium nimia laxitas, orta ex affluxu humorum pituitosorum, vel ex nimio coitu, vel alia causa: *item* intemperies earum frigida: *atque* etiam sanguinis, in partes illas impulsi, vitium; hinc enim semen rectè præparari, & debitè excerni non potest.

Gonorrhœa virulenta. Causa. In *virulentâ gonorrhœâ* excernitur virus quoddam liquidum, album, vel flavescens.

Ejus *causa* est partium sperma generantium quędam maligna intemperies, *vel* exulceratio, ex impurâ venere contracta.

Mensium vitia. *Menses vel* supprimuntur, *vel* imminuuntur, *vel* nimis copiosè profunduntur, *vel* depravantur.

Menses suppressi. Causa. *Supprimitur menstruus* mulierum *fluxus* vel *propter* sanguinem paucum, aut crassum, aut viscidum: *vel* propter meatuum angustiam, vel occlusionem, ortam ex eorum obstructione, coalescentiâ, vel aliâ causâ.

Imminuti. Eædem causæ, sed leviores, inducunt *imminutam mensium evacuationem*: eamque *vel* parciorem, *vel* tardiorem.

Nimius eorum fluxus. Causa. *Nimium mensium profluvium* oritur vel à *sanguine* calidiore, tenuiore, acri, aut nimis fervido & copioso: vel *meatibus* circa uterum nimis apertis.

Mensium depravatio. *Depravantur* menses in eorum stillicidio, & in fluore uterino.

Stillicidium eorum *Stillicidium mensium* est, cum illi stillatim & cum dolore exeunt.

Causa. Hoc contingit *vel* ob sanguinem nimis multum, crassum, viscidum, mordacem & acrem, & majori impetu ad uterum delatum, qui vias aliquo modo obstruit, & distendit, doloremque excitat: *vel* ob vias circa uterum, ex parte nimis angustatas.

Fluor uterinus. *Fluor uterinus* est corruptorum humorum ex utero copiosa, & continua, vel inordinata evacuatio.

Causa

Causa hujus mali *aliquando* est cacochymia in vasis, ex vitio viscerum, vel alio modo, nata, & ad uterum propulsa; *interdum* verò ipsius uteri intemperies, eaque præsertim frigida, vel imbecillitas à contusione, exulceratione, inflammatione, aut abscessu contracta. *Causa.*

CAPUT XIV.

De Symptomatis nutritionis, vivificationis, & generationis.

Nutritionis symptomata sunt atrophia, nimia auctio, cachexia.

Huc etiam pertinent scabies, lepra, elephantiasis, &c.

Atrophia est justæ nutritionis defectus, quo corpus sensim extenuatur & exarescit. *Atrophia.*

Hujus *causa* est *intemperies partium*, & præsertim calida & sicca, quæ præcipuè a corde toti corpori communicatur, ut fit in hectica & aliis febribus: *vel* partium & meatuum densitas aut raritas, quâ alimentum in partes justâ quantitate non potest propelli, aut eo propulsum nimis facilè dissipatur: *vel* oritur à vitio alimenti, dum illud nimis exigua quantitate assumitur, aut satis copiosè assumtum, ob viscerum malam dispositionem, corrumpitur, aut non satis coquitur. *Causa.*

Atrophia vel est *totius corporis*, & fere à viscerum pravâ constitutione oritur: vel *est alicujus partis*, quæ à partis affectæ vitio fere oriri solet. *Differentia.*

Atrophia, quæ oritur à vitio viscerum imi ventris, synecdochice *atrophia*; quæ à vitio viscerum thoracis, *phthisis* dici solet. *Atrophia. Phthisis.*

Nimii corporis augmenti causa est sanguinis boni nimia abundantia, partium bona constitutio; & præcipuè cordis, quod alimentum in partes propellit, calidior temperies. *Nimium corporis augmentum. Ejus causa.*

Cachexia est nutritionis vitium, quo universum corpus in *Cachexia.*

in aquosam & tumidam mollitiem attollitur.

Causa. Cachexia *proxime oritur* ex alimento vitioso & crudo, in visceribus, quæ publicis coctionibus destinantur, malè dispositis genito; quo sæpè intemperies frigida & humida totius corporis accedit.

Scabies, lepra, psora. *Scabies* vero, *lepra*, *psora*, atque his cognata cutanea vitia, ut *herpes*, *impetigo*, originem etiam ducunt ex alimento pravo, verùm non crudo, sed acri, salso, & nitroso, aut aliam malignitatem habente; quæ cum sit varia, diversa etiam hujusmodi vitia inde oriuntur. *Maligna* partium temperies, alimentum appulsum corrumpens, huc etiam multum facere potest. Hæc ex concubitu cum scabiosis facta, scabiemque deinde inducens, satis est manifesta.

Causa.

Lipothymia. *Vivificationis læsio* insignis est in *lipothymia*: quæ est omnium virium magna prostratio, ex sufficientis copiæ spirituum & caloris, in corde genitorum, ac in partes impulsorum, defectu. Hæc si valde magna fuerit, *Syncope* vocatur.

Syncope.

Causa. Hæc *oritur* ex cordis intemperie, præcipue frigida, ac morbis conformationis; *item* ex sanguinis inopia, & interdum nimia copia, atque *etiam ex* ejus intemperie, ut quando ille non satis est spirituosus & dilatibilis; & *præterea* ob vehementem influxum spirituum animalium in fibras cor contrahentes; qualis sæpe fit in magnis doloribus, & rei horrendę imaginatione: *vel* in fibras cor dilatantes, qualis interdum fit in magno & subito gaudio.

Gangræna. Vivificatio fere tollitur in *gangræna*; quæ est cadaverosa alicujus partis corruptela, cum fœtore, nigredine, privatione sensus & vivificationis incipiente, conjuncta.

Causa. Hæc *oritur* à nimio frigore, venenatâ qualitate, prohibita transpiratione, calore vehementi, alimenti & caloris influentis defectu, magnâ contusione, &c.

Sphacelus. Si sensus & vivificatio in hoc affectu plane fuerint exsti nćta, *sphacelus* appellatur.

Gene-

Generationis ſymtomata ſunt nimia ſalacitas, priapiſmus, impotentia venerea, ſterilitas, partus difficilis, abortus, monſtrorum & molarum productio. *Generationis vitia.*

Nimia ſalacitas, ſive *ſatyriaſis*, eſt immoderata veneris appetentia. *Satyriaſis.*

Cujus *cauſa* eſt ſeminis *vel* nimia copia, *vel* caliditas & acrimonia; *vel* de rebus venereis frequens cogitatio. *Cauſa.*

Priapiſmus eſt diutina colis ſine libidine arrectio. *Priapiſmus.*

Hæc *oritur* ex eo, quod ſpiritus animales aquoſi & craſſi, fungoſum penis nervum ingreſſi, tum propter craſſitiem ſuam per inſenſibilem tranſpirationem ex eo non ſatis diſſipentur; tum propter materiam aquoſam, citra libidinem, proſtatarum poros replentem, in partes corporis unde venerunt, redire nequeant; atque ideo penem vel perpetuò, vel nimis diu extendant. *Cauſa.*

Impotentia venerea eſt perpetua penis flacciditas, qua coitus peragi non poteſt. *Impotentia venerea.*

Eaque eſt vel à defectu ſpirituum, *vel* à frigida intemperie ſeminis: *item* ab intemperie vel prava conformatione partium genitalium: *ac præſertim* à pororum, qui ſunt in proſtatis, & fungoſo penis nervo, nimia laxitate; qua ſpiritus, ad tentiginem neceſſarii, in eo ſufficienter retineri non poſſunt. *Cauſa.*

Sterilitas eſt generationis privatio. *Sterilitas.*

Hujus *cauſa* eſt ſemen deficiens, *vel* intemperatum, ut crudum; *nec* ſpirituoſum; *item* acre, *vel* nimis calidum. Hæc *etiam* oritur, ubi ſemen, ob genitalia breviora vel contorta, in uterum recte non defertur; *aut* uterus intemperie, præſertim nimis frigida aut calida, *vel* vitio conformationis, laborat. *Cauſa.*

Partus difficilis eſt fœtus maturi, cum magna præter naturam difficultate, expulſio. *Partus difficilis.*

Hujus *cauſa* primo *eſt* non ſufficiens ſpirituum, in fi- *Cauſa.*

bras

bras uteri & musculos, huic expulsioni inservientes, influxus; sive hic fiat ob eorum defectum ex morbo, inediâ, ætate tenerâ vel provectâ, evacuatione, vel aliâ causâ; sive ob animi pathemata, ut timorem, pudorem, iram. *Deinde* partium, quæ huic expulsioni inserviunt, ut musculorum abdominis, vel thoracis, inflammatio, vel tumor, vel resolutio. *Præterea* viarum, per quas fœtui est transeundum, angustia, vel naturalis, vel à morbo, ut tumore, vel compressione vicinarum partium, vel excrementorum, orta, aut pravus earum situs, aut siccitas ob aquas, intempestive ex utero elapsas. *Ad hæc* fœtus grandior, debilior, male situs, ut duplicatus, natibus, ventre, vel pedibus procedens, gemellus simul egrediens. *Nec non* secundina nimis crassa, & utero nimium adhærens; aut vasa umbilicalia, fœtus collo circumvoluta. Et *denique* obstetricis imperitia.

Abortus. *Abortus* est fœtus, nondum perfecti, neque vitalis, enixus. Qui plerumque ante septimum uteri gestationis mensem contingit.

Causa. Hæc *oritur* ab expulsione uteri, intempestive excitatâ *à* nimiâ fœtus mole, *vel* intempestivâ calcitratione; *vel* humoribus, in utero putrescentibus; *vel* medicamentis purgantibus, emeticis, menses moventibus, graviter olentibus, rebus fœtidis; *vel* vehementi corporis motu: atque *etiam* à vasorum umbilicalium ruptione: *item* à vehementioribus pathematis; unde fœtus interdum extingui, & uterus ad ejus excretionem stimulari potest.

Monstrorum generatio. *Monstrosa procreatio* est hominis enormiter malè formati, generatio.

Causa. *Causa* ejus est, *vel* monstrosa imaginatio, quâ particulæ seminis monstrosè disponuntur: *vel* in ipsis seminis particulis; ubi sc. illæ sunt justo copiosiores, aut pauciores: *item* ubi tam malè sunt figuratæ, ut ex earum compositione

ne nulla, nisi monstrosa fœtus figuratio, oriri possit.

Molarum productio est, cum pro fœtu carnea massa, sine ossibus & visceribus, in utero gignitur. *Molarum productio.*

Hæc *oritur* ex semine, ab utroque sexu suppeditato, cujus particulæ tam malè sunt figuratæ, ut ex earum compositione aptum fœtus germen formari nequeat. *Causa.*

Magna est molarum *differentia* in figura, magnitudine, & numero. *Præterea* aliæ sunt *vitales*, aliæ *vitâ carentes*. *Molarum differentiæ.*

Vitales solent appellari, in quibus apparet motus. Vulgus enim vitam ex motu æstimat: ut automata à pueris ob motum, vivere dicuntur. *Molæ vitales.*

Molas non vitales sive *vitâ carentes* vocant, in quibus nullus observatur motus. *Non vitales.*

CAPUT XV.

De symptomatis, omnes actiones animales lædentibus.

SYmptomata, quibus *omnes*, vel saltem *pleræque, actiones animales* læduntur, sunt sopor, epilepsia, catalepsis. *Reliqua* nonnullas tantum lædunt actiones; ut cœcitas, amblyopia, &c. *Actionum animalium læsiones.*

Sopor, sive *somnus præter naturam profundus*, est subita & magna omnium functionum animalium, exceptâ respiratione, privatio. *Sopor.*

Hæc oritur à magnâ cerebri, ventriculos ejus angustante sensoriumque commune, ac subjectos nervos valide premente, subsidentiâ. *Hinc* enim primò debita spirituum animalium distributio, sensoriique communis debitus motus, & consequenter omnis perceptio, judicium, & voluntas, ac motus, tum spontaneus, tum arbitrarius, vel magis vel minus fortiter impediuntur. *Causa.*

Respiratio autem hic manet superstes, propterea quod nervi respiratorii, ob majorem suam pororum præ cæteris *Cur in eo supersit respiratio.*

ris magnitudinem & laxitatem, perpetuumque usum, præ cæteris magis patent; atque ideo subsidente cerebro claudinequeunt.

Causa subsidentiæ cerebri, in sopore contingentis.

Subsidentia verò illa cerebri fit ab humoribus copiosis in cerebrum decumbentibus, illudque suo pondere gravantibus, ut apparet ex. gr. in ebrietate: *item* ab humoribus vel vaporibus carotidas arterias, vel plexum choroidem, vel eorum poros, valde obstruentibus, spirituumque in ventriculos egressum impedientibus; ut patet ex. gr. ex opii aliorumque narcoticorum usu: *item* à re gravi cerebrum deprimente; ut videre est ex. gr. in cranii in cerebrum depressione.

Quomodo ex his causis cerebri ventriculi subitò considant.

Subitò verò *subsidunt ventriculi cerebri*, in sopore, ab illis causis; quia subitò illæ modis jam propositis impediunt, ne spiritus in ventriculis cerebri sufficienter gignantur, & per corpus distribuantur. Nisi enim spiritus perpetuo & continuo in ventriculos satis copiose influant, mox illi instar veli, ob cessationem ventorum subitò concidentis, considunt; sensoriumque commune à cerebro collapso & graviter subsidente valide premitur, eoque omnis intellectus & voluntatis cogitatio plerumque tollitur.

Soporis differentiæ.

Pro *variâ* autem harum causarum magnitudine & diversitate, sopor est *vel* coma, *vel* lethargus, *vel* carus, *vel* apoplexia.

Coma.

Coma enim est sopor, à quo æger excitatus oculos aperit, & ad interrogata respondet; sed statim in profundum somnum relabitur.

Lethargus

Lethargus est sopor comati similis; sed febre & delirio comitatus.

Carus.

Carus est sopor febris expers, in quo æger excitatus oculos vix aperit, & interrogatus non respondet: sed vellicatus sentit; respiratioque manet libera.

Apoplexia

Apoplexia est sopor, in quo ægri, etiam vehementius agitati,

gitati, concussi, vel compuncti, nulla sensus vel motus arbitrarii indicia præbent, respirationemque difficilem plerumque habent.

Apoplexiæ magnitudo, ex majore, vel minore respirationis difficultate, æstimari solet. *Vnde ejus magnitudo æstimetur.*

Hic autem non possum non monere, *Apoplexiam frequentissimè fieri* ex eo, quod sanguis per arterias carotidas internas in caput ascendens, per venas internas jugulares, per eadem cranii foramina cum arteriis carotidibus transeuntes, à magnâ sanguinis per illas arterias vehementius & copiosius, ob externa colli vasa, ex humorum decubitu, nimiâ refrigeratione, laquei injectione, vel aliâ causâ nimis arctata, ascendentis copiâ clausas, vel ob internum tumorem aut humores ad interiora decumbentes, nimis angustatas, à capite versus cor sufficienter redire non possit; atque ideo cerebrum suâ immodicâ ingrediente & ingressâ quantitate gravet, plexumque choroidem in ventriculis cerebri obstruat, generationemque sufficientem spirituum animalium impediat; atque ita vehementem cerebri subsidentiam, ventriculorumque ejus angustationem, sensoriique communis pressionem, quæ proximę apoplectici soporis sunt causæ, efficiat. *Vnde ea frequentissimè oriatur.*

In hoc autem casu arterię carotides internæ, quia geminam crassamque habent tunicam, sanguisque arteriosus vehementiore impetu per eas in caput fertur, manent apertæ; venæ vero jugulares internæ, per eadem foramina cum arteriis carotidibus internis transeuntes, quia tenuem simplicemque habent tunicam, sanguisque minori vehementiâ per eas ad cor revertitur, hic clauduntur. *Cur hic vena, & non arteria claudantur.*

Ex hac jam datâ ratione facile intelligimus, quomodo venæ sectio in apoplexiâ curandâ sæpissimè, quamvis multi hic adversentur, maximam utilitatem, per humorum à cerebro revulsionem & evacuationem, præbeat. *Quomodo vena sectio hic sæpe prosit.*

Nimia vigilia. Contrarium ſopori ſymtoma eſt *nimia vigilia.*

Cauſa. Hæc *oritur* à nimiâ copiâ & fervore ſpirituum; *item* à nimiâ ſollicitudine. Ab his enim cauſis ventriculi cerebri & nervi, ope ſpirituum nimis fortiter agitatorum, nimium diſtenduntur.

Coma vigilans. Ex cauſis ſoporem, & vigilias nimias, efficientibus, & inter ſe concurrentibus, oritur *Coma vigilans*; quod eſt magna in ſomnum proclivitas, cum dormiendi impotentiâ conjuncta.

Cauſa. *Hoc* ab humoribus copioſis cerebrum gravantibus, & vaporibus calidis, ſimul etiam in cerebri ventriculos identidem aſcendentibus, illoſque dilatantibus, oritur.

Epilepſia. *Epilepſia* eſt inordinata totius corporis convulſio, omnium actionum animalium læſioni conjuncta.

Cauſa. *Hæc oritur* à vehementiſſima ſpirituum animalium in ventriculis cerebri efferveſcentia, vel aliquâ malignâ qualitate, cerebrum vellicante, quâ ſpiritus & humores cerebri vehementer ac inordinate moventur, ac conarium, & nervi, actionibus animalibus peragendis ſunt inepta; ſpirituſque animales, in varias partes ex cerebro inordinate vehementerque fluentes, pro vario influxus ſui modo, corpus ægri poſternunt, ſtertorem, aphoniam, ſpumam ex ore fluentem, convulſionem, dentium ſtridorem, linguæ exſertionem; &, quia ſenſorium commune hic valde premitur, etiam ſenſuum omnium læſionem inducunt.

Differentiæ. Eſtque *primaria*, in qua cauſa ejus non eſt extra cerebrum: vel *ſecundaria*, in qua vapor aut ſanguis noxius a parte aliqua corporis, ad cerebrum, per venas & arterias, vel tranſpirationem attollitur.

Catochus. *Catalepſis*, ſive *catochus*, eſt omnis animalis functionis, exceptâ reſpiratione, talis abolitio: in quâ ægri, citra ullius rei conſcientiam, eum corporis habitum ſervant, in quo erant, cum iſto affectu corriperentur.

Hæc

Hæc ex eo *oriri* videtur, quod sensorium commune sive conarion, & interdum etiam partes cerebri ei vicinæ, multis occupentur humoribus, dum reliquum cerebrum ab iis minus est affectum. *Hinc* enim nullus objectorum motus ab anima, in hoc affectu, percipi potest: & spiritus in cerebro satis copiosè quidem geniti, sed determinationem in alias partes non accipientes, in eosdem musculos, in quos antea erant determinati, perpetuò fluunt, corpusque in eodem statu retinent. *Causa vera.*

Nullo autem *modo à congelatione spirituum* hæc fieri potest: illa enim cerebri subsidentiam, nervorumque pressionem, & hinc apoplexiam potius induceret; quam hunc affectum. *Hæc non est à spirituum congelatione.*

CAPUT XVI.

De Symptomatis sensuum, & reminiscentiæ.

VIsus tollitur in *cæcitate*; imminuitur in *amblyopia*; depravatur in *strabismo*, *suffusione* incipiente, & *vertigine*.

Cæcitas est visus privatio. *Cæcitas.*

Hæc *oritur*, *vel* ex eo, quod imago in fundo oculi non pingatur, ob diaphaneitatem corneæ vel humorum læsam; *vel* ob oculi conformationem, ex pupillæ clausione, obstructione, dilatatione, vel aliâ causâ, vitiatam. *Vel* ex eo originem ducit, quod imago in retina picta ad conarion deferri non possit, propter retinam malè affectam, vel nervum læsum, vel spiritus in ventriculis cerebri laborantes. *Causa.*

Amblyopia est visus, obscuritas. *Eaque*, ratione partium affectarum est myopia, presbytia, nyctalopia, vel visus hebetudo. *Amblyopia.*

Myopia est obscuritas visus in cernendis rebus distantibus; cum tamen in propinquis adsit perspicacia. *Myopia.*

Causa. *Hæc oritur*, quod cryſtallinus humor, in remotarum rerum viſione, ope ductuum ciliarium, retinæ ſatis propinquè admoveri non poſſit. Atque *ideo* corrigitur ope perſpicilli concavi.

Presbytia. *Presbytia* eſt viſus, in perſpiciendis objectis propinquis, obſcuritas; in remotis verò integrum acumen.

Causa. Hujus *cauſa* eſt impotentia, qua cryſtallinus humor, in rebus propinquis cernendis, ſatis remote à retina removeri non poteſt. Atque *ideo* huic vitio medetur perſpicillum convexum.

Nyctalopia prior. *Nyctalopia*, eſt viſus in objectis, nocturno tempore & in loco obſcuriore conſpiciendis, hebetudo; citra ullum, in diurna vel alia clariore luce, impedimentum.

Causa. Hæc *oritur* à pupillæ nimia anguſtia, *vel* corneę nimiâ craſſitie.

Nyctalopia altera. Eſt & *altera nyctalopia*, qua objecta interdiu malè, ſub noctem verò rectè conſpiciuntur.

Causa. Hujus *cauſa* eſt pupillæ nimia dilatatio, quæ interdiu juſtè arctari non poteſt.

Hebetudo viſus. *Hebetudo viſus*, ſynecdochice ſic dicta, quæ etiam *amauroſis* dicitur, eſt ejus in remotis & propinquis videndis, imbecillitas.

Causa. Hoc malum *oritur* ex corneæ vel humorum ocularium opacitate; *vel* à pellicula in oculo, ac præcipuè circa pupillam, naſcente; *vel* ex retinæ incraſſatione; vel nervi optici vitio: tumque *gutta ſerena* dici ſolet.

Gutta ſerena.

Strabiſmus. *Strabiſmus* eſt viſus depravatio, qua oculi, in conſpiciendo à juſto paralleliſmo recedentes, non aſſuetis geminam unius rei perceptionem exhibent.

Causa. Hujus *cauſa* eſt alterutrius, vel utriuſque ex pari muſculorum, in alterutro, vel utroque oculo, nimia relaxatio, vel contractio: vel cryſtallini humoris de juſto ſitu deturbatio.

Suffu-

Suffusio est depravata visio, qua culices, muscæ, aranearum telæ, nubeculæ, vel alia similia, ante oculos volare videntur. *Suffusio.*

Causa ejus sunt corpuscula crassa, aqueo humori innatantia, quę in retinę imaginibus umbras, istis corpusculis similes, efficiunt. *Hæc* corpuscula sæpè ita incrassantur, ut in pelliculam concrescant, quæ radios à retina excludens cœcitatem inducit: tumque hic affectus *cataracta* vocatur. *Causa.* *Cataracta.*

Vertigo est depravata visio; qua omnia objecta externa circumagi videntur, & ægri nonnunquam, nisi vicinis fulcris innitantur, se erectos sustinere non possunt. *Vertigo.*

Hæc *oritur* à motu vorticoso spirituum animalium, qui in ventriculis cerebri, ex corporis circumrotatione, *vel* spirituum crassitie, aut nimio fervore, circumrotati, imagines rerum objectarum, quasi circumgyratas, ad conarion deferunt. *Causa.*

Auditus aboletur in surditate: quam inducit *vel* vitium cerebri, ut fit in apoplexia; *vel* obstructio aut compressio nervi auditorii; *vel* vitium membranæ tympani ruptæ, nimium incrassatæ, vel relaxatæ, vel sordibus obsessæ; *vel* trium ossiculorum, malleoli, incudis, & stapedis, in aure mala constructio. *Surditas.*

De *gravitate auditus*, quæ ad illam est gradus, & auditio imminuta dicitur, eædem causæ sunt intelligendæ, sed minores. *Gravis auditus.*

Depravatur auditus in tinnitu, strepitu, & sibilo aurium: existimamus enim sonos illos foris esse, cum revera in capite lateant. *Tinnitus & sibilus aurium.*

Hi oriuntur à vapore seu spiritu flatulento, in cavitate auris vel alibi circa nervum auditorium contento, atque in nervum auditorium vel tympani membranam vehementius impingente,

Olfactus aboletur & imminuitur ab omni causa, processus mam- *Olfactus vitia.*

mammillares, os ethomoides, & vicinas partes obstruente; quales sunt succi pituitosi, ulcera, polypus.

Olfactus depravatur à putridis narium ulceribus, & fœtidis vicinarum partium odoribus.

Gustus affectiones.

Gustus tollitur & imminuitur, non *tantum* vitio cerebri & nervorum; cum sc. pituitosus & crassus succus cerebrum vel nervos gustatorios occupat: sed *etiam* vitio ipsius linguæ; ut apparet in linguæ paralysi, vel linguæ exustione, a cibis nimis calidis factâ.

Ejus depravatio.

Depravatur gustus, ubi lingua pravo aliquo succo, ut ex. gr. bile, vel alio, est imbuta; uti fit in febribus.

Tactus læsiones.

Tactus aboletur, vel imminuitur seu stupet; idque in toto *corpore*, vel in aliqua *parte*, ob nervorum tactoriorum *fibrillas*, ita ex compressione vel obstructione detentas, aut ex humiditate *relaxatas*, aut per vulnus *desciſſas*, ut motus ipsis impressus, aut omnino non, aut difficulter ad cerebrum deferri possit; *aut* etiamsi eo deferatur, *ob intemperiem* vel *compressionem conarii*, ab animo percipi nequeat.

In dolore non depravatur tactus.

In doloris perceptione nulla est tactus depravatio: objectum enim ibi percipitur, quale est, & ut percipi debet.

Oblivio, & ejus causa.

Reminiscentia aboletur vel *imminuitur* in *oblivione*, quæ plerumque a frigida & humida cerebri intemperie oritur: hac *enim* cerebrum adeo flaccidum evadit, ut rerum signa, & imagines ipsi impressæ, obliterentur, vel ex eo deleantur.

Lethargus.

Ad hanc potest referri *lethargus*, qui est inexpugnabilis dormiendi necessitas, cum delirio, memoria læsa, ac lenta continuaque febre conjuncta.

CAPUT XVII.

De Symptomatis imaginationis & judicii.

IMaginatio & *judicium imminuuntur* in mentis imbecillitate: *abolentur* in amentia: *depravantur* in melancholia, mania,

mania, phrenitide, hydrophobia, incubo, somnambulatione, &c.

Mentis imbecillitas est, cum aliquis imaginatione & judicio justo minus pollet. *Mentis imbecillitas.*

Hæc fere à cerebri intemperie frigidiore, atque etiam ab ejus prava conformatione *originem ducit*: hinc enim debitus tum spirituũ, tum cerebri impeditur motus, qui in sentiendo, recordando, imaginando, & judicando requiritur. *Causæ.*

Hæ causæ, si majores fuerint, *amentiam* inducunt. *Amentia.*

Melancholia est imaginationis & judicii depravatio, qua ægri, sine aliqua causa, admodum tristantur, & metuunt, ac horrenda, nonnunquam etiam ridicula, imaginantur, & sibi persuadent. *Melancholia.*

Hæc *oritur* à cerebri quâdam intemperie frigidâ & siccâ, spiritibusque crassis, cerebrum occupantibus. *Causa.*

Estque triplex: *Una*, quæ fit vitio solius capitis; & melancholia per essentiam dicitur: *altera* fit ob melancholiam toto corpore redundantem: *tertia* est hypochondriaca; quæ oritur à crassis & fæculentis succis & flatibus, in hypochondriis hærentibus, & in cerebrum aliquando cum sanguine ascendentibus. *Differentiæ.*

Imaginatio in melancholicis *læditur*, quia imagines pravæ ex pravo spirituum motu menti offeruntur: *judicium vitiatur*, quia imagines tam vehementer seu fortiter, & hinc clare & perspicuè, offerri videntur: *læditur affectus* ex pravo influxu spirituum in fibras cordis. In *reliquis constat ipsis judicium*, quia habent cerebrum ita constitutum, ut aliarum rerum imagines rectè possint offerri, & ipsi recte de iis possint judicare. *Cur imaginatio & judicium hic de quibusdam lædatur; de quibusdam sint integra.*

Redeunt autem *melancholici sæpè ad easdem cogitationes*, tum *quia* iisdem imaginibus diu inhærent, unde illæ profundius cerebro imprimuntur, faciliusque præ cæteris animo, mediantibus spiritibus animalibus & glandulâ pineali, *Cur melancholici sæpe ad easdem redeant cogitationes.*

ali, offeruntur: tum *quia* glandula pinealis, ex diutina versus illas imagines inclinatione, magnam ad illas acquirit propensionem.

Mania. *Mania* est imaginationis & judicii depravatio, cum excandescentia, sine febri & timore.

Causa. *Hæc* à calidâ quâdam cerebri intemperie *proficiscitur.*

Phrenitis. *Phrenitis* est imaginationis & judicii depravatio, cum febre; sæpè etiam cum excandescentia.

Causa. *Hæc* ex inflammatione cerebri & meningum; & interdum etiam diaphragmatis, & vicinarum partium *oritur.*

Hydrophobia. *Hydrophobia* est manię species, quâ ægri lucem & quævis clara ac splendida fugiunt, aquam metuunt, ac ad ejus conspectum & commemorationem contremiscunt.

Causa. *Nascitur* plerumque ex veneno rabidi animalis, homini per morsum, vel quovis alio modo, communicato.

Quomodo varia cerebri intemperies varias deliriorum cogitationes possit producere. *In his & aliis* similibus *deliriis*, pro diverso cerebri & spirituum animalium temperamento, variæ sunt imaginationes, judicia, & affectus: hinc enim illa apta sunt aliter atque aliter moveri, & in alias atque alias imagines figurari, & varias hinc cogitationes, quod eorum ideę menti antea fuerunt impressæ, etsi motus istorum cum ideis istis nullam habeant similitudinem, menti excitare; spirituque in alias atque alias cordis fibras hinc possunt impelli.

Ut enim per consuetudinem sic facti sumus, ut ubi auditu percipimus certos motus vocum, ut ex. gr. vocis *homo*, de animali rationali, & per alios vocum motus perceptos de aliis rebus cogitemus, cum quibus voces illæ nullam tamen similitudinem habent; ita per naturam facti esse videmur, ut per motum varium spirituum, ex. gr. melancholicorum, cogitationes tristes, horrendæ, & sæpe etiam ridiculæ; & per motum spirituum phreniticorum & maniacorum, iracundę, feroces, & truculentæ, quorum ideæ

ideæ in mente antea erant existentes, in mente excitentur, sive ex ea quasi educantur; quamvis iste motus cum talibus cogitationum ideis nullam similitudinem habeat.

Incubus est depravata imaginatio, quâ dormientes suspicantur sibi ab incumbente aliquo asperam arteriam premi, & spiritum præcludi, & ad venerem interdum sollicitari, vel cogi. *Incubus.*

Hæc *oritur* à crasso spiritu vel humore, nervos vel musculos respiratorios in capite vel circa præcordia comprimente vel angustante; vel à spiritu animali, in ventriculis cerebri existente, qui, peculiaris sui temperamenti motu, tales imaginationis cogitationes excitat. *Causa.*

Somnambulatio est imaginationis talis depravatio, quâ dormientes, ex forti pravaque rerum fugiendarum, vel prosequendarum, imaginatione & judicio, vident, & vigilantium instar ambulant. *Somnambulatio.*

Causa hujus affectus est sanguis, quosdam vapores crassiores & viscidiores, & quosdam alios subtiliores & fervidiores in cerebrum inter dormiendum diffundens. *Causa.*

Vapores enim illi fervidiores, in somno in ventriculos cerebri delati, expandunt ex parte cerebrum & nervos; imagineſque quædam hinc menti evidenter oblatæ faciunt fortem imaginationem: quæ ubi de rebus prosequendis vel fugiendis forsan fuerit, determinat spiritus tam copiosè per nervos in oculos & brachiorum crurumque musculos, ut somniantes oculis videant, & erecti ad varia loca se conferant.

Non expanditur autem *totum cerebrum*; quia crassæ & viscidæ sanguinis partes vaporosæ, maximam partem cerebri occupantes, totam ejus expansionem impediunt: quo fit, ut notæ periculorum, honesti, utilitatis, aliæque similes, menti, vel nequaquam, vel non satis bene, offerantur; atque ideo illi, tanquam homines non satis bene sensati, *Cur somnambuloues non planè evigilent, nec pericula metuant.*

oberrent, & sine metu vagentur, quo ipsos imaginatio ducit; donec inclamantium clamore, vel corporum obviorum offensatione, viscidiores & crassiores isti vapores, è cerebro discussi vel dissoluti, cerebrum à spiritibus satis expandi, & rerum omnium notas menti offerri patiantur, atque ita somnambulones isti expergiscantur.

CAPUT XVIII.

De Symptomatis motus arbitrarii.

Motus arbitrarii symptomata præcipua sunt, paralysis, tremor, spasmus, horror, rigor, vocis læsio, sternutatio, tussis, pandiculatio, oscitatio.

Paralysis. *Paralysis* est motus voluntarii, aut sensus, vel utriusque, in toto corpore, vel in aliqua parte, abolitio. Hæc itaque est triplex.

Solum motum; *Prima* est solius motus privatio, integro manente sensu: quæ fit, ubi fibrillæ nervorum, ad motus objectorum, menti in cerebro offerendos, satis sunt liberæ; meatus vero musculorum ex intemperie vel prava conformatione ita sunt læsi, ut spiritus ad musculos dilatandos commodè influere, & ex iis in oppositos musculos refluere non possint.

Solum sensum; *Secunda* est privatio solius sensus, manente motu. Hæc fit, ubi tubus nervi spiritibus animalibus, qui in musculos debent influere, satis patet, & meatus musculorum bene se habent; fibrillis tamen eorum nimis laxatis, vel conglutinatis, vel solutis, uti fit in elephantiacis.

Motum & sensum tollens. *Tertia* est motus & sensus privatio: quæ oritur à nervis & musculis, secundum meatus & fibrillas ita affectis, ut spiritus in musculos nec commodè possint determinari, nec motus fibrillarum, quæ tubis nervorum includuntur, ad cerebrum queat deferri.

Atque

Atque hæc est *paraplegia*, quę omnes corporis partes capiti subjectas, in utroque latere occupat: vel *hemiplegia*, quæ alterutrum latus tantum afficit. *paraplegia. Hemiplegia.*

Tremor est depravatio motus voluntarii membrorum, qua illa perpetuâ vicissitudine in contrarium agitantur. *Tremor.*

Hæc *oritur* vitio vel spirituum, vel nervorum, vel musculorum, quo illi ordinate in musculos non fluunt, vel satis commode in iis, ad partium motum, non retinentur. *Causæ.*

Spasmus est involuntaria & violenta musculorum, à spiritibus animalibus, vehementissimè, & contra voluntatem nostram, in illos fluentibus, dilatatio & intensio; quâ partes illis affixæ magnâ vi, nobis invitis, extenduntur, vel flectuntur. *Spasmus.*

Violenti autem & involuntarii istius spirituum in musculos influxus *causa* est, *primò* inordinatus & vehemens spirituum in cerebro existentium motus. Ut enim naturalis & ordinatus spirituum motus à mente nostrâ rectè regi, & in partes pro ejus arbitrio determinari potest; ita inordinatus & nimis vehemens à mente rectè determinari nequit: sed pro varietate sui impetus, poros cerebri, contra mentis arbitrium, varios copiosè & vehementer aperit. *Deinde* violenti & involuntarii istius spirituum in musculos influxus causa est partium nostri corporis vellicatio, à spiritu, humore, vel re aliâ, crassâ, acri fervente, vel pungente facta, & ad cerebrum delata, ibique ejus poros nimis fortiter & copiosè aperiens. Poris enim cerebri, ab illis jam commemoratis vel singulis vel conjunctis causis, ita apertis, contingit, ut spiritus per eos ex alveis ventriculorum cerebri magno impetu in partium nervos & musculos fluant, eorumque valvulas inordinate aperiant, atque ita illos contra nostram voluntatem, & magnâ cum vehementiâ distendant, parteſque annexas eô vehementissimè extendant, vel flectant. *Causæ.*

Hic non fit à nervorum repletione vel inanitione.

Antiqui spasmum, *per* nervorum ex repletione distentionem; *perque* eorum, ex inanitione seu exsiccatione, contractionem, quemadmodum nervi sive chordæ testudinis ex intortis animalium intestinis factæ, ex illis causis distendi & contrahi solent, fieri malè existimant. Causa erroris fuit veræ nervorum constitutionis, veræque motus arbitrarii & spontanei rationis, in Physicis nostris explicatæ, ignoratio.

Neque ab imaginatione, vel appetitu sensitivo.

Neque imaginatio vel appetitus sensitivus, quem alii irrationalem appellant, *hic*, ut recentiores quidam putant, *quicquam dirigit*; cum tales motus nihil quicquam cogitantibus, ut fit in epilepticis, & nihil appetentibus, immo nobis invitissimis, sæpissimè accidant.

Differentia.

Spasmus est universalis, qui totum corpus; vel *particularis*, qui partem aliquam occupat.

Emprosthotonos. Opisthotonos. Tetanos.

Universalis est *emprosthotonos*, quo totum corpus in priora curvatur: vel *opisthotonos*, quo corpus in posteriora convellitur: vel *tetanos*, quo totum corpus, ob anteriores & posteriores musculos æqualiter dilatatos, rigidum & tensum evadit.

Rigor.

Rigor est musculorum totius corporis ambitus & cutis vibratio & concussio, cum refrigeratione conjuncta.

Horror.

Horror est quasi parvus rigor; cum in illo tantum cutis concutiatur.

Causæ.

Hi oriri videntur à quâcunque causâ, quæ musculorum & cutis fibrillas vellicat, & talem motum in cerebro efficit, quæ principia nervorum ita aperiat, ut spiritus inordinate in musculos, cutim, & fibras cordis contractorias, influentes, illa ac totum corpus concutiant, has vero contrahant, corpusque refrigerent.

Vocis læsiones.

Vocis læsio est, cum illa vel *aboletur*, ut in aphonia, & mutis; vel *imminuitur*, ut in voce exili & obscura; vel *depravatur*, ut in voce clangosa, aspera, rauca, tremula, abrupta,

pta, balba; item in illis, qui R & L male pronunciant, ac in loquendo nunc subsistunt, nunc vocem præcipitant.

Aphonia & vocis ablatio fiunt vel nervorum, per quos spiritus influunt; vel aliarum partium, ad vocem edendam & articulandam necessariarum, vitio; quales sunt musculi, & nervi laryngis, & linguæ; item palatum, dentes, labia. *Aphonia.*

Eædem causæ si sint minores, etiam vocis & locutionis imminutæ sunt causæ. *Vox imminuta.*

Vocis & locutionis depravatæ, ut balbutiei & blæsitatis, ac hæsitantiæ causa potissimum est intemperies humida & mollis organorum vocis & locutionis; interdum & sicca: *item* mala conformatio linguæ & ejus musculorum, ut tumor sub ea natus; nec non columellæ vitia, ac dentium anteriorum defectus. *Sæpe hæsitationis* in loquendo causa est reminiscentiæ vitium, quo verborum ad sensa mentis explicanda necessariorum, satis velox & prompta non fit recordatio & prolatio. *Balbuties, blæsitas, vocis hæsitantia.*

Raucedo autem oritur ab asperitate & inæqualitate membranæ, quæ laryngem & asperam arteriam investit: sive illa fiat ab humoribus in illam illabentibus, aut ascendentibus; sive à vocis intensione diuturnâ & vehementi. *Gravitas* verò *vocis*, quæ raucedinem sæpè comitatur, originem ducit ab impotentiâ arctandi fauces & superiorem partem àsperæ arteriæ, ortâ ab humorum decubitu in illas partes, vel ab earum defatigatione. *Raucedo.*

Sternutatio est involuntarius motus cerebri, thoracis, & musculorum abdominis constrictorius, quo id, quod nares & cerebrum vellicat, cum strepitu exturbatur. *Sternutatio.*

Tussis est vehemens & sonora efflatio, à veloci thoracis & pulmonum constrictione orta, qua id, quod spirandi instrumentis est molestum, vi aëris expellitur. *Tussis.*

Oscitatio est convulsivus musculorum faciei, inferiorem maxil- *Oscitatio.*

maxillam aperientium, quidam motus, quo halituosa excrementa, in vicinis partibus hærentia, illasque irritantia, expelluntur.

Quomodo hæc ex alienæ oscitationis aspectu sæpe oriatur.

Hæc interdum *oritur ab imaginatione*, ex alienæ oscitationis conspectu orta: quod non est mirum, cum etiam aliarum rerum aspectus, spiritus certo modo movendo, alios quoque similes motus in corpore nostro excitet.

Pandiculatio.

Pandiculatio est musculorum per totum corpus dilatatio & distentio quædam convulsiva, qua vapores, copiâ vel qualitate molestâ illos irritantes, ex iis discutiuntur.

Quomodo hi motus involuntarii fiant.

In his & similibus involuntariis motibus, pro varietate rei moventis & partis motæ, spiritus mediantibus nervis in cerebro ita variè moventur, vel pori cerebri ex motu fibrillarum ita aperiuntur, ut ipsi variam etiam accipiant determinationem, ad diversos musculos, per influxus sui vehementiam, dilatandos, partesque illis annexas movendas, quibus diversa expulsio perficitur.

Motus hi involuntarii non fiunt à solâ irritatione.

Sunt, qui solam irritationem, à causæ morbificæ molestâ qualitate vel quantitate factam, causam omnis talis motus convulsivi sine ullo vehementi spirituum animalium influxu esse volunt. Sed illa non sufficit, nisi spirituum è cerebro affluxus, à me jam designatus, ipsi addatur,

CAPUT XIX.

De quorundam excrementorum vitiis, ictero, & doloribus.

Excrementorum quorundam vitia.

ATque ita *actionum læsiones*, quia plurimæ earum causæ satis obscuræ videntur, specialius explicare conati sumus. Quantum attinet ad *excrementorum vitia & qualitates corporis immutatas*, minor in earum causis reddendis ponitur difficultas; *ideoque* tantum de *catarrho*; calculorum & vermium generatione; artificialium excretione; item de ictero; & arthritide, aliquid addituri sumus.

Ca-

Catarrhus est humoris excrementitii pituitosi vel serosi, ex capite in subjectas partes, nimius defluxus. *Catarrhus.*

Hic proximè oritur à *magnâ* pituitosorum vel serosorum excrementorum, in capite redundantia: & *pororum* in partibus ejus nimia raritate & laxitate: *Ejus causa proxima.*

Hæ *proximæ* catarrhi *causæ*, à variis, imo sæpe contrariis causis *remotioribus*, originem ducunt. Ita ex. gr. hibernum frigus humores excrementitios in capite colligens porosque partium ejus claudens, & vernus insequens calore illos fundens, porosque vi frigoris hiberni clausos deinde in capitis partibus nimis aperiens, causæ catarrhi sæpe evadunt remotæ. Et contra, ubi quis ex. gr. in æstuario humores copiosos in capite in vapores dissolvit, porosque plurimos ibidem aperuit, & postea aëri frigido, vapores illos condensanti, & poros partium externarum, per quas exhalatio copiosa antea exibat, claudenti, sese exponit, tum ipse causarum catarrhi remotarum est auctor. Ita crapula & senectus, dum multam pituitam in toto corpore & capite gignunt; & frequentior tabacarii fumi suctio, dum poros partium mox commemorandarum capitis nimium aperit, in multis sunt causæ catarrhi remotæ. *Remota.*

Si per poros partium externarum capitis in subjectas partes fiat defluxus, *catarrhus externus*; sin per internarum, *catarrhus internus*, & synecdochice *catarrhus* dicitur. *Externus.* *Internus.*

Catarrhus internus defluit ex capitis partibus, quæ buccis, faucibus, gingivis, ori, palato, linguæ, tonsillis, columellæ, & potissimum ductui, à naribus ad fauces usque protenso, sunt vicinę; *partim* ibi à sanguine, à corde eo impulso, separatus; *partim* ibi à liquore aqueo, per ductus aquosos eô delato, secretus; *partim* ex cerebro per poros pię & crassæ meningis, utpote in vivis corporibus satis patentes, perque foramina ossis ethmoidis & sphenoidis eô descẽdens. *Internus per quas vias defluat.*

Catarrhus si ad nares & os ethmoides defluat, & ibi difficul- *Varia ejus nomina.*

ficultatem per nares respirandi inducat, *coryza* græcè, & latinè *gravedo*; *sin* ad musculos faucium, & qui locutioni inserviunt, delabatur & vocem gravem, asperam, aut non satis sonoram faciat, *branchus*; *si* subitò & tam copiosè ad pulmones defluat, ut suffocationem vel ejus metum inducat, *catarrhus suffocativus* vocatur; *si* ad pulmones citra suffocationis periculum delabatur, synechdochice etiam *catarrhus*, vel *rheuma* dicitur.

Varia ejus qualitates.

Catarrhus pro varietate materiæ defluentis, est *vel* insipidus, *vel* salsus & acris, *vel* acidus, *vel* fœtidus, *vel* crassus, *vel* tenuis, *vel* alia pravitate comitatus.

Catarrhus aliquando etiam est calidus.

Aliquando catarrhus est *calidus*; *quando* sc. humor pituitosus, vel serosus corrumpitur, & ex corruptela, ratione antehac explicata, calorem præter naturam acquirit; qui haud rarò febrim symtomaticam inducere solet.

Calculorum generatio.

Calculi in omnibus ferè nostri corporis partibus gignuntur, sed præcipuè in renibus & vesica; ex materiâ fœculentâ, terreâ, limosâ, viscosâ, & salsâ, ibi genitâ, vel aliunde eò delatâ; cujus partes, cum à calore debili non satis inciduntur, agitantur, & dissolvuntur; vel à calore nimio exsiccantur, nimiumque coguntur, & complicantur, aut contexuntur, aut arctè inter se uniuntur; tum lapideam naturam, per cohæsionem viciniorem, & quietem partium, à particularum figurâ & magnitudine contextui & cohæsioni lapideæ aptâ natam, acquirunt: eo fere modo, quo stiriæ lapideæ & tophi in thermis & aliis quibusdam fontibus, ex salinis, & lutosis aquarum partibus; & lapilli in littoribus, ex sale, aqua, & limo, gigni solent.

Vermium in corpore generatio.

Vermes, uti & alia animalcula, etiam in omnibus ferè corporis nostri partibus possunt gigni, ex materia putrescente cui aliquid semini analogum, seu principium vitale, admixtum esse volunt: cui etiam intellectum & sapientiam nonnulli tribuunt; quod partes tam sapienter ab illo dispo-

ſponi putant. Ego verò exiſtimo rei in corpore putreſcentis partes diſſolvi, & à calore putredinis moderato infinitis modis agitatas, certos ſitus, figuras, motuſque acquirere, pro diverſâ ratione figuræ & magnitudinis particularum inſenſibilium, ex quibus res putreſcentes conſtant, quæ ubi germini ſive rudi delineamento vermis, vel alterius animalculi, congruunt, fiunt vermis, vel aliud animalculum: cujus *vita* in eo conſiſtit, quod ibi ex motu particularum nata ſit particula cordi analoga, in qua, alimentarius ſuccus influens, incaleſcit, & in partes impellitur, & deinde per continua vaſa ad corculum refluens, circulum quendam facit, vitęque continuationem inducit. *Senſus* vero *& motus facultas* in eo eſt ſita, quod in his ex motu particularum producantur partes quædam, quę primo rudem cerebri, fibrarum, nervorum, & ſpirituum analogiam habent; quæque poſtea in perfectiora inſtrumenta, ſenſationi & motui locali inſervientia, paulatim perficiuntur. Cum autem in diverſis rebus hæ particulæ diverſimode ſe habeant, hinc ex hac re putreſcente hoc, ex aliâ aliud animalculum oritur.

Res artificioſæ, ut ferramenta, cultri, acus, aciculæ, pannorum fruſta, & ſimilia, quæ aliquando excreta eſſe ſcriptores teſtantur, in corpore humano generari naturaliter non poſſunt; ſed præſtigiis dæmonum dicuntur corpori inſeri; vel foris, locis, per quæ egredi videntur, adaptari; ibique quaſi egredientia oſtendi. Certum autem eſt, ſæpè hic magnas latere fallacias, ad ſtultè credulos, & intempeſtivè miſericordes, pecuniâ emungendos. *Res artificioſæ quomodo è corpore excernantur.*

Icterus autem eſt coloris noſtræ cutis, ab humoribus pravis, in corpore noſtro genitis, & ad eam foras delatis, orta, fœditas. *Icterus.*

Hic eſt flavus, niger, albus.

Icterus flavus, qui ſynecdochice icterus dicitur, originem *Flavus.*

nem ducit à bile flavâ ad cutem delatâ, eamque flavo colore tingente.

Causa. *Delatio vero illa bilis ad cutem oritur ab intemperie* cordis, hepatis, aliorumque *viscerum*, coctionibus inservientium, *calidâ*, nimis copiosam bilem generante, eamque per totum corpus diffundente. Vel ea originem ducit, *ab obstructione ductus cholodochi*, debitam bilis in intestinum duodenum effusionem impediente, eamque idcirco in totum corpus deferente. A priore causâ fæces alvi sunt flavæ; à posteriore cineritiæ vel albicantes.

Niger. *Ictterus niger* est, qui humore nigro, in liene vel alibi genito, toti corpori nigrorem conciliat.

Albus. *Ictterus albus*, qui pallor virgineus, item chlorosis vulgò appellari solet, totum corpus fœdo pallore occupat.

Causa. *Oriturque* ab obstructione & intemperie hepatis, lienis, mesenterii, & præcipuè uteri, pravos humores producente, & per totum corpus diffundente; gravitatemque corporis, palpitationem cordis, respirationem difficilem, ac absurdorum appetitum, sæpe gignente.

Præcipui partium dolores. *Plæræque* humani corporis *partes gravibus doloribus* infestantur: *inter eos excellunt* cephalalgia, odontalgia, dolor colicus, nephriticus, & articularis.

Arthritis. *Hic* postremus etiam *arthritis* appellatur; propterea

Causa. quod partes circa articulos infestat: oriturque ab humoribus serosis, acribus, tartareis, per intervalla, ex vasis in eas effusis; easque rodentibus, motumque earum impedientibus.

Humores isti in corpore *gignuntur*, *vel* propter vitium alimentorum, tales particulas habentium; *vel* ob intemperiem viscerum aliarumque partium, hujusmodi humores gignentium, nec satis bene eos à reliquis separantium & excernentium.

CAPUT

CAPUT XX.

De Morborum Signis; ubi de Pulsibus.

MOrbi jam explicati, si latuerint, cognoscuntur *signis*. Aliquando enim adeo sunt manifesti, ut per se pateant.

Signum morbi est, quicquid sensibus nostris obvium, vel morbum, vel aliquid ad ipsum pertinens, potest indicare. *Signum morbi;*

Estque morbi *vel* causa, *vel* effectum, seu symtoma. Quæ enim ab accidentibus morborum petuntur, ea ad eorum effecta referri possunt. *Est vel causa ejus, vel effectum.*

His quidam addunt *comparationem partium inter se:* ut cum chirurgus, ad explorandam luxationem, partem sanam cum illâ, de qua dubitat, confert. *Sed ea* est inquisitio vel investigatio signi, nempe brevitatis alterutrius, vel paritatis utriusque partis: quo deinde vel luxatio, vel partis sanitas, tanquam ex effecto, innotescit. *Comparatio partium tantum est investigatio signi.*

Juvantia & lædentia ad effecta possunt referri. Si quis enim in aliquo morbo ex usu, ex. gr. lactucæ nocumentum sentiat, morbus frigidus ex effecto hic cognoscitur: ille enim facit, ut hoc vel illud juvet, vel lædat. *Juvantia & lædentia pertinent ad effecta;*

Communiter grassantia mala ad causas, scilicet aërem, cibum, vel simile quid, à quibus hæc oriuntur, investigandum sunt referenda. *Si enim* communi morbo multi laborent, suspicandum est etiam illum, qui jam ægrotare incipit, eodem malo esse correptum, signo, petito à causâ; nempe aëre, cibo, vel aliâ simili, quâ æger cum aliis, tanquam re communi, utitur, atque ideo verisimiliter ab eâ, unà cum aliis, est affectus. *Et grassantia mala ad causas investigendas.*

Præstantissima autem signa sunt ipsa morborum *effecta*, sive *symtomata*: effecta *enim* morbi, morbum actu adesse vel adfuisse; *causæ* vero morbum tantum posse adesse, vel adfuisse probant. *Signa præstantissima sunt symptomata.*

Cur signa, ab urinis & pulsibus petita, præ cæteris excellant.

Inter illa præ cæteris *excellunt*, quæ in *pulsus*, & *urinæ* differentiis, observantur.

Pulsus enim est immediatus index cordis, quod totum corpus nutrit & vivificat: & *urina* cum sanguine per totum corpus & omnes partes circulatur, & ab eo variè afficitur. Atque ideo illæ hic sunt explicandæ.

Pulsuum differentiæ.

Et quantum ad *pulsus differentias* attinet; hic *primò* est validus, languidus, vel moderatus.

Validus.

Validus, seu vehemens est, qui à magno cordis calore, parique sanguinis dilatabilitate ac copiâ, spirituumque animalium in cordis fibras forti influxu, originem ducens, tangentis digitos valide, seu valde sensibiliter, ferit.

Ejus significatio.

Atque *ideo in sanis* vires naturales validas: & in *ægrotis* sanitatem promittit.

Languidus.

Languidus seu debilis pulsus est, qui, ob exiguum calorem cordis, parvam sanguinis dilatabilitatem, & paucam interdum ejus copiam, paucosque spiritus animales, *in* cor influentes, imbecilliter pulpas digitorum pulsat.

Ejus significatio.

Ac *proinde* debilitatem virium demonstrat; ac semper est suspectus.

Moderatus.

Moderate validus est, qui à moderato cordis calore, & moderata sanguinis dilatabilitate, ac copiâ, & moderato spirituum animalium in cor influxu, ortus, mediocriter digitos vibrat.

Ejus significatio.

Atque *ideo* etiam mediocres naturales facultates notat.

Deinde pulsus alius magnus, alius parvus, alius mediocris.

Magnus.

Magnus est, qui à magno cordis calore, & magna sanguinis dilatabilitate, ejusque copiosâ in cordis sinus, & spirituum animalium in cordis fibras forti impulsione, ortus, in longum, latum, & profundum se valde expandit.

Ejus significatio.

Hic sanguinis spirituosi copiam, & calidi nativi robur; nonnunquam etiam calorem præter naturam indicat.

Par-

Parvus est, qui ob parvum cordis calorem, & exiguam sanguinis dilatabilitatem, & paucos spiritus animales, in cor influentes, in longum, latum, & profundum se diminute extendit. *Parvus.*

Hic calidi nativi & sanguinis spirituosi inopiam, humoresque frigidos, & interdum etiam copiosos, cordis sc. calorem copiâ suâ suffocantes, in corpore existere notat. *Ejus significatio.*

Mediocriter magnus est, qui inter magnum & parvum medius, à mediocri sanguinis dilatabilitate, calore, & spirituum animalium influxu, oritur. *Mediocris.*

Hic mediocria omnia in corpore significat. *Ejus indicium.*

Tertio pulsus est celer, tardus, vel moderatus.

Celer, seu velox est, quo cor & arterię celeriter distenduntur & contrahuntur. *Celer.*

Hic oritur à tanto cordis calore, tantaque sanguinis volatilitate, ac spiritibus animalibus, tam celeriter in cordis fibras ultro citroque fluentibus, ut sanguinis guttæ in cor incidentes, non tantum citò dilatentur; verùm etiam celeriter ex eo expellantur: vel spiritus sanguinis tantopere dissipentur, ut parum sanguinis vel spirituum, in corde reliquum, celerem etiam admittat cordis, ex contractione, subsidentiam. *Ejus causa.*

Hic itaque indicat calidi nativi copiam; sed spirituum tenuitatem; interdum etiam calorem, præter naturam intensum, & *febrim*. *Ejus indicium.*

Tardus est, quo cor & arteriæ tardè distenduntur & contrahuntur. *Tardus.*

Hic oritur à parvo cordis calore, & sanguinis fixitate, ac spirituum paucitate; ac præterea à tardo spirituum animalium in cordis fibras influxu. *Causa.*

Atque *ideo* notat calidi nativi diminutionem, virium prostrationem, & morbos frigidos. *Ejus indicium.*

Moderate celer est, qui ultra naturæ convenientem modum nec est celer, nec tardus. *Moderatus.*

Hic

Ejus causa & indicium. *Hic* à recta cordis & sanguinis temperie oritur: atque ideo naturæ robur indicat.

Adhæc pulsus est creber, rarus, vel mediocris.

Creber. *Creber* est, quo brevibus intervallis cor & arteriæ dilatantur & contrahuntur.

Ejus causa. *Hic* oritur à cordis & sanguinis calore, spirituum verò vitalium paucitate, vel dissipatione; ac crebrâ spirituum animalium in fibras cordis reciprocatione: hinc enim sanguis facile quidem dilatatur, sed facile etiam arctationi cordis cedit. *Item* à magno cordis calore & sanguinis magna volatilitate; quibus sanguis subitò in corde rarefit, & deinde celeriter totus è corde expellitur, & rursus celeriter etiam accenditur.

Ejus significatio. *Itaque* in *sanis* robur naturæ significat, quod tamen facile per vehementiores motus potest imminui: in *ægris* vero interdum etiam virium debilitatem; eamque aut præsentem, aut futuram. Interdum, imò sæpe, etiam *febrim.*

Rarus. *Rarus est*, quo, longiusculis intervallis, cordis & arteriarum sentitur motus.

Ejus causa. *Hic* originem ducit ab imbecilli calore cordis & sanguinis, & hujus fixitate; item à tarda spirituum animalium reciprocatione.

Significatio. *Atque* ideo significat virium prostrationem, & morbos frigidos.

Mediocris. Ejus indicium. *Modérate creber* est, qui in crebritate & raritate mediocritatem servat; & *ideo* virium robur indicat: oritur enim à causis moderatis.

Quinto pulsus est durus, mollis, mediocris.

Durus. *Durus* est, qui, ob duritiem & siccitatem arteriosæ tunicæ, justo durior & siccior digitis deprehenditur.

Ejus indicium. *Hic* siccitatem & gracilitatem corporis, ac sæpè etiam calorem indicat.

Mollis. *Mollis* est, qui ob humiditatem arteriarum, ex delicatâ vi-

vitâ, vel morbis humidis, vel balneis ortam, lenis, instar carnis mollioris, sentitur.

Hic humorum redundantiam, & arteriarum humectationem, ac morbos humidos denotat. *Ejus indicium.*

Moderatè mollis est, qui se medio modo inter durum & mollem, causamque in siccitate & humiditate temperatam, habet; atque *ideo* mediocritatem in his significat. *Mediocris. Ejus significatio.*

Præterea pulsus est æqualis, vel inæqualis.

Æqualis est, qui, cum aliis pulsationibus collatus, secundum enumeratas differentias sentitur æqualis. *Æqualis.*

Hic oritur ab æquali sanguinis & cordis, ac spirituum reciprocantium, constitutione.

Inæqualis, contra. *Inæqualis. Causa.*

Oriturque ab inæquali sanguinis vel cordis temperie, spirituumque inæquali in cordis fibras influxu.

Prout hæ causæ sunt variæ, ita & pulsus est varius.

Inæqualis est *vel* æqualiter, *vel* inæqualiter; *item* ordinate, vel inordinate inæqualis. *Differentia.*

Æqualiter inæqualis est, cujus inæqualitas per omnes pulsus est sibi similis: ut quando pulsus secundus est paulò minor vel major primo, & tertius secundo: atque ita deinceps. *Inæqualis æqualiter;*

Inæqualis inæqualiter est, qui similem inæqualitatem non habet: ut quando duo vel tres priores pulsus sunt similes: quartus vel quintus est dissimilis. *Inæqualiter;*

Inæqualis ordinate est, qui in inæqualitate ordinem servat: ut si duo vel tres magni fuerint, & quartus ac quintus parvi, & ita porro per vices alternetur magnitudo eorum & parvitas. *Ordinatè;*

Inordinate iuæqualis est, qui nullum in inæqualitate retinet ordinem: ut quando modo quartus, modo sextus modo tertius aliis est celerior, crebrior, vel validior. *Inordinatè.*

Inter inæquales excellunt *intermittens* & *myurus*.

Intermittens. *Intermittens* est pulsus inæqualis, in quo arteriæ motus, unius, duorum, trium, vel ad summum quinque pulsuum tempore, cessat.

Deficiens. Si enim ulterius intermittat, *deficiens* dicitur.

Causæ. *Hic* oritur à quibusdam sanguinis partibus adeo fixis, ut duorum vel plurium pulsuum temporibus in corde ad dilatandum indigeat: *vel* ab influxu spirituum animalium in fibras cordis contractorias ita alternato, ut ejus dilatatio per aliquot pulsuum tempora sistatur.

Significatio. *Hic* indicat virium debilitatem: & præsertim *malus est in juvenibus*; quia magnam causam adesse significat.

Myurus. *Myurus* est, qui in magnitudine sensim & æqualiter variatur, ita ut sequens ictus semper à priore sit diversus.

Deficiens. Reciprocus. Estque *deficiens*, in quo pulsus sensim magis magisque imminuitur: vel *reciprocus*, ubi pulsus sensim magis magisque augetur.

Causa & significatio. *Causa* hujus est virium debilitas: & in *myuro deficiente*, virium magis magisque deficientium; *in reciproco* verò, redeuntium est signum.

Cætera pulsuum differentiæ, hic enumerari solitæ, sunt negligendæ. *Enumerari solent & alii pulsus inæquales*, nempe dicrotus, caprizans, interruptus, undosus, vermiculans, formicans, vibrans, convulsivus, serrinus, impar citatus; item arythmus, ecrythmus, heterorythmus: *sed* quoniam hi fere inobservabiles esse solent, idcirco eos hic non definiam; nec aliud addam, quam ex iis, quæ de differentiis pulsuum jam diximus, intellectis, naturam pulsuum satis bene intelligi posse.

Cur ex ætate, sexu, temperie, & affectu animi, pulsus varietur. *Pulsus* autem *ratione* ætatis, sexus, temperamenti, doloris, & affectuum animi, magnopere etiam variatur: *quia* ex his causis varius cordis & sanguinis oritur calor; & spiritus etiam animales aliter in cor immitti, fibræque ejus, vel contractoriæ, vel expansoriæ, diversimodè inflari solent.

Ex-

Explorandus est pulsus, digitis duobus, vel tribus prioribus, arteriæ, in carpo alterutrius brachii, *ubi* æger, ab ingressu Medici, jam animo est tranquilliore, moderate adhibitis. *Quomodo pulsus sit explorandus.*

Atque hæc de *pulsibus*.

CAPUT XXI.

De Urinis, & signorum differentiis.

Differentias & signa, in urinis observanda, præcipuè suppeditant liquoris consistentia, color, odor, quantitas excernendi modus, & contenta. *Urinarum differentiæ unde desumantur.*

Ratione consistentiæ, primo urina est tenuis, crassa, vel mediocris.

Urina tenuis fere est aquosa, nec multas salsas vel alias crassas partes, quæ à renibus solent secerni, admixtas habet. *Urina tenuis.*

Hæc *oritur* à coctione debili hepatis, vasorum, & cordis: *etiam* à frigore ventriculi: & præcipuè à potus copiâ: ac *deinde* ab intemperie frigida renum: *item* ab obstructione & angustia meatuum, per quos crassi humores cum urina effluere non possunt: *denique* à materiæ crassioris in alia loca translatione; uti sæpè in phrenitide contingit. *Causæ.*

Urina crassa est, cui multæ partes crassæ sunt admixtæ. *Crassa.*

Hæc *originem ducit* ex crudis vel crassis humoribus, in vasis cumulatis, & cum urinâ expulsis: *aut* ab obstructione vel abscessu, in aliqua parte aperto, materiâque in vasa erumpente: *aut* denique à salsis humoribus, in corpore redundantibus. *Causæ.*

Mediocris urina est, quæ moderatam crassitiem habet. *Mediocris.*

Oriturque à coctrice facultate, naturaliter sese habente. *Causa.*

Deinde urina ratione consistentiæ est clara, vel turbulenta.

Clara. *Clara* seu perspicua est, quæ luminis radios satis bene, ad perspiciendum, transmittit.

Causæ & significationes. *Hæc aut* habet bonam consistentiam; ac *tum* significat claritatem illam oriri à calore naturali, materiam rectè elaborante, & spiritibus urinæ contentorum particulas satis dilatantibus, & à se mutuo separantibus. *Aut ea* est tenuis; *estque* index cruditatis, & coctionis humorum nondum inchoatæ.

Turbulenta. *Turbulenta* est, quam visus penetrare non potest.

Causa. *Hæc* oritur ab asperis & crassis partibus, urinę admixtis.

Estque turbata, turbida, vel confusa.

Turbata. *Turbata* est, quæ clara mingitur, & postea turbulenta evadit.

Significatio in sano; In ægro. *Eaque in sano* indicium est, ipsum in morbum esse proclivem, propter humores crudos in vasis redundantes. *In ægro* verò indicat materiæ morbificæ coctionem jam inchoari, & cum sero aliquid materiæ istius esse mixtum: verùm mixtionem illam & attenuationem non adeo exacte esse factam, quin ob superveniens frigus materia vitiosa à reliquo humore separetur, & inter se cogatur.

Turbida. *Turbida* est, quæ turbulenta mingitur, ac postea clarescit.

Causa. *Orituque* ex eo, quod naturalis calor cœperit concoquere materiam morbificam, eamque agitare & commiscere; nondum tamen eam satis attenuaverit. Cessante itaque urinæ calore partes heterogeneæ sponte separantur, & crassæ subsidunt. *Idem* contingit, si urina per se sit clara, sed in transitu ei aliqua materia crassa permisceatur: verum cum hæc non sit satis attenuata & exacte ei admixta, sed tantum confusa, sponte subsidit.

Confusa. *Confusa* est, quæ turbulenta redditur, & talis manet.

Significatio. *Hæc indicat* calorem humores in vasis agitare & confundere, & non recte coquere ac attenuare: & *si* talis appa-

pareat in principio morbi, quo calor naturalis nullam adhuc coctionem instituit, significatur à calore nimio, humores agitante & turbante, nec attenuante, materiam crassam & asperam relinqui. *Si* vero hæc urina in principio talis non fuerit, sed postea confusa evadat, indicio est morbum in pejus abire, & calorem immoderatum, qui materiam morbificam agitat & cogit, augeri; & sæpe etiam aliquid maligni adesse.

Hic tamen semper etiam alia signa sunt observanda, & hinc colligendum, an talia fiant vi naturæ, quæ vitiosorum humorum coctionem & expulsionem aggreditur; an vero talia contingant propter caloris præter naturalis & putredinis incrementum, virtutisque naturalis debilitatem. *Quæ cautela hic sit adhibenda.*

Differentiæ præcipuæ urinarum, quæ *à coloribus* petuntur, sunt alba, pallida, flava, rubra, viridis, nigra. *Differentiæ à colore.*

Ad urinam *albam* pertinet aquosa, quæ colorem aquæ refert; *item* quæ vino tenui colore similis est, *vel* aquæ purę, cui parum bilis est injectum; *ut* & nivea, quæ nivis habet candorem; *sicut* & lactea & glauca, quæ cornu pellucidi imaginem refert. *Alba.*

Urina alba redditur, *vel* quia nihil ipsi admiscetur, quod eam tingat: *vel* quia corpus album ei admiscetur. *Causæ.*

Albæ urinæ causa ergo est *cruditas* & caloris imbecillitas: *obstructio* viarum, per quas urina transit: *bilis*, & cum ea *salsus humor*, *ad alium locum translatus*, ut sæpe fit in febribus acutis & phrenitide: magna *potus copia*: denique *calculus* in renibus vel vesica, cui, quod crassum est & salsum, adhæresçit, aquosum vero effluit.

Urinam lacteam reddit admixtio albæ alicujus substantiæ, sive illa sit pituita, sive pus, sive semen; *hæc* plerumque turbida mingitur, & postea clara evadit, & materia subsidens facile dignoscitur. *Lactea Causa.*

Pallida urina est à bile pallidâ, non sufficiente quantita- *Pallida Causa, & indicium.*

te, vel pauca bile flava, urinę admixta. Atque *ideo* vel cruditatis, *vel* obstructionis est index.

Flavæ differentia, & indicia.

Flava urina est palearis, spicea, citrina, & crocea.

Prima & secunda notat calorem debilem, vel obstructionem; *tertia* calorem moderatum; *quarta* calorem plus justo auctum, *vel* folliculum fellis obstructum, & hinc icterum præsentem, vel futurum.

Color urinæ sæpe est a medicamentis.

Interdum tamen etiam alię causæ, præter has, urinam tingunt; ut rhabarbarum, crocus, folia sennæ, & similia assumta.

Rubra.

Rubra oritur à sanguine, & bile.

A sanguine.

Et quidem, *si sanguis ruboris* illius *fuerit causa*, urina non splendet, & cruenta dicitur, habetque colorem, qualem aqua, in qua carnes recens mactatorum animalium sunt lotæ. *Mingiturque* vel ob apertam aliquam venam; vel ob hepatis & renum debilitatem, quæ aliquam partem sanguinis, non satis incrassati, in ureteres transmittit. *Sanguis* autem urinâ mixtus vel tenuis est, & reddit urinam subrubram; vel crassus, qui copiosè admixtus, urinam reddit valde rubram; sin paucus, aut rubram, aut subrubram.

A bile.

Quæ autem *à bilis copiâ*, aut bile rubicundiori, ortum habet *urina rubra*, splendet, & quasi flammea est.

Interdum, ob copiosam bilis admixtionem, rubra & crassa, instar vini ex rubro nigricantis, redditur urina. *Huc* referenda est urina vinea, quæ vinum rubrum colore refert. *Hæc* fit ab admista bile cærulea, & mixtione bilis rubræ crassioris.

Viridis.

Urina viridis fit à copia bilis æruginosæ, & porraceæ.

Oleaginosa.

Huc pertinet *urina oleaginosa*, quæ *vel* pinguedinem tantum in superficie natantem habet; & ex colliquatione pinguedinis oritur, atque ad differentias, à contentis petitas, est referenda; *vel* colorem & substantiam olei refert,

or-

ortumque ducit ab humorum excrementitiorum (qualis est bilis pallida & atra, ut & pituita) permixtione.

Urina & nigra & livida redditur, interdum *ob* rerum externarum admixtionem: interdum *ob* humoris melancholici cum urina evacuationem, quæ in iis accidit, qui in liene humorem melancholicum colligunt; *vel* cum atra bilis urinæ admiscetur; *vel* cum, extincto calore nativo & spiritibus, sanguis in vasis corrumpitur, & niger evadit. *Nigra Causa.*

Nigra urina summi incendii & maximi periculi *est nuncia*, præcipuè in principio, augmento, & statu febrium; *in declinatione* vero, sæpè ejusmodi urinæ sine damno excernuntur. *Significatio.*

Ratione odoris, urinæ aliæ dicuntur inodoræ, aliæ olentes. *Differentia ab odore.*

Inodoræ urinæ causa est calor nativus debilis, à quo nulla fere fit concoctio, quâ nullus humor serosus, aut alius excrementitius, qui odorem urinæ conciliet, ipsi permiscetur. *Inodoræ Causa.*

Olentes urinæ vel naturaliter olent, vel fœtent, vel sunt odoratæ.

Urinæ, naturalem odorem habentes, significant calorem naturalem se recte habere, & coctionem ab eo rectè perfici. *Naturaliter olentis indicium.*

Urinæ fœtidæ originem ducunt ex *cibo*, potu, aut medicamentis quibusdam assumptis; à *cruditate* & ciborum corruptione; atque præcipue à *putredine* humorum, ut fit in ulceribus vesicæ & renum; Interdum *etiam* hæc contingit ex diuturna urinæ in vesica retentione. *Fœtidæ Causa.*

Urina odorata, seu bene olens, ex nullis causis internis naturaliter oritur; sed si quæ talis sit, ea odorem illum à cibis vel medicamentis assumptis sibi comparavit. *Odoratæ Causa.*

A quantitate urina dicitur, pauca, vel copiosa.

Urina

Copiosa Causa.

Urina justo copiosior redditur; *si* cibi sumantur, qui multâ aquosâ humiditate scatent; *deinde* si aquosum & serosum medicamentum, quod per insensibilem transpirationem discuti consuevit, in corpore retineatur, & ad urinæ vias confluat; *item* si ex aliis partibus, vel etiam toto corpore, vitiosi humores per vias urinarias expurgentur; quod in criticis & symptomaticis evacuationibus, ut & diabete, accidit; *denique* si medicamentum diureticum sit assumtum.

Paucæ Causa.

Paucam urinam contrariæ causæ efficiunt, quales sunt *non* tantum paucus potus, *sed* etiam cibi sicci assumti; *deinde* materia aquea, per insensibilem transpirationem vel sudores dissipata, uti in ardentibus febribus sæpè contingit, nec non in motu & exercitio nimio; *item* serum ad alias partes confluens, ut fit in hydrope ascite, & anasarca; *denique* angustia vel obstructio viarum, per quas urina est excernenda.

Dolorem inferens & silens, unde fiant & quid notent.

In modo excernendi observatur *dolor*; qui oritur *vel* ab urinæ acrimonia, *vel* à viis urinariis exulceratis: *item urinæ sileutium*, quod animadvertitur, quando ea sine sono vel strepitu, tanquam oleum, effunditur vel mingitur: *eaque* colliquationis est index; nam hæc, instar olei, pinguis esse solet.

Contentum urinæ.

Contentum urinarum est, quicquid corpulentius & magis visibile urinæ liquori est admixtum.

Estque generale, vel speciale.

Contenta generalia.

Contenta generalia sunt, quæ in omnibus fere urinis observantur; talia sunt *sedimentum* seu hypostasis, *enæorema* seu suspensio, & *nubecula* seu nubes.

Hypostasis.

Hypostasis urinæ est illud crassum generale contentum, quod in urina versus fundum descendit, & in urina subsidit.

Enæorema.

Enæorema est, quod in medio urinæ suspensum continetur.

Nubes

Nubes est, quod in superiori parte urinæ instar nubeculæ hæret. *Nubes.*

Tria hæc contenta non semper in urinis conspiciuntur: *imo* interdum contingit, ut omnia absint; quod *in sanis* exactam notat sanitatem: in *ægris* magnam cruditatem, corruptionem, obstructionem, inflammationem, & magnas purgationes. *Absentia contentorum.*

In *tribus his* singulis *tria* sunt consideranda: consistentia, color, & quantitas.

Ratione *consistentiæ* contentum est vel crassum, vel tenue; æquale, vel inęquale; item planum seu læve, aut divulsum.

Crassum est à materia crassa & humorum crassorum copia. *Indicatque* crassorum copiam, vel ustionem nimiam. *Quid notet contentum Crassum.*

Tenue notat humoris tenuitatem, vel caloris imbecillitatem, vel flatuum admixtionem. *Tenue.*

Æquale est, cum omnes partes contenti eandem habent tenuitatem, vel crassitiem. *Notat* calorem validum, humorem benignum, & salutem. *Æquale.*

Inæquale est, cum pars alia est crassior aliâ. *Significat* calorem imbecillem, materiam rebellem, & evadendi difficultatem. *Inæquale.*

Planum & læve est, cum partes contenti inter se sunt contiguę. *Notat* idem, quod æquale. *Planum.*

Divulsum est, cum partes à se mutuo sunt separatæ. *Significat* idem, quod inæquale. *Divulsum.*

Color contenti est vel albus, vel niger, vel flavus, vel color his vicinus.

Albus contenti *color* fit à calore temperato, & recte coquente; atque *ideo* omnia bona notat. *Album.*

Niger ab incendio, vel caloris nativi exstinctione ortus, *notat* omnia prava, & mortem; *nisi* criticè appareat. *Nigrum.*

Rubrum. *Ruber* est à sanguine non exacte cocto, aut rubra bile. *Indicatque* morbum longum; sed sanabilem.

Quantitas contenti est, vel multa, vel pauca.

Multum. *Multa contenta* oriuntur à copia materię: & *in sanis* cibos crudos ac ingluviem significant; *in morborum principio & augmento*, humorum, coctione indigentium, copiam; *in vigore & declinatione*, materiam coctam & separatam, atque hinc salutem, si alia bona signa adsint.

Paucum. *Pauca indicant in sanis* exactam diætam & sanitatem. *In ægris* humores crudos, corruptos, viscerum debilitatem, inflammationem, obstructiones, materiæ defectum, vel magnas evacuationes.

Contenta specialia. *Specialia* autem *contenta* urinarum sunt, quæ tantum in quibusdam urinis apparent *Eaque vel* in fundo, *vel* in medio, *vel* in superficie conspiciuntur; *vel* matulę lateribus adhæresunt; *vel* etiam cum urina confunduntur.

In fundo hærent sedimenta *farinacea*, quæ farinam crassiorem; *squammosa*, quæ squammas referunt; *furfuracea*, quæ furfuribus similia sunt; *orobea*, quæ referunt grana orobi. *Item* arenulæ, calculi, grumi sanguinis, pus, caruncułæ, mucus, vermes.

Farinaceum. *Farinaceum* sedimentum redditur ab assato sanguine crassiore, vel à consumptis per calorem inæqualiter carnibus.

Squammosum. *Squammosum* autem, cum solidæ partes inæqualiter consumuntur.

Furfuraceum. *Furfuraceum* est à flammea & consumente febris caliditate; & à vesicæ vel vasorum scabie.

Orobeum. *Orobeum* quoque à colliquatione proficiscitur, cum febris carnem liquefacit.

Causa talium sedimentorum. *Hoc* tamen quibusdam recentioribus non placet, & propterea ista sedimenta vel ex scabiosa & exulcerata vesica, vel ex crudo aut melancholico humore provenire statuunt.

ſtatuunt. *Ego* autem exiſtimo illa ſedimenta oriri, ex certa figura, magnitudine, & conjunctione particularum, ex quibus humores excrementitii conſtant, eodem modo ut ſal & cryſtalli in aquis quibuſdam, propter particularum ſuarum certam figuram, magnitudinem, & compoſitionem naſci conſpiciuntur.

Arenulæ & calculi unde oriantur, & quid ſignificent.

Arenulæ & calculi oriuntur ex materia craſſa & ſæculenta, quæ internum coagulationis principium habens, & levem occaſionem nacta, ſponte concreſcit. *Internum* autem illud principium coagulationis conſiſtit in partibus ſalinis, terreſtribus, & viſcoſis, quæ facilè inter ſe, per cohæſionem viciniorem & quietem, à particularum figurâ & magnitudine, cohæſioni & unioni ac arenularum calculorumque conſtitutioni aptâ, natam, congluti nantur & arenæ lapidisque inſtar indurantur: cum ſcilicet, in corpore, vel extra illud, à calore debili illę particulæ non ſatis inciduntur, agitantur, & diſſolvuntur: vel à nimio calore exſiccantur, nimiumque coguntur, vel inter ſe contexuntur.

Et quomodo cognoſcantur.

Si autem arenulæ excernantur *cum dolore & ſtrangurià*, ſignum eſt calculi. *Imo* ſi arenulæ, apparere ſolitæ, ſupprimantur, & dolor ſentiatur in mingendo, ac urina evadat alba, ac tenuis, indicium eſt arenulas ſuppreſſas in calculum concreſcere.

Si vero arenulæ, lateribus matulę, adhęreant; eæ *in ſanis* ſignificant calidiorem hepatis, renum, vel ſanguinis intemperiem: *in ægris* vero febres ardentes; *vel*, ſi febris adſit, tartareos, alioſque craſſos humores, in corpore redundantes.

Grumi ſanguinis.

Grumi ſanguinis in urina conſpiciuntur, cum ex ulcere, vel læſo, rupto, aut hiante vaſe, in partem, per quam urina tranſit, ſanguis emittitur, & poſtea concreſcit.

Pus unde

Pus in urinis eſt, cum abſceſſus vel ulcus latet: *aut* cum

fiat, & quomodo cum urinis excernatur.

ex partibus ſuperioribus, ut thorace & pulmone, pus per vias urinarias evacuatur; dum illud attenuatur in minimas particulas, earumque rami nonnihil tolluntur; quæ deinde à preſſione vicinarum partium, & caloris agitatione, per poros venarum, in earum cavitatem impelluntur, ut chyli partes in vaſa gaſtrica & meſaraica; & poſtea ad cor delatæ, per renes, ad veſicam dejiciuntur. *Eodem* modo etiam particulæ ſubſtantiæ corporis conſumptæ venis inſeri, & excerni per urinam poſſunt.

Caruncu-læ.

*Caruncul*æ in urinis ſunt partes renum exulceratorum.

Mucus.

Si urina craſſa, *mucoſa*, tenax & pituitoſa, inſtar narium muci, reddatur, idque *cum dolore*, indicium ferè eſt calculi veſicæ; ſi vero hæc *ſine dolore* excernatur, ex crudo renum aut vicinarum partium ulcere vel abſceſſu provenire eſt veriſimile.

Plerumque autem talis materia eſt rudimentum calculi, & ideo ejus præſentiæ ſæpe eſt indicium; & propterea etiam emiſſa ſępè in lapideam duritiem coagulatur.

Sæpe etiam pituita, quæ magnâ copiâ excernitur, cacochymiæ & cruditatis, in ſanguine exiſtentis, eſt ſoboles & indicium.

Vermes.

Vermes, in urina apparentes, oriuntur ex corrupta, ſordida, & putreſcente materia.

Filamenta.

In medio urinæ natant, *filamenta*, pilis ac telis araneārum ſimilia.

Hæc cum urina excreta *ortum habent* ex humore craſſo & viſcido, qui in renibus vel ureteribus ſiccatur, & in hanc formam, ob vaſorum longitudinem, vel pori anguſtiam, redigitur.

In ſuperficie urinæ apparent *bullæ*, ſpuma, corona, pinguedo.

Bulla & ſpuma.

Bullæ & ſpuma generantur à flatu, viſcidæ materiæ incluſo, qui cum exhalare non poſſit, materiam in tumorem attollit,

attollit, ſuntque hæ bullæ variorum colorum, pro natura humoris, cui flatus includitur.

Corona docet quales in vaſis majoribus humores contineantur: pro diverſitate enim humorum ea diverſis coloribus eſt prædita. Atque in parte ſuperiore urinæ atque ejus circulo multa oculis poſſunt percipi, quæ in reliquo humore cerni nequeunt; cum lumen in ſuperficie liquoris & in ejus extrema corona aliter refringatur, & tranſeat, quam in medio. *Corona.*

Pinguedo, urinæ ſuperficiei innatans, oritur ex adipis colliquatione, vi caloris facta; atque idcirco conſumptionis & colliquationis corporis eſt index. *Pinguedo.*

Urinæ variantur non tantum ob varios morbos; ſed *etiam* propter temperamentum, ſexum, ætatem, anni tempora, ſomnum, vigilias, exercitium, affectus animi, & ſimilia. *Propter* has enim cauſas calor corporis eſt vel major, vel minor; pluraque, vel pauciora excrementa in eo colligi ſolent. *A quibus cauſis, præter morbos, urinæ varientur.*

Atque ita, quid ex qualibet urina fere queat cognoſci & prædici, patet per ea, quæ, de cauſis omnium differentiarum, diximus. *Atque* ex iis etiam ſudor, ſputum, & vomitus facile intelligi poſſunt.

Ut autem urina rectum de valetudine præbeat argumentum, *colligenda* eſt unâ vice, ubi coctio cibi jam eſt peracta; atque ideo matutinum tempus huic collectioni maxime ſolet convenire; cum nec coitus, nec crapula, nec inedia, nec medicamentum, aut cibus, lotium tingens, præceſſit. *Eaque* in vaſe pellucido, mediocriter lato, &, adverſus injuriam frigoris, tecto, *nec* diutius, quam per decem vel duodecim horas, eſt ſervanda. *Si* ea ab aëre externo conturbata fuerit, blando calore ignis eſt clarificanda. *Denique* inſpicienda eſt, ubi contenta locum ſuum occupaverint, in loco mediocriter illuſtri: ubi vero minuta *Ut urina bene de valetudine poſſit indicare, quæ ſint obſervanda.*

nuta corpuſcula in illa ſunt obſervanda, radii ſolis ſunt adeundi.

Signorum differentia.

Hactenus vidimus ex quibus fontibus ſigna petantur. Jam videamus quotuplicia illa ſint.

Signa alia ſunt propria, *alia* communia.

Signum proprium, & commune.

Propria ſunt, quæ uni affectui conveniunt: ut vomitus eſt ſignum affecti ventriculi proprium.

Communia, quæ in pluribus & diverſis reperiuntur: ut delirium eſt ſignum inflammati cerebri & diaphragmatis commune.

Propria ſigna ſunt *vel* ſeparabilia, *vel* inſeparabilia.

Proprium ſeparabile

Separabilia propria ſunt, quæ quidem ſoli, ſed non omni & ſemper conveniunt: ut vomitus eſt ſignum proprium affecti ventriculi ſeparabile; cum is ab hoc malè affecto ſæpe abſit.

Inſeparabile, ſeu pathognomonicum.

Propria inſeparabilia ſunt, quæ ſoli & omni conveniunt. Hæc etiam *pathognomonica* dicuntur, ac morbi eſſentiam conſequuntur, & cum eo neceſſario cohærent; atque ideo etiam in principio adſunt, & cum eo deſinunt, augenturque & minuuntur cum eodem.

Signa pathognomonica plerumque ſunt multa conjuncta; rarò ſingularia.

Raro tamen datur unum morbi ſignum pathognomicum; ut eſt excretio urinæ per vulnus ventris, veſicam vulneratam indicans: *ſed* plerumque ſigna pathognomonica conſtituuntur ex pluribus junctis, quæ ſeorſim ſumpta pathognomonica non ſunt: ut in pleuritide dolor lateris punctorius, tuſſis, reſpirationis difficultas, febris acuta.

Signa communia ſunt *vel* ſynedreuonta, quæ ſimul aſſidentia; *vel* epiphainomena, quæ & epiginomena dicuntur.

Signum ſynedreuon.

Signa ſynedreuonta ſunt ſigna communia, quæ cum morbo invadunt. *Hæc* cum morbis non cohærent neceſſariò, nec ab eſſentia eorum fluunt: declarant tamen aliquid circa morbum; magnitudinem ſcilicet, durationem, morem, &c.

Epi-

Epiphainomena sunt signa communia, quæ postea superveniunt. *Hæc* mutationem morbi indicant, non autem speciem: *Epiphainomenon.*

Deinde signum *aliud* bonum, aliud malum: *aliud* certum, aliud incertum: *aliud* salutare, aliud lethale. *Bonum; malum. &c.*

CAPUT XXII.

De Diagnosi.

ATque hæc de morborum *differentiis* & *signis*, quantum ad eorum cognitionem est necessarium, diximus.

Fundamentum cognitionis pathologicæ, ante omnia jaciendum, est eorum, quæ in ægro secundum & præter naturam se habent, item quæ causam morbo ullo modo præbere potuerunt vel possunt, diligens observatio; quæ *casus*, item *casus positio*, nec non *historia morbi*, appellari solet. *Fundamentum pathologicæ cognitionis est Historia morbi.*

Deinde ad cognitionis pathologicæ species, ex ea instituendas, est progrediendum.

Species autem cognitionis Pathologicæ sunt duæ: *dignotio*, quę diagnosis; & *prænotio*, quæ prognosis græce dicitur. *Pathologicæ cognitionis species.*

Diagnosis est cognitio pathologica, quâ præsentem morbi statum dignoscimus. *Diagnosis*

Hujus partes tres numerantur: *Partis* affectæ, Ipsius *morbi*, & Morbi *causæ* recta investigatio. *Ejus partes.*

In his enim tribus morbi constitutio potissimum consistit.

Pars affecta primum est investiganda; cum sit cognitu facilior, ipsique ægri illam sæpissime sponte ostendant; & hæc nonnunquam viam ad morbi investigationem sternat. *Postea* veniendum ad inquisitionem morbi: & si ille *Earum investigandarum ordo.*

cau-

causam habeat, quæ manum vel observationem medici desiderat, deinde & illa est inquirenda.

Investigatio partis affectæ per actionem læsam.

Dignoscitur pars affecta 1. Per *actionem læsam*; quæ pro varietate sua optimè indicat diversam partem affectam; quia actio nulla lædi potest, nisi pars illa, per quam efficitur, aliquid, aut per se, aut per accidens, patiatur. Sic læsâ ratiocinatione, imaginatione, memoria, somno, vigilia, totius corporis motu, cerebrum affectum esse indicatur. Sic si urina sit suppressa, causa in renibus, ureteribus, vesica, aut in meatu urinario, est quærenda.

Per excreta.

2. *Per excreta*; in quibus consideranda, *primò* substantia; quæ interdum est pars membri læsi: ut si caruncula vel tunica ore rejiciatur; atque hæc pulmonem, asperam arteriam, œsophagum, aut ventriculum erosum esse significat; & quidem si tussi ejiciatur, è thorace; si vomitu, è ventriculo ejici indicio est: interdum est excrementum parte contentum, ut urina, calculus, lumbrici: interdum alimentum, ut chylus, vel sanguis venosus aut arteriosus; quæ omnia locum affectum clarè designant. *Secundò* quantitas: sic si tussi multus sanguis rejiciatur, pulmonis affecti indicium est; si paucus, asperæ arteriæ. A renibus manat copiosior sanguis; qui à vesica venit, paucior est. *Tertiò* excernendi modus: nam quod tussi rejicitur, ex pulmonibus vel aspera arteria venit; quod vomitu, è ventriculo, œsophago, vel intestinis. Interdum etiam quod screatu, sine tussi expellitur, è pulmonibus prodit. *Quartò* ordo; sic si prius sanguis, deinde fæces excernantur, anum vel intestinum inferius laborare significatur: si prius fæces, deinde sanguis, intestina tenuia, aut partes his superiores esse affectas indicium est.

Per situm alicujus manifesti affectus.

3. *Per situm* manifesti alicujus affectus; sic tumor in hypochondrio dextro, non sublimis, lunari figurâ, est nota affecti jecoris; similis tumor in sinistro hypochondrio, lie-

lienis mâle affecti ſignum eſt: ſic inflammatio in oculo oculum affectum notat.

4. Per *proprietatem* quoque *doloris:* Dolor enim *punctorius* proprius eſt membranæ affectæ. *Pulſans* oſtendit arteriam premi. *Acutus* eſt index membranarum, vel nervorum affectorum. *Obtuſus* indicat parenchyma cordis, pulmonis, hepatis, vel oſſa eſſe affecta. *Per doloris proprietatem.*

5. Denique *per propria accidentia*: ſic citrinus color totius corporis, obſtructionem jecoris aut veſicæ fellis; niger, lienem obſtructum; angor, ventriculi, & ſyncope, cordis affectum indicat; eadem ratio eſt aliarum partium. Memineris autem unico ſymptomati non eſſe fidendum. *Per propria accidentia.*

Cognitio morbi præcipuè conſiſtit in dignoſcenda ejus ſpecie, ſympathia, vel idiopathia, magnitudine, more motu, & temporibus. *Inveſtigatio morbi.*

Morbi ſpecies, ſi occulta fuerit, cognoſcitur. 1. *Ex cauſis*: ideoque ſi aliqua cauſa adſit vel præceſſerit, eaque rectè examinetur, morbi, quem efficere apta nata eſt, eſt indicium. Sic uſus alimentorum nimis calidorum calidæ intemperiei eſt index: & frigidorum frigidæ. Inter *cauſas* etiam corporis, ad hunc vel illum morbum facilius ſuſcipiendum, diſpoſitio, ex temperamento, ſexu, ætate, & conſuetudine orta, eſt perpendenda: cum maxima in morbum ſit propenſio, qui corporis conſtitutioni ſimilis eſt; minima autem in illum, qui illi adverſatur. 2. *Deinde* ex eſſentialiter inhærentibus, ſeu propriâ morbi eſſentiâ. Facileque intemperies, & quilibet morbus conformationis partium externarum, ſenſibus patet: Internarum vero morbi etiam ex eſſentialiter inhærentibus cognoſcuntur; ſic tumor hepatis, lienis, vel veſicæ cognoſcitur mediante cute, quæ, à partibus ſubjectis tumidis, & ipſa in tumorem attollitur. 3. *Item* ex *effectis*, ut ſymptomatis; nimi- *Secundum ſpeciem.*

rum ex actionibus lęsis. Hæ enim morbum adesse significant ejus partis, à qua illa actio perficitur: & quidem actio abolita vel diminuta intemperiem frigidam sæpe significat; depravata vero ut plurimum calidam indicat. 4. *Et* modus læsionis morbi speciem prodit: nam cum alteratio vix fiat subitò, nec intemperies alteratione inducta subito cesset; si actio subito tollatur & subito restituatur, plerumque non morbus intemperiei, sed conformationis esse significatur. Et si statim actiones auferantur & diu ablatæ maneant, vel est obstructio à crassiori materia, vel alia prava conformatio.

5. *Item* per excreta: nam hæc nimis colorata calidum morbum significant, ut & fæces siccæ; viscidę vero, crassæ, & albę, frigidum; sic materia calculosa, & in urina subsidens, indicat vesicam calculo laborare. 6. *Nec non* ex qualitatibus mutatis: sic mollities humidam intemperiem significat; color corporis albicans frigidam; rubicundus calidam notat. 7. *Huc* pertinent etiam juvantia & lædentia: si enim juvent frigida, lædant calida, morbus calidus significatur; contrarium si fiat, morbus est frigidus.

Secundum idiopathiam, & sympathiam;

An morbus sit *per sympathiam*, an vero *per idiopathiam*, cognoscitur. 1. *Ex* causis præcedentibus, si nimirum pars, quæ afficitur, à nulla causa evidenti læsa sit, pars vero, cum qua consensum habet, aliquid mali passa sit, per consensum partem illam affici probabile est. 2. *Si* affectus aliquis cum alterius membri affectu ita cohæreat, ut ad augmentum ejus augeatur, ad ejusdem decrementum imminuatur, ipsoque cessante & ipse desinat, per consensum excitatum fuisse talem affectum verisimile est. 3. E *qua* parte prius etiam recesserit morbus, eam per consensum affectam esse indicat; per idiopathiam vero, in qua diutius manserit. 4. *Affectus* per consensum non infestat continuo; sed fere per intervalla. 5. Si *duæ partes* simul afficiantur,

atque,

atque, ex adhibitis uni juvantibus vel nocentibus, altera vel lædatur, vel juvetur, per consensum eam affici est existimandum.

Magnitudo morbi cognoscitur. 1. *Ex* magnitudine *causæ:* sic quod magnam agendi, ut alterandi, vulnerandi, rumpendi, &c. vim habet, in quocunque morbi genere procul dubio magnum morbum generabit, atque ejus erit indicium. 2. *Ex symptomatum* vehementia & copia: quo enim illa majora vel minora sunt, eo etiam morbum majorem vel minorem indicant; ut patet in pleuritide & aliis quibusvis morbis. 3. Ex *juvamine* remediorum: qui enim morbi facile auxilium à remediis sentiunt, parvi; qui difficile, magni judicantur. 4. Ex *nobilitate partis* affectæ: nam quo pars affecta nobilior est, vel partes nobiles magis in consensum rapere potest, eo major morbus est habendus. *Magnitudinem;*

Mos morbi, & ejus malignitas, vel benignitas cognoscitur. 1. Ex ipsius *morbi naturâ* per se malignâ vel benigna: sic elepantiasis, morbus gallicus, cancer, & similes, maligni judicantur; tertiana, icterus, &c. benigni. 2. *Deinde* ex *causis* malignis & venenatis præcedentibus, ut putredine insigni, ustione, aëris vitiosa constitutione, cibo & potu vitioso, aut venenatis medicamentis si sit ortus. 3. *Ex effectis:* nam si nullum quidem vehemens aut periculosum adsit symptoma, quod ægrum molestet, ipse tamen sit inquietus & debilis; morbusque post levem remissionem celeriter & vehementer exacerbetur; ex sudoribus & aliis excretionibus æger nil levaminis percipiat; præsertim si frigiditas extremorum, vigiliæque accesserint, morbi maligni & naturæ jam succumbentis indicium est. Si æger in principio infestetur gravi somno, si sine causa horreat, incalescat, sanguinem stillet, cæterum vero febris lenta, & quasi cum signis salutis videatur: si fauces exasperentur, & cum linguæ nigredine æger non sitiat; si pulsus, respectu *Morem;*

febrilis caloris, insignem parvitatem cum inæqualitate & frequentia habeat, à levi occasione accidant animi deliquia, hæc morbum malignum indicant.

Motum; Quantum *ad motum* attinet, morbi breves & præsertim plerique acuti, ex eo cognoscuntur, quod celeriter moveantur, & mox à principio gravia occurrant symptomata. *Acuti* enim *morbi* ab humoribus calidis, tenuibus, mobilibus, mordacibus, plerumque oriuntur, qui mox ebulliunt, & vehementia symptomata producunt, ut sitim, vigilias, deliria, dolores corporis, inquietudinesque, & cibi fastidium: eaque celeriter augentur: idque sæpè intra sex primos dies. *Morbi longi* contrario modo se habent.

Tempora. *Tempora morborum*, nempe principium, augmentum, status, & declinatio, cognoscuntur *ex symptomatum* incremento & decremento; *item ex signis* cruditatis & coctionis: ubi enim symtomata sunt parva, & omnia sunt cruda, morbus est in principio; ubi illa ingravescunt, & coctionis signa apparent, ad augmentum vel statum ille vergit.

Investigatio causæ morbi. *Dignotio causæ* præcipue versatur circa causam procatarcticam, vel continentem, vel antecedentem.

Procatarcticæ. Primitivæ seu *procatarcticæ causæ dignotio* fit per commemorationem ægri, vel adstantium; spontaneam, vel interrogando elicitam: aut per artificiosam conjecturam.

Continentis. *Continentem causam* indicant. 1. *Partis natura* & color; partes enim aliæ aliis gignendis colligendisque humoribus & excrementis sunt comparatæ; sic lien atræ bili; hepar flavæ; ventriculus, cerebrum, & intestina, pituitæ; renes & vesica calculo; intestina lumbricis producendis sunt apta. Pars autem, quæ præter naturam aut consuetudinem incaluit, si sit rubra, sanguine; si flavescat, bile est perfusa: quæ friget, si albescat, pituitâ: sin liveat, melancholiâ gravatur. 2. *Doloris species*: nam dolor acerrimus est

à bile

à bile, mitior à sanguine, hebes à melancholia, pituita, aqua & flatu: nisi forsan illa copiâ suâ partes nimis vehementer distendant; tum enim dolorem satis acutum gignere possunt. 3. *Excrementa*, quæ ab affecta parte prodeunt: nam, si portio quædam sint concluſæ materiæ morbificæ, vel colore vel substantiâ, quænam ea sint, indicant.

Signa, *antecedentem causam* indicantia, significant *vel* spirituum, *vel* humorum, *vel* excrementorum vitium. *Antecedentis.*

Spirituum vitium indicant *causæ*, quæ illos præter naturam alterare vel imminuere possunt; ut cacochymia, æstus, nimia venus: *sed* præcipuè *effecta*; nempe lapsus virium, actionum omnium debilitas, cordis capitisque dolor, vertigo, lipothymia, facies cadaverosa. *Signa vitii spirituum;*

Quæ *humorum vitium* notant, ea indicant *vel* humorum nimiam quantitatem, *vel* qualitatem pravam, *vel* motum peccantem. *Humorum.*

Quantitate nimia peccare humores indicant tum *communia* plenitudinis signa, tum *propria* cujusque speciei.

Communia plenitudinis *signa* suppeditant æqualis venarum omnium tumor, pulsus fortis, validus, & plenus, multis locis pulsatione molestus, respiratio difficilior & crebrior, præsertim in corporis motu: atque imprimis spontanea lassitudo, sive gravativa & dolorosa in corpore movendo molestia sponte, citra vehementiorem præcedentem laborem, orta; quæ est tensiva, ulcerosa, plegmonodes, vel composita. *Plenitudinis signa Communia.*

Plenitudinis speciem ostendunt signa plethoræ *vel* ad vasa, *vel* ad vires, *vel* mixtæ, *vel* spuriæ. *Signa plethoræ;*

Plethoram ad vasa adesse significant corporis temperies calida & humida, adolescentia, victus plenior, sanguinis evacuatio suppressa. *Item* habitus corporis carnosus, firmus, halituoso vapore perfusus; venæ editiores, & præcipue ab exercitatione & æstu turgentes: musculi tensi; vi- *Ad vasa,*

rium robur, cum sanguine, proportione quadam, incrementum sumens; &, si sanguis venas nimis repleat, crassescit, & partes inferiores magis petit: hinc tibiarum musculi laborioſius moventur, & lassitudo facile gignitur. Respiratio ex labore est difficilior. Animi mores sunt hilares; discursus mentis, ut & memoria, est hebetior: somnus est profundus & diuturnior, ac cum jucundis insomniis. Pulsus est magnus & fortis. Naturales actiones sunt optimæ. Urina est copioſior, colore & substantiâ mediocris, contentumque in eo paulo copioſius. Totius corporis, atque imprimis color faciei, est rubicundus & roseus; oculorum venæ rubent; cutis calida tactu percipitur; calor tamen est lenis. Facile ferunt sanguinis evacuationem. Cibi paucitas lassitudinem tollit; lædunturà calidis & humidis, & omnibus, quæ calorem augent. Nocet otium, & cibi sanguinem gignentes.

Ad vires. *Plethora ad vires* cognoscitur ex corporis gravitate, pulsu inæquali; cruditatum, & sæpe incipientis putredinis signis.

Mixta. *Mixta plethora* utraque habet signa, jam commemorata.

Spuria. *Spuriæ*, seu cacochymicæ plethoræ, signa sunt, præter *causas*, urinæ turbatæ, crassæ, rubicundæ, pravi gravisque odoris; sudores malè olentes, difficiles, minuti; sanguinis particulares evacuationes spontaneæ, non excitatę à plenitudine nimiâ, aut à motu violento, aut quavis alia causa evidenti; respiratio densa, magna, gravis, & difficilis; color rubeus, sed obscurus, in partibus externis: exanthemata, pustulæ, scabies, erysipelata; anxietates cordis, lassitudo, capitis dolor; tussis crebra, aridaque, à proprio pulmonum affectu non orta.

Signa cacochymiæ. *Cacochymiæ*, sive qualitate peccantium humorum, signa sunt *vel* communia, *vel* propria.

Com

Communia signa cacochymiæ, præter *causas*, sunt lassitudo ulcerosa, virium omnium indies major ac major languor, excrementa inordinate & variis coloribus sæpe exeuntia, faciei & totius corporis color ac habitus immutatus.

Propria signa cacochymiæ sunt *vel* pituitosæ, *vel* bilioſæ, *vel* melancholicæ, *vel* atrabilaris, *vel* seroſæ; item *vel* crudæ, *vel* coctæ.

Signa cacochymia pituitosæ.

Pituitosæ, & quidem *dulcis*, signa sunt *causæ*, quæ ad pituitæ generationem faciunt; ut temperies corporis frigida & humida, senectus, vita otiosa, victus humidus, ingluvies, hyems, urinæ supressio. Item *actiones* lentæ, torpidæ, segnes, motus tardus, sensus stupidiores, ingenium tardius, somnolentia, & somnus profundus: item insomnia de pluviis, aquis, nivibus, grandine, glacie, submersione: mores in hac sunt insulsi, non faciles ad iram, pulsus est tardus, rarus, parvus, mollis: à siti nulla molestia, fames est languidior. *Morbi* sæpè adsunt humidi, frigidi, & diuturni. *Excrementa* plurima rejiciuntur pituitosa, & salivæ est abundantia. *Urina* est alba, pallida; nunc tenuis, nunc crassa & turbata. *Alvi* excrementa sunt cruda & pituitosa. Totum *corpus* est album, crassum, molle, & ad tactum frigidius. *Calefacientia*, siccantia, & pituitam evacuantia prosunt: *facile* ferunt jejunium: *nocent* refrigerantia, humectantia, incrassantia, & quæ pituitam retinent & augent.

Acida.

Si *pituita* adsit *acida*, omnia ista signa sunt vehementiora; appetitus tamen sæpe magnus est cibi, qui malè concoquitur.

Salsa.

Salsa pituita cognoscitur ex *causis* præcedentibus, pituitam salsam generare aptis. *Item* si adsit sitis, sapor salsus, mordicatio, scabies, & alii cutanei affectus pruriginosi. Juvant, quę salsedinem temperant; nocent, quæ nimis siccant, & calefaciunt.

Bi-

Bilioſa. *Bilis peccans* cognoſcitur, ſi anteceſſerint *cauſæ & corporis diſpoſitio*, quæ ad generationem bilis faciunt: ut conſtitutio corporis calida & ſicca, ętas juvenilis, æſtas, alimenta calida, acria: inedia, nimia exercitatio, ſuppreſſa bilis evacuatio. *Item* ſi homo ſit vigil; ſomniet de igne, tonitru, fulgure, litibus; ſi ſit agilis in motu, & conſiliis præceps, facile iraſcatur; pulſus ſit vehemens, velox, frequens, durus. Si coctio depravetur in nidoroſam cruditatem: appetitus potûs, quam cibi, ſit major. Morbi affligant calidi & ſicci, & qui velocem habent motum, & ſymptomata à bile orta: ſi urina ſit flava & ſplendida, excrementa alvi ſint bile tincta; corporis habitus ſit ſiccus & gracilis; & acrem calorem præ ſe ferat, corporis color ſit flavus. Juvent frigida & humida, acida, & bilem evacuantia. *Noceant* calida & ſicca, ut & jejunium.

Melancholica. *Melancholiæ abundantis* ſigna ſunt *cauſæ & diſpoſitiones* antecedentes, ut intemperies corporis frigida & ſicca, triſtitia & curæ, autumnus, alimenta craſſa, obſtructio lienis, hęmorrhoidum ſuppreſſio. *Effecta* quod attinet, ii in quibus hic ſuccus abundat, ſunt taciturni, cogitabundi, ſtabiles, interdum pertinaces, tardi ad iram, ſed difficulter placabiles: ſomnus ipſis eſt turbulentus, & ſæpe cum horrendis inſomniis, ſunt etiam mœſti, & meticuloſi, ſine manifeſta cauſa, pulſus eorum eſt tardus ac ſubdurus, colorem habent lividum, fuſcum, ſubnigrum, quidam eorum cibum & venerem immoderatius appetunt, non tam à ſpiritibus, circa genitalia abundantibus, quam cogitatione rei venereæ incitati. Urinam mingunt copioſam & ſi nihil melancholiæ unà excernatur, urina ipſorum eſt tenuis & alba: ſi vero aliquid melancholiæ una excernant, habent urinam craſſam & nigram, ſudores quoque ipſis in ſomno ſunt copioſi. Hæmorrhoides ipſis fluunt, vel ſupprimuntur; flatus in corpore habent copioſos, ructus acidos,

dos, habitum corporis macilentum, aſperum, durum; colorem lividum; interdum patiuntut tumores & durities ſplenis; obnoxii etiam ſunt varicibus, & aliis morbis melancholicis.

Atra bilis habet mixta ſigna flavæ bilis & melancholiæ; & apparent quidem melancholiæ indicia, ſed cum manifeſtis caliditatis & fervoris ſignis conjuncta; unde ex ea oriuntur mania, cancer, elephantiaſis, ſcabies maligna, & ſimiles affectus. *Atrabilaria.*

Seroſorum humorum abundantia cognoſcitur non ſolum *ex cauſis* præcedentibus, ut ventriculo frigido, jecore aut liene obſtructo vel duro, alimentis humidis, ſenectute, hyeme, ſuppreſſione urinæ vel ſudoris: *ſed etiam* ex corporis habitu ſubhumido, pallido, urina cruda & aquoſa, pulſu debili & languido. *Seroſa.*

Cacochymiæ crudæ ſigna fere cum ſignis cacochymiæ generalibus conveniunt: adeſt enim laſſitudo ſpontanea, ſenſuum hebetudo, & inertia, ſomni inquieti & moleſti, capitis oculorumque gravedo, totius corporis hic & illic punctiones, membrorum torpores, crurum gravitates, genuum debilitates, horror, caloris frigoriſque viciſcitudo: dolores varii in membris, jactationes, inquietudines, anxietates, pulſus inæquales, urinæ inconſtantes, excreta omnia inordinate & intempeſtive prodeuntia, fœtores, colores pravi, tum in facie, tum in toto corpore, tum in ipſis excrementis: quæ quo vehementiora fuerint, & à ſtatu naturali remotiora, tanto majorem vel deteriorem cruditatem arguunt. *Cruda.*

Cacochymiam coctam indicant ſymptomata omnia, cum ratione & perſeveranter miteſcentia; facilior tolerantia; pulſus & excrementorum major indies, cum ſanorum excrementis, ſimilitudo. *Cocta.*

Motus vitium habent humores, qui turgeſcentiâ pec-

cant, *aut* immodicè in partem aliquam ruunt.

Humorum turgentium.

Turgentis humoris indicia sunt calor & æstus continuus, sed qui cum fugace frigore aliquando permutatur: prurigines, doloresque varii & vagi, anxietates, nauseæ, leves lipothymiæ, respiratio impeditior; pulsus celer, frequens, & valde inæqualis; vertigines, & splendores. Interdum obscurationes oculorum, tremores labiorum, oscitationes, pandiculationes, horripilationes, lassitudines, difficiles tolerantiæ, jactationes crebræ, somni turbulenti, sudatiunculæ, sanguinis per uterum vel nares stillicidium.

In partem ruentium.

Si *immodicè* in partem aliquam *ruat humor*, dolor & tumor in parte, magis magisque increscens, observatur.

Signa vitii excrementorum.

Excrementorum vitiosorum signa præcipue indicant *vel* calculum, *vel* vermes, *vel* pus, *vel* saniem, *vel* flatus.

Signa calculi.

Calculi signa, præter *causas*, quæ sunt cibi salsi & viscidi, aquæ & vina, partibus lapidescentibus prædita, corporis motus vehementior, venus immoderata; *sunt etiam* dolores partium gravativi & perforativi, & vicinarum sæpè stupores, in excretis impedimenta, aut aliud vitium ab obstructione oriri solitum.

Vermium.

Vermium signa sunt *causæ*, ut humorum cruditas & putredo, ex ingluvie crapula vel otio ortæ: & hæc *effecta*, nempe alvi fluor, tormina, oculorum suffusio, pallor faciei, narium pruritus, dentium stridor, tussicula sicca, respiratio difficilis, labii tremor, rosiones ventriculi, lipothymiæ, pravorum appetitus, nausea, vomitus, oris fætor, ventris inflatio & durities, febris inordinata, somni inquieti & terrifici, motus convulsivi, & tremores artuum.

Puris.

Puris signa sunt *causæ*, ut sanguinis extra vasa effusio, vehementior inflammatio, vulnus, ulcus, caro contusa: & hæc *effecta*, caloris, doloris, pulsationis, febris & aliorum accidentium remissio, tumoris in mucronem sublatio; & à pressione digitorum, si tangi locus potest, fluctantis velut

lut humoris inundatio; & punctiones aliquando subitaneæ, velut ab acu.

Saniem tum solis sensibus, *tum* ex causis, *tum* ex effectis, agnoscimus. *Saniei.*

Flatus sæpe se produnt *causis*, nempe cruditate, obstructione mesenterii & vasorum gastricorum, ventriculo frigido & humido, cibis flatulentis, crapulâ, ingluvie: item *effectis*, ut rugitibus & fluctuationibus in intestinis & hypochondriis, item ex doloribus tensivis, sine gravitate, & vagis, qui cito oriuntur & cito desinunt. Adsunt præterea aurium tinnitus & sonitus, partium corporis palpitationes, ructus, alvi crepitus, urinæ sæpe spumosæ. *Flatuum.*

Inter causas morbi fortuitas venenum in corpore existens numerari potest. *Hausti veneni indicia* sunt, si alicui, alias sano, post cibum vel potum morsus percipiatur in ventriculo & intestinis; alvi profluuium vel vomitus oriatur; & color intra sex horas fiat auriginosus, & maculosus; si extrema corporis frigore occupentur, syncope superveniat, item palpitatio cordis, & tumor. *Veneni Hausti;*

Si quis *ab animali venenato* sit morsus, *vel* sputo, *vel* aculeo sit læsus, pars læsa emoritur, putrescit, inflammatur, atque intumescit, dolor adest magnus, aliaque jam dicta symptomata. *Morsu, sputo, vel aculeo illati.*

CAPUT XXIII.

De Prognosi.

ABsolutâ *Diagnosi* progrediendum ad *Prognosin*; quæ est Cognitio pathologica, qua futura, quæ ægro accident, prænoscimus. *Prognosis.*

Tria autem in ægro prȩcipue sunt prænoscenda Medico: Eventus morbi, Tempus, & ejus Modus. *Ejus partes.*

Cognoscitur autem *eventus morbi* ex collatione virium *Signa e-*

ventus morbi, sunt vires ægri & morbi.

ægri & morbi. Utræque itaque sunt investigandæ & perpendendæ.

Virtutis robustæ & debilis ęgri *signa* petuntur à *causis* & *effectis*.

Quomodo cognoscantur vires ægri.

Proxima roboris naturæ causa est naturalis partium & quidem præcipue principum, ac in his imprimis alituræ inservientium, dispositio. *Hæc* igitur quanto temperiei & conformationi partium naturali proprior est, eo virtutem firmiorem significat; *quo* ab iis remotior, eo debiliorem. *Maxime* tamen à temperie naturali robur pendet: multi enim conformationis morbis laborantes sunt longævi, ut apparet in multis claudis, & cæcis, &c.

Ad temperiem naturalem referuntur ætas & sexus. Masculi enim & juvenes sunt robustiores; fœminæ & senes, debiliores. *Remotæ causæ roboris* sunt, quæ assumuntur, geruntur, adhibentur, excernuntur, & retinentur. *Hæc* enim omnia si moderata fuerint, virium robur: si immoderata, imbecillitatem indicant.

Effectus sunt actiones naturales & animales; & excreta secundum quantitatem, qualitatem, excernendi modum considerata: *item* qualitates corporis mutatæ.

Quo hæc magis secundum naturam fuerint, tanto vires ægri fortiores notant; *quo* magis à naturæ modo recesserint, tanto imbecilliores ipsas significant.

Quomodo vires morbi.

Morbi vis deprehenditur ex rebus naturalibus, non naturalibus, & præternaturalibus. *Per* res naturales intelligimus temperamentum, ætatem, habitum corporis, & consuetudinem. *Inter* res non naturales potiores sunt anni constitutiones & tempora, cœli constitutio, & victus ratio; tum præsentes, tum præterita. *Res præter naturales*, ex quibus robur morbi noscitur, vel sunt accidentia, vel circumstantiæ illius essentiam consequentes; ut puta morbi compositio, invadendi aut exacerbandi modus, magnitudo,

do, mos, motus, aut tempora; vel causæ morbificæ; vel partes affectæ; sed *imprimis* sunt symptomata in actionibus læsis, immoderatione excretorum, & qualitatibus corporis immutatis.

Quo hæc omnia magis vel minus naturam impugnant, vel eam à naturali statu recessisse significant, eo majorum vel minorum morbi virium sunt indicia.

Quomodo certior vel incertior morbi eventus fiat prædictio.

Quo autem ægri vires erunt fortiores, & morbi debiliores, eo certius & facilius evadet æger; *quanto* vero plus prævalebit morbus, tanto certius & citius æger succumbet, vel morbus in longum producetur, aut in pejorem mutabitur. *Et quo* magis vires ægri & morbi sunt pares, eo magis dubia est salus.

Signa temporis eventus petuntur a solo morbi motu.

Temporis eventus prænotio consistit in prænoscenda duratione morbi, longa, vel brevi: idque cognoscitur ex solo motu ipsius morbi. *Qui enim* citius moventur, maturius ad finem perveniunt; longiores sunt, morbi qui tardius progrediuntur.

Quo autem hic motus magis vel minus cognoscitur accuratè, tanto magis vel minus definitè longitudo vel brevitas morbi prænoscitur.

Motus morbi quomodo innotescat.

Motus morbi innotescit ex ejus constitutione, causis & effectis.

Constitutio morbi consistit in ejus *specie*, magnitudine, more, vel quocunque accidente alio, essentiam ejus consequente; item ex parte affecta. Sic apoplexia, angina, febris diaria, ex specie sua & natura sunt morbi breves; hydrops, tabes, quartana febris, sunt morbi longi.

Inter morbi accidentia maximè observanda est proportio accessionum inter se, in morbis illis, qui periodos & accessiones habent, in quibus spectantur earum magnitudo, motus, tempus, & modus, quo solvuntur; idque vel per excretionem, vel sine ea; item cum, vel sine integritate.

Si enim posterior accessio priore multo longior & vehementior sit, citiusque recurrat, velocissime ad statum & terminnm tendit: similiter si accessio quævis sua particularia tempora velocissimè percurrat. Si contrarium fiat, longus morbus est futurus.

Partes affectæ si densiores, frigidiores, nervosæ, & otiosæ fuerint, indicant morbos longos: *contra*, si fuerint molles, calidiores, & rariores, morbi significantur breves.

Causæ morborum etiam longitudinis vel brevitatis notas exhibent: nam morbi à bile, sanguine, & spiritu, sunt breves: ab atra bile, pituita, crassis, viscidis, & multis humoribus, longi morbi solent oriri.

Huc referenda *signa*, quæ ab ætate, sexu, consuetudine, anni tempore, cœli statu, vitæ conditione, & similibus petuntur: hęc enim humores certos gignunt. Hinc morbi in juvenibus & æstate sunt breves: contra longi in senibus & autumno.

Effecta morborum, quæ motum eorum indicant, sunt juvantia, lædentia, & symptomata.

Juvantia & lædentia quod attinet; morbi, qui parvis remediis juvantur, morbos notant breves; qui vero ab omnibus remediis læduntur, aut à paucis juvantur, vel occîdunt, vel non nisi longo tempore sanantur.

Symptomata si vehementer & cito augeantur, si statim extremi labores & vigor adsint, brevis & velox erit morbus: contra morbus erit tardus & longus, si tardus vigor sit futurus, si diu similia appareant symptomata.

Symptomata *actionum læsarum quanto* minus à statu naturali recedunt, tanto brevior erit ad sanitatem reditus. *Quo vehementiora* fuerint, *vel* brevior erit via ad mortem, *vel* longior ad sanitatem.

Coctiones quanto citius apparent, tanto breviorem nunciant morbum: longiorem, si tardius conspiciantur. *Ut*

autem

autem concoctio solutionem morbi brevi futuram, & certam salutem ostendere possit, debet esse vera, non simulata continua, & universalis.

Simplices corporis affectus quanto minus à statu naturali recedunt, tanto breviorem morbum per se nunciant: *si contra*, longiorem.

Tertium, quod à medico prænosci debet, est *modus*, quo ad salutem vel mortem perveniet morbus. *Is fit vel* per solutionem, *vel* per commutationem. *Modi eventus morbi sunt solutio & commutatio.*

Solvi morbus dicitur, cum ille integrè finitur. *Id* verò fit *vel* subitò, *vel* lentè.

Quæ lentè fit morbi conversio ad salutem, *solutio* simpliciter dicitur; *quæ* ad mortem, *marasmus*. Utrumque *fit* in morbis, qui quadraginta dies excurrunt. *Solutio morbi. lenta.*

Solutio fit *vel* manifestè, *vel* obscurè.

Subita morbi solutio, propriè *Crisis* appellatur; quæ est subita & repentina morbi terminatio, cum magna corporis perturbatione, ab humorum aliò ruentium vehementi motu ortâ. *Subita sive Crisis.*

Hanc ex certamine naturæ cum morbo excitari volunt. Verùm ea revera ab humorum rarefactione & effervescentia, eorumque situ; item à partium vellicatione & irritatione, spirituumque affluxu inde orto, originem ducit. *Hinc enim* vehementer illi in corpore agitantur & propelluntur, & per varias partes aliquando foras exturbantur. *Unde hæc fiat.*

Crisis est *vel* perfecta, *vel* imperfecta.

Perfecta est, qua æger à morbo perfectè liberatur. *Imperfecta*, qua imperfectè. *Crisis perfecta, & imperfecta.*

Perfecta est *vel* salutaris, *vel* lethalis.

Imperfecta crisis *vel* est ad melius, *vel* ad deterius.

Crisis fit *vel* per excretionem, *vel* translationem seu abscessum.

Crisis per excretionem fit, *vel* per vomitum, *vel* dejectionem *Crisis per*

excretionem. nem alvi, *vel* urinam, *vel* ſudores, *vel* hæmorrhagiam narium, *vel* menſes, *vel* hæmorrhoides.

Per abſceſſum. *Criſis per abſceſſum* fit in partes internas *vel* externas. *Eſtque* vel *bona*, vel *mala*.

Bona. *Bona* eſt, ubi ad partes ignobiles & remotas transfertur materia.

Mala. *Mala*, ubi ad internas, minus remotas, nobiles.

Unde illa fiant. *Pendent hæ* criſis differentiæ *à naturæ robore* majore vel minore; quod in temperie potiſſimum conſiſtit; *& à varia* materiæ expellendæ conditione.

Dies critici. *Dies*, quibus ſubita hujuſmodi converſio fit, dicuntur *Critici*: quorum *alii* critici ſenecdochice, *alii* intercidentes, *alii* vacui nuncupantur.

Optimi. *Critici ſynecdochice* appellantur, in quibus criſes frequentiores & meliores fiunt; *qui* fere omnes ſeptenario circuitu definiuntur; & ſunt. 7.14.20.27.34,40.

Indicantes. *Sunt* etiam certi dies, qui criſin his diebus futuram indicant; qui propterea *indicantes* & contemplabiles dicuntur: & *ſunt* cujuſque ſeptenarii medii ſeu quaternarii, ut 4.11.17.24.

Intercalares. *Intercidentes* ſeu intercalares, ab aliis provocatorii dicti, *ſunt* in quibus, vel ob vehementiam paroxyſmi, vel ob cauſam externam, natura irritatur ad intempeſtivam expulſionem præſtandam: *tales* ſunt. 3.5.9.13.19.

Vacui. *Dies vacui* ſunt, quibus rariſſima & imperfecta ac mala criſis plerumque contingit: iique ſunt 6.8.10.12.16.18. quibus nonnulli addunt 22.23.25.29.30.32. 33. 35.38.39. Hi *Medicinales* appellantur, quod in iis medicamenta exhiberi poſſint.

Quomodo morbi lente, vel abſceſſu finiantur; *Poſt diem quadrageſimum* morbi lentâ coctione, vel abſceſſibus potius, quam criſibus, finiuntur.

Fiunt autem omnes hi *dies critici*, ſicut *anni climacterici*, à proprietate humorum, & peculiari diſpoſitione humani

ni corporis, ac viribus diversis ægri: *quibus* plerique addunt lunæ varios ad solem aspectus; *imò* totum cœlum his addi potest, cum illud magnam in omnia corpora habeat efficaciam.

Causa dierum criticorum. & annorum climactericorum.

Raræ fiunt crises in his regionibus: *tum* ob aëris nostri frigus, *tum* quia Medici nostrates, benignioribus purgantibus instructi, per *epicrasin* materiam morbificam feliciter expurgant, & *ita* causam futuræ criseos tollunt.

Cur in nostris regionibus raræ fiant crises.

Quomodo autem *morbus sit finiendus*, subitò an paulatim, *motus* ipsius morbi præcipuè docet; *cui* adjunguntur quæcunque morbum vel accelerant vel retardant, ut temperamentum, ætas, regio, &c. Si enim fuerit morbus vehemens, vires robustæ, ætas juvenilis, causæ morbi calidæ; morbus subitò finietur: sin morbus sit imbecillis, vires languidæ, ætas senilis, causæ frigidæ, regio frigida; morbus paulatim solvetur.

Quomodo prænosci possit, subitò, an paulatim morbus sit finiendus.

Prædictio crisis in tribus consistit: 1. *An* bona, vel mala. 2. *An* per excretionem, aut abscessum. 3. *Et quo* tempore ea sit futura.

Prædictio crisis, in quibus consistat.

Crisis bona prænoscitur: 1. si signa coctionis præcesserint, sequaturque sensibilis evacuatio. 2. Indicata sit die indice. 3. Si fiat die judicatorio. 4. Si excretio sit conveniens morbo & ætati. 5. Si fiat cum levamine à symptomatis, ut ex. gr. liberatione a febri, cum faciei meliore colore.

Signa bonæ crisis, futura.

Mala crisis prænoscitur ex contrariis signis.

Signa malæ criseos.

An vero *crisis*, per materiæ morbificæ *excretionem*, vel *abscessum* seu translationem sit futura, docent morbi species, motus, tempus anni, natura ægri, & ætas.

Quomodo prænoscatur, an per excretionem an verò per abscessum sit futura crisis;

Nam si morbus sit valde acutus, ex tenui & acri materia, & natura sit fortis, pulsus vehemens, viæ apertæ, & natura sudori vel alii evacuationi assueta, sit tempus æstivum, per excretionem fiet crisis.

Contra si morbus sit minus acutus, materia crassior, virtus

tus debilior; præsertim si longo tempore urinæ fuerint tenues & crudæ, partium externarum debilitas: per abscessum futuram crisin indicio est.

Et per quem locum sit futura excretio.

Per quem autem *locum* sit futura excretio, id docet humoris inclinatio, & sensus molestiæ circa eas partes, ad quas humor expellendus movetur.

Signa futuri vomitus.

Excretionem *per vomitum* futuram prænunciant vertigo, pulsus durus, dolor capitis, morsus ventriculi, rigor, labri inferioris tremor, hypochondrii frigiditas, cordis palpitatio, sputum aquosum sponte effluens.

Sudoris.

Sudorem futurum præcedunt rigor, pulsus mollis & madidus, anxietudo, suppressio urinæ & alvi; carnes calidæ, rubræ, vaporosæ, & madidæ.

Alvi dejectionis.

Excretionem per alvi dejectionem futuram indicant, absentia signorum aliarum excretionum, rugitus & tormina intestinorum, aliaque alvi turbatio.

Urinæ excretionis.

Si vero *per urinam* sit futura excretio, illam significant absentia reliquorum, murmur in hypochondrio, lumborum gravitas, consuetudo corporis per urinam evacuandi, copia urinarum paulatim increscens, potumque excedens, ac tincta, & humoribus peccantibus mista.

Hæmorrhagiæ.

Hæmorrhagiæ è naribus futuræ prænuncia sunt, hebetudo oculorum; dolor colli, temporum, & frontis pulsatilis; rubor faciei, spectrorum rubrorum visio, difficultas respirandi, tensa hypochondria, ætas & regio sanguinea.

Menstruorum.

Per menstrua futura patet ex gravitate lumborum, eorumque calore, & dolore ad pubem, crura, & spinam.

Hæmorrhoidum.

Hæmorrhoidum præsagia sunt consuetudo earum in sanitate, gravitas & dolor circa podicem.

Si *per plura loca* excretiones criticę futuræ sunt, plurium excretionum signa animadvertuntur.

Signa abscessus futuri.

Abscessum futurum indicant, urina tenuis cum bonis signis; virtus non ita fortis cum calidis humoribus; virtus robusta

robusta cum frigidis humoribus; denique morbi longitudo cum bonis signis.

Locum abscessus ad superiora futurum indicant dolor, calor, & tumor superiorum partium; ut apparet in parotidibus: *ad inferiora* vero futurum abscessum demonstrat calor, tumor, & dolor, partes inferiores occupantes; ut sit in bubone inguinis. *Ad superiora.* *Ad inferiora.*

Abscessum, per variolarum & morbillorum eruptionem fore, præsagiunt dolor capitis, oculorum, gutturis, cum temporum & frontis pulsatione, narium pruritus, sternutatio, terror in somno, paroxysmi quasi epileptici, motus convulsivi, deliria, dorsi tensio & pulsatio, gravitas universi corporis, ardor & pruritus in corpore, spirandi difficultas, tussis sicca, oscitatio, pandiculatio, cordis palpitatio, pedum tremor; pulsus pleni, molles, undosi, crebri, inæquales, & interdum interrupti: urinæ sæpe sanorum similes, aliquando turbidæ; sanguinis è naribus stillæ, aut fluxus largior, lachrimæ, vomitus, faciei & oculorum rubor, vox rauca, os siccum, cutis aspera & inæqualis. *Per variolas & morbillos.*

Hæc autem signa *non singula*; *sed multa simul* sunt considerandа.

Quando sit crisis futura, etiam à medico est cognoscendum, ut rerum suarum rationem rectè possit inire. *Signa temporis criseos futuræ;*

Pendet autem *illa præcognitio* è status morbi prænotione, ac præcipuè ex signis coctionis & cruditatis. Quæ quo citius vel tardius apparent, eo citius vel serius crisis est exspectanda. *Deinde* his signis conjungenda est morbi idea, magnitudo, motus & mos, item ægri natura, vires, ętas, tempus anni; prout enim hæc majorem vel minorem caloris fervorem & humorum ebullitionem indicant, etiam crisis vel citius, vel tardius continget.

Jam vero *instare diem crisis* monstrant variæ corporis perturbationes, ut capitis dolor ingens, jactatio & anxie- *Secundum diem;*

tudo incredibilis, ſitis inexplebilis, difficultas reſpirandi, pulſus inæqualis, & alia gravia ſymptomata, pro ratione partis per quam materia eſt expellenda. Quæ ſi nocte fiant, ſequente die; ſin interdiu, ſequente nocte criſis eſt futura.

Et horam.

Horam criſis præſagire licet, ſi diem futuræ criſeos cognitum habemus: tum enim videndum, quâ diei horâ paroxyſmus advenire ſoleat; &, quod tempus paroxyſmi ægro gravius eſt futurum, id criſi eſt attribuendum.

Commutatio morbi.

Per commutationem autem terminantur morbi, qui, debitum ſolutionis tempus tranſgreſſi, in alium commutantur: ut contingit in *pleuritide*, poſt 14. dies in empyema; & in *apoplexiâ*, poſt aliquot dierum lapſum, in paralyſin abeunte.

MEDI-

MEDICINÆ

LIBER TERTIUS.

De Conservandâ Sanitate.

CAPUT I.

De Hygieinâ in genere

HACTENUS versati sumus in *Cognitione* valetudinis; eâ itaque absolutâ progrediamur ad *Curationem*: quæ est secunda pars Medicinæ, quæ agit de valetudine curanda. *Curatio.*

Hujus *partes duæ* sunt: Hygieina, & Therapeutica. *Ejus species. Hygieina.*

Hygieina est curatio, quæ bonâ diætâ sanitatem tuetur. *Bona diæta.*

Bona diæta est ratio salubriter utendi rebus, ad vitam necessariis. *Res ad vitam necessariæ; sive non naturales.*

Hæ sunt aër; cibus, potus; somnus, vigilia; motus, quies; excreta, retenta; & animi pathemata: quę vulgo *res non naturales* appellari solent, quia naturam nostram non quidem constituunt; sed, si rectè usurpentur, conservant; &, si malè iis utamur, eam destruunt. *Ad has pertinent vestis, lectus, domus.*

Ad has referri possunt, vestis, domus, lectus. *Hæc enim* aëris injurias à corpore nostro avertunt, excretionem insensibilem, & alimentorum feliciorem coctionem & distributionem, promovent. *Salubris earum usus.*

Salubris earum usus est, cum illæ conveniente qualitate, quantitate, tempore, & modo usurpantur. *Communissima Hygieinæ lex prima.*

Communissima Hygieinæ lex est, mediocritatem semper tutissimam esse. Omne enim nimium est naturæ inimicum. *Mediocritas quomodo sit varia.*

Mediocritas autem, pro varietate corporum subjectorum,

rum, est varia: alia enim mediocritas requiritur in homine robusto, & multis alimentis assueto; alia in imbecilli, & paucis cibis uti solito.

Lex secunda. *Deinde* danda opera, ut corporis naturalis constitutio, in temperie & partium conformatione per ea conservetur, quæ ad hoc apta sunt: similia scil., si corpus optimè sit constitutum; vel paulum & paulatim contraria, si ab optimo deflectat. Vitentur illa, quæ illam possunt destruere.

Lex tertia. *A consuetis* quoque haud facile recedendum: cum *consuetudo* sit altera natura; ex frequenti sc. usu rerum orta.

CAPUT II.

De Diateretica generantium, gravidarum, puerorum, & adolescentum.

Diatetetica. HYgieina est *vel* Diateretica, *vel* Prophylactica.

Diaterica est, quâ sanitas firma conservatur, *Ea* varia est, *primò* ratione ætatis ineundæ, vel initæ: *& deinde* ratione sanitatis accuratæ, vel deflectentis.

Ineunda ætatis, sive generantium. *Diateretica ineundæ ætatis*, sive generantium, est futuræ sanitatis fundamentum: *quod* in bene temperato semine parentum; & recta ejus conceptione; *& deinde* in bona uteri gestatione; *ac* recto partu consistit.

Gravidarum regimen. *Ubi utero concepit mater*, omnia caveat, quæ fœtui aliquid detrimenti possunt adferre; & curet, ut eum conservet, & salvum retineat; fugiat scil. aërem fœtidum, & candelarum recens extinctarum, ac sulphuris, castorei, similiumque fœtores; uti & odores rerum nimis fragrantium; cibos etiam mali succi & acres; item urinam copiosè cientia; nauseam moventia; sternutationes excitantia; atque etiam copiosa aromata. Pravi cibi, quos appetunt gravidæ, iis nõ omnino sunt denegandi: quia in ventriculo habent succum

Cur pravi cibi appetiti gravidis sæpe concedendi.

cum fermentaceum & appetitum facientem, qui tales cibos poteſt concoquere.

Quid faciendum, cum gravida res appetitas adipiſci nequit.

Quod *ſi fœmina prægnans* cibi, quem appetit, particeps fieri non poſſit, ad vitandum incommodum, ipſi exhiberi ſolet mel vel ſaccharum cum nuce moſchatâ: vel aqua extracta è corticibus citri, aurantiorum, aut radice pæoniæ, in vino malvatico maceratis, vel aliud fragrans & ſpirituoſum: quibus fœtus corroboratur, & imaginatio matris ad alias cogitationes avertitur.

Vel res horrendas conſpicit.

Quodſi gravidæ horrenda aliqua imago offeratur, mox ad res pulchras, ſeipſam in ſpeculo, vel aliud formoſum oculis intuendo, imaginationem ſuam transferat.

Quid in laboribus & affectibus.

Graviores labores & animi affectus gravidis imprimis ſunt noxii; *uti* etiam nimium otium.

Quid in purgatione & venæ ſectione.

Venæſectio ante quintum menſem prohiberi ſolet. In plethoricis verò ante quintum menſem eam ſecare licet: præſertim cum quædam, niſi ante hoc tempus ſanguis ipſis mittatur, abortiant. *Prægnantes purgabis* (ſecundum Hip. 5. Aph. 29.) ſi materia turgeat, quadrimeſtres, & uſque ad ſeptimum menſem, ſed has parcius. Utendum verò medicamentis levioribus.

Quid in ipſa parturitione.

Ubi ipſum *pariendi tempus inſtat*, ac jam parturit fœmina, operam dabit, ut *apto* corporis ſitu, *tempeſtivo* nixu, & peritæ *obſtetricis*, aliarumque adſtantium fœminarum, & interdum *etiam medici* adjumento, fœtum ſuum, citra ullam, quantum fieri poteſt, læſionem, unà cum ſecundis in lucem proferat.

Regimen puerorum.

Initæ ætatis diatetica verſatur *primò* circa infantes.

Edito itaque in lucem infante, *umbilicus*, lino ligatus, quatuor digitos ab ejus ventre eſt præcidendus; *corpus* bene purgandum; & recte faſciandum; ac *antequam* mammis ipſis adhibeatur, aliquid puri mellis vel ſacchari cum oleo amigdalarum dulcium, ad fæces per alvum educendas, eſt ex-

exhibendum: *deinde* lacte, & quidem materno, ubi pravum coloſtrum ex uberibus eſt eductum, alatur infans; quia hoc cum ipſo maximam convenientiam habet, utpote ex eodem ſanguine genitum, ex quo antea fœtus in utero factus & nutritus eſt: *niſi* forſan morbus matris, vel mali mores hoc prohibeant. *Illi enim* plerumque ex malo temperamento oriuntur: quia fere ſemper inclinationes naturales ſequi ſolemus.

Alatur autem infans lacte ferè ad annum, ſeſquiannum, vel biennium; *interim* tamen aliis cibis eupeptis ſenſim eſt aſſuefaciendus, & à ſordibus & excrementis recte mundandus, à vehementiori etiam ploratu & ira, quantum fieri poteſt, arcendus: *cunis* vel ulnis debite movendus; & creſcente judicio, minis & plagis etiam eſt coërcendus, ut parêre diſcat, nec affectibus ſuis nimium indulgeat. *Neque* ad intempeſtivum greſſum eſt ſollicitandus.

Poſtea paulatim ſolidioribus cibis aſſueſcat: primo tamẽ ſeptennio victus ſit humidior, & vinum fugiatur. *Creſcente* magis corpore, & animus & corpus ſunt magis exercenda: exercitiis tamen moderatis, ne vel membrum aliquod diſtorqueatur, vel corpus motu nimio exſiccetur, augmentumque prohibeatur: ſenſimque aliquid de ſomno eſt demendum.

Secundo ſeptennio cibi ſolidiores ſunt præbendi, qui tamen non nimis exſiccent; exercitatio etiam ſit paulo minor, quam vires poſſunt tolerare.

Pueris etiam multum cibi, ſed partitis vicibus ac ſæpè, in die eſt dandum.

Regimen adoleſcentum.

Tertio ſeptennio victus ratio, cuique vitæ generi conveniens, eſt inchoanda.

Aer autem eligatur purus, tenuis temperatus, patens, ac liber, nullis inquinamentis obſitus, nulla putredine affectus, nullo vapore vel odore malo vel corruptelâ perfuſus,

sus, quique levibus ac suaviter spirantibus ventis modicè agitatus, valde serenus, spiritus nostros reficere valet.

Qui *laboriosæ vitæ* se dedunt, hoc septennio pleniori victu uti debent, atque illis cibis, qui in parva quantitate magnam alendi vim habent: corpusque majoribus laboribus ipsis est firmandum.

Qui verò ad literas animum applicant, hac ætate spiritus animales maxime debent curare: atque eniti, ut copiosi generentur; utentes sc. victu tenuiori, cibisque non crassis, & qui puro ac laudato sanguini materiam præbent; & operam dantes, ut omnia excrementa justo tempore evacuentur; nec intempestivis studiis cruditates cumulentur, corpusque debilitetur.

Veneris usum ad hunc ætatis terminum non concedunt Medici; & post illum, non nisi pro corporis constitutione moderatum.

CAPUT III.

De Diateretica Juvenum, & Virorum.

Regimen mediæ ætatis;

ÆTas *à primo & vigesimo*, ad annum quinquagesimum, pro *media* habetur, atque ejus fere *una* est diæta.

In Cibo.

Et *cibum*, in ea ætate, quod attinet; in eo attendenda qualitas, quantitas, tempus sumendi, ordo & similes circumstantiæ.

Secundum qualitatem, cibi eligendi maxime temperati; inter quos primum locum obtinet panis bene fermentatus, ex syncero frumento factus, recte in furno coctus; item carnes animalium, & ea quæ ab animalibus sumuntur; & semper eligendi sunt cibi boni succi; vitandi vero contrarii. Dandum tamen, secundum Hip. 2. Aph. 50. aliquid consuetudini, & variæ corporis constitutioni; &,

ſecundum Celſum, homo ſanus, & qui bene valet, omnibus aſſuefiet; nullum cibi genus, quo populus utitur, fugiet; cibis replebitur aliquando, parcius alio tempore vivet: laboribus fatigabitur, otio torpebit per vices: nunc erit domi: nunc curru, nunc vehetur navigio: ita enim putat ipſum tutiorem fore, & nullius rei nimis uſitatæ faſtidio captum iri. Verùm hoc iis præcipuè eſt obſervandum, qui vitam variam neceſſariò agunt.

Varietas ciborum delectat: cavendum tamen, ne cibi diverſæ ſubſtantiæ, diverſarumque facultatum, ut craſſi, tenues, facilis & difficilis coctionis, ſimul ingerantur: cum ex varietate tali, ciborum corruptio facile ſequi credatur. Sed qui ſimilitudinem aliquam inter ſe habent, ita ut ad eorum coctionem idem pene requiratur calor. Sed, ſecundum quoſdam, varietas illa parum obeſt, ubi cibi iſti juſtâ quantitate ſumuntur: Nam quamvis ſint varii, alii tamen citius etiam ingrediuntur vaſa gaſtrica, lactea, & meſaraica; qui vero ſunt difficilioris coctionis, diutius etiam in ventriculo hærent. Neque enim verum eſt, quod ajunt, quod omnes cibi tam diu in ventriculo hæreant, donec omnes ſimul cocti fuerint; quod excitâ per cibos refocillatione ſatis liquet.

Ciborum quantitas eſt ſumenda, quæ vires inſtaurare, & ventriculum non gravare poteſt: *quæ* tamen non ex pondere & numero eſt metienda; *ſed* ex alimenti natura, & corporis conſtitutione, ac vitæ genere, & denique ex anni tempore, & aëris temperie.

Nam cibi coctu difficiles, majori copiâ ingeſti, plus nocent, quam cibi facilioris coctionis; & deinde ſuaviores cibi facilius ſuperantur, quam inſuaves: & ventriculus alius plus appetit, alius plus coquit. *Tutiſſimum* tamen eſt Hippocratis conſilium, dicentis, quod ſanitatis ſtudium ſit, non ſati ai cibo, impigrum eſſe ad laborem: & rectè

Avi-

Avicenna monet, cum reliquiis famis à mensa esse surgendum: quæ tamen paulo post facile per se sedentur.

Qui *in otio* degunt, minus concoquunt, atque idcirco paucioribus uti debent cibis; pluribus, *qui labore* exercentur.

Hyeme plus edendum; bibendum autem parcius: contrarium fiat *æstate*.

Si quis more pravo vel ciborum oblectamentis hic peccaverit, is inediâ, vel victu parciore, somno, quiete, vomitu, id corrigat; atque ideo non inutile est semel in septimana cœnam omittere, vel parcissimam sumere.

Saluberrimum est, ut homo mediæ ætatis, benè temperatus, & qui sui juris est, bis in die cibum sumat, modo ventriculum nimio cibo non gravet.

Tempus autem quod prandium & cœnam intercedit, sit brevius illo, quod est inter cœnam & prandium.

Si quis parcius & frugalius prandeat, sicut antiqui solebant, cœna sit liberalior: *si vero* nostros mores & consuetudinem sequamur, liberalius prandebimus. Et quoniam cibum liberaliorem brevi isto tempore, quod est inter prandium nostrum & cœnam, satis exactè concoquere & distribuere non possumus: hinc cum liberalius sumus pransi, omnino parcius cœnandum; alias enim inquietam noctem haberemus; & manè cruditatibus vexaremur.

Quia verò post prandium corpus magis exercetur, quam post cœnam; ideo post hanc alimenta non ita feliciter, quam post illud coquuntur & distribuuntur; ideoque cœnæ nostræ parciores, magis, quam antiquorum liberaliores, laudandæ videntur.

Sumenda autem sunt illa *primo loco*, quæ alvum emolliunt, & lubricam reddunt, quæque facilè concoquuntur & descendunt è ventriculo, ac facile corrumpuntur. His *subjungenda* sunt alvum sistentia, & quæ minus facilè coquuntur,

tur, & tardius descendunt, ac meliorem habent succum.

Potu. *Potus* sit cerevisia benè defæcata, ex bono frumento, hordeo, & similibus cocta, & bene fermentata: *Item* vinum, quod varium est, & idcirco ratione temperamenti, aliarumque circumstantiarum corporis, diversimode est sumendum.

Moderatus vero sit horum, aliorumque his cognatorum potuum, usus: is enim corpus humectat, fovet & roborat, coctionem distributionemque ciborum juvat, urinam movet, corpusque calefacit, adversus senile frigus & siccitatem est remedium, somnum conciliat, bilis acrimoniam temperat, mentem exhilarat, placidosque mores efficit: immoderatus verò calorem nativum obruit, crudos & pravos humores cumulat, quo etiam mentis operationes perturbantur.

Commodissimè bibitur inter edendum: hoc enim ad coctionem & distributionem cibi plurimum facit. Jejuno ventriculo si sumitur potus, caput & nervos tentat; post cibum sumptus coctionem turbat. Si tamen cibus non facilè descendat, aliquid bibere post sumptum cibum utile est. Medici etiam jubent potum vitare tempore somni. Imprimis verò post exercitia vel balnea subitus frigidus potus est vitandus: quia ille tum nimis refrigerat penetralia corporis, ex istorum calore tum valde aperta; unde tum ex copiosiore frigidorum ingressu maxima mala in iis oriri solent.

Præstat potum partiri, quam simul atque affatim haurire; ne fluctuationes in ventriculo oriantur.

Animi affectibus. *Animi affectus* vehementiores sunt fugiendi, & moderatæ lætitiæ opera danda.

Motu. *Motus corporis* sanitati conservandæ multum etiam conducit: cum calorem nativum excitet, alimentum attenuet, & distribuat, ac excrementa expellat.

Sa-

Sanis omnibus conveniunt deambulatio, frictio, & similes exercitationes moderatæ.

Gracilioribus corporibus moderatior: robustioribus validior motus est convenientior. Consuetudinis tamen hic maximè est habenda ratio, juxtà illud Hippocratis 2. Aph. 49. *Quotidianis laboribus assueti*, etsi sint invalidi & senes, insuetis, quamvis robustis & juvenibus, facilius assueta ferunt exercitia. Quia frequenti illo labore musculi, qui isti operi inserviunt, duriores evaserunt, & quodammodo occalluerunt, quo ex tensione, inter laborandum necessaria, nullus in assuetis fit dolor, nec spiritus immissi ita facile dissipantur, ut fit in illis, qui isti labori non sunt assueti.

Æstate brevior & levior sit exercitatio: *hyeme* vero major & diuturnior.

Eo usque corpus exerceatur, donec color floridus appareat, corpus aliquo modo intumescat, & sudor emanare incipiat.

Motus corporis instituendus, ubi in ventriculo & hepate coctio est absoluta: atque ideo exercitiis commodissimum tempus est matutinum; excretis tamen prius alvi & vesicæ excrementis.

Exercitatio sub sole corpus plurimum calefacit, humoresque fundit; atque ideo iis, quibus est caput debile aut plenum, magnopere est noxia. Exercitatio verò, quæ in umbra fit, est tutior.

Quies non minus, quam motus, ad sanitatem conservandam est necessaria; hęc enim lassitudinis est remedium, & vires lapsas restaurat; ideoque alternis vicibus motus & quies se mutuo excipiant. *Quiete.*

Somno & vigiliis, cum sint modi quidam motus & quietis, etiam tribuendum est suum tempus; quod isti aptissimum est nocturnum. *Somno.*

Mox autem *à cibo* non est dormiendum; sed unâ atque alterâ horâ post cœnam: alias caput multis vaporibus crudis repletur.

Diurnus somnus, ob eandem causam, dicitur esse noxius. Si quis tamen lassitudinem contraxerit, aut noctem insomnem & inquietam duxerit, de die aliquamdiu somno indulgere licet, præcipuè senibus, qui raro totas noctes dormiunt.

Dormiendum autem, *donec* cibus in ventriculo & hepate sit concoctus, spirituque absumpti sint reparati: quod spatium in omnibus non est æquale, ob diversam corporis temperiem, & vitæ diversitatem. Brevius, quam sex horarum, vix sufficit; ultra autem novem horas somnus vix extendendus: plerumque septem horæ sufficiunt.

Dormiendum cruribus & brachiis modice curvatis, capite nonnihil elevato, super alterutrum latus; cum supinus & pronus decubitus, nimiâ vasorum pressione, noceat. Et primo decumbendum in latere dextro, deinde sinistro; ut coctio ventriculi ab hepate adjuvetur, nec ab illo nimis prematur: non sub dio vel radiis lunæ, sed fenestris clausis; in cubiculo non fœtente, lecto molli, & ad aëris frigiditatem & nimium calorem arcendum accommodo. Caput nimiis tegumentis in somno non est involvendum: ne nimis copiosæ & crassæ partes ex vasis in cerebrum à nimio calore exhalent, & postea condensatæ catarrhos gignant.

Vigilia. *Vigiliæ* post somnum sint moderatæ: nimiq enim corpus exsiccant, cruditates pariunt, sensus obtundunt, aliasque actiones lædunt.

Excretis. *Excrementa*, in corpore genita, sunt excernenda; ne noxam inferant.

Ad excretiones referuntur *balneæ*, quæ apud quasdam nationes usurpantur. Hæ ad sanitatem tuendam etiam mul-

multum faciunt, si recte instituantur; cibo scilicet cocto, & distributo, & si ante fatigationem relinquantur.

A balneo neque est bibendum, nec edendum, præsertim quod frigidum est, antequam caliditas balnei exspiraverit. Ne frigida vel cruda alimenta, per poros, à balnei calore nimis patentes, ad lienem & hepar delata, illis noceant.

Ad balnea possunt referri *lotiones capitis*, quæ poros cutis aperiunt, & vapores discutiunt.

Hæ in catarrhis & doloribus capitis non sunt adhibendæ, nisi corpore optime purgato: nam lotionibus plures vapores & humores in cerebrum affluunt, propter earum calorem: & deinde facile fit, ut per poros his apertos frigidus aër facilius caput ingrediatur, ibique humores mox defluxuros condenset.

Fiant autem mane, vel horâ unâ ante cœnam. A lotione caput linteis tepidis exsiccetur; ne capillorum humiditate refrigerati pori claudantur, & deinde noxa oriatur.

Lotio pedum non tantum ad sordes abluendas valet: sed etiam ad humores à capite, & reliquis corporis partibus, avertendos & evacuandos.

Danda autem opera, ut mox à somno *fæces alvi* ejiciantur: quod ut commodius fiat, mane sella adeunda, etiamsi nullus excernendi sit stimulus, ut spiritus ad intestina, evacuationis faciendæ gratiâ, affluere assuescant. Si alvus non respondeat, mollienda est uvis passis, jure galli, decocto borraginis, malvæ, brancæ ursinæ, prunis sex aut septem in jure fol. sennæ decoctis, primâ mensâ vel paulo ante cibum sumptis.

Tertiæ coctionis dictæ *excrementa* quotidiano exercitio ex habitu corporis expellenda: caput pectendum; os aquâ abluendum; aures, palatum expurgandum; oculi faciesque tota frigidâ aquâ abluenda; corpusque, imprimis brachia

chia & crura fricanda: & si quid, quod facile fieri potest, in horum usu peccetur, postero die hoc contrario suo emendetur.

CAPUT VI.

De Diateretica Senum.

Regimen senum. HYgieina, curans sanitatem senilem, *Geronomica* vocatur. Secundum hanc siccitas & frigiditas corporis præcavenda est, & calor nativus confirmandus: atque ideo aër huic ætati convenit calidior & humidior: qui nisi sit per se talis, arte est conciliandus, idque præcipuè autumno & hyeme, quæ maxime infesta est senibus.

Alimentum sit etiam calidum & humidum: quod est boni succi, & facile concoquitur, his contraria senibus sunt vitanda.

De quantitate etiam alimentorum indies est aliquid detrahendum; seneſque potius partitis vicibus, quam confertim sunt nutriendi; ter scil. in die; jentaculo, prandio, & cœnâ.

Potus ipsis convenientissimus est vinum generosum, medium ætate: quod moderata quantitate sumendum. Vina crassa, quæ obstructiones pariunt, aut vim adstringendi habent, aut urinas intercipiunt, his non conveniunt. Utile etiam est ipsis hydromel bene defæcatum.

Somnus conducit senibus longior; &, si vigiliæ sint molestæ, somnus concilietur amigdalis dulcibus, lactucâ coctâ cum saccharo, in ultimâ mensâ sumptâ, lotione pedum somniferâ.

Animi pathemata fugiant vehementiora, & honestis oblectamentis animum & corpus recreënt.

Curandum etiam est *senibus*, ut excrementa recte excernantur; itaque si alvus sit adstricta, cibis emollientibus, vel

vel melle rosaceo solutivo, vel prunis aut passulis laxativis ea laxanda. Vehementiora vero & magis medicamentosa senibus non sunt danda.

CAPUT V.

De Diateretica sanitatis accuratæ, & deflectentis.

ATque hæc de *Diateretica ætatum*; sequitur *sanitatis accuratæ, & deflectentis.*

Accurate sani conservent sanitatem diætâ accurate moderatâ & temperatâ. *Diæta accuratè sanorum, Deflectentium.*

Calida vero *corpora* vitent aërem & cibum calidum; potus sit copiosus; cerevisia potius, quam vinum; exercitium sit moderatum; fugiant iram, meditationes nimias, longas vigilias.

Calida & sicca vitent usum siccantium; ut aëris constitutiones calidas & siccas, item exercitia vehementiora.

Si *humiditas calori conjungatur*, illa quidem constitutio corporis est conservanda: quia naturæ est convenientior, & lapsu temporis sponte corrigitur: cavendum tamen, ne quid amplius caloris & humoris accedat, & putredo excitetur; ideoque aër nimis calidus & humidus hîc est vitandus: cibi exhibeantur, qui vim attenuandi habent, & bene concoquantur.

Exercitiis excrementa ita discutiàntur, ut tamen partes solidæ non siccentur. Excrementa alvi & vesicæ libere excernantur; reliqua omnia sint moderata.

Frigido temperamento præditi cibis nutriantur calidis; in aëre degant calido; Venus hic convenit rara; exercitiis utantur, quæ calorem excitare possunt.

Corpus si frigidum & humidum fuerit, frigiditas erit emendanda, & humiditas conservanda exercitio moderato excrementis tempestivè evacuandis, aliisque rebus diæteticis.

Constitutio frigida & sicca calefacienda & humectanda cibis calidis & humidis; exercitia sint moderata, calorem tantum excitantia; somnus longior; balnea aquæ dulcis frequentia; vestimenta calefacientia & villosa; Venus nulla.

Quibus *textura corporis est rara*, iis convenit exercitatio, hilaritas, & Venus moderata: nutrimentum coctu facile, ac lentoris expers: vestimenta satis crassa, & ex panno denso vel pellibus confecta.

Quibus *corpus est densum*, exercitatio sit major; & alimentum substantiæ tenuioris, quam in corpore raro.

CAPUT VI.

De Prophylactica Sanitatis vacillantis.

Prophylactica. PRophylactica jam sequitur; quâ sanitas vacillans à morbis præservatur. Estque *vacillantis decidentiæ*, vel *convalescentiæ*.

Decidentium. *Vacillantes decidentiæ* quod attinet, iis à plethora & cacochymia potissimum morbi imminent: utraque ergo tollenda; intemperies tamen, si qua adsit, non est negligenda. Quod si proclivitas in morbos sit minor, quiete & abstinentiâ hoc poterit præstari; sin vero sit major, venæ sectio & purgatio erunt adhibendæ, est enim hæc Prophylactica in confinio curationis Therapeuticæ posita. Vernum autem tempus ad hanc est commodissimum: commodum tamen est humorem melancholicum seu atrum sub autumno evacuare.

Aloës usus, ex multorum sententia, ad sanitatis conservationem morborumque præcautionem plurimum hic etiam facit, cujus pilula una vel altera magnitudine avellanæ semihorâ ante pastum sæpè exhibetur; cum excrementa alvi leniter educat, ac putredini corruptionique resi-

resistat. Moderatus tamen ejus sit usus, præsertim iis, qui hæmorrhoidibus sunt obnoxii.

In vacillantium convalescentiæ Curatione laborandum primo, ne rursus in morbos incidant: & deinde, ut cito pristinæ sanitati restituantur. Itaque cacochymiæ reliquiæ, in ipsis superstites, sensim sunt tollendæ, & partes principes roborandæ. Sin nullæ supersint, corpus diligenter est reficiendum alimentis humidis, eupeptis, boni succi, quales sunt vitella ovorum, jusculacum pane, pulli gallinacei, pisces saxatiles, caro hædina, vitulina, vervecina. Concoctio juvanda somno; & ventriculus corroborandus inunctionibus & fomentis. Moderatæ sint deambulationes & frictiones; aliaque usurpentur, quæ imbecillitatem reliquam tollunt: & ea fugiantur, quæ intemperiem præcedentem revocare queunt. *Convalescentium.*

Atque hæc breviter de *Hygieina* dicta sunt.

MEDICINÆ

LIBER QUARTUS.

De Curandis Morbis.

CAPUT I.

De Remediis, & eorum Usu.

Therapeutica.

THERAPEUTICA est curatio, qua conveniente remedii usu morbus impugnatur.

Remedium.

Remedium est, quicquid contrariâ agendi vi morbum impugnare est aptum.

Id agit in morbum mediate, vel immediate.

Illud autem vel *immediatè*, quod vulgò *per se* appellant, morbum adoritur, ut cum ex. gr. remedium calidum adhibetur ad frigidam intemperiem curandam: vel illum *mediatè*, quod vulgò *per accidens* vocant, aggreditur, uti sit in curatione morbi, quæ per causæ, vel symptomatis gravioris ablationem, aut diætam, naturæ ad hostem superandum suppetias venientem, instituitur. *Atque* hinc jam intelligimus, quomodo morsus viperæ, per ejus adhibitum caput; & combustio manus, per admotum ignem, curetur: & ulcus, ab acribus ortum, per acria remedia sanetur. *Illa* enim causam proximam morbi tollunt; quâ ablatâ, morbus à naturâ corporis solâ, vel levioribus remediis adiutâ, postea facile tollitur.

Quomodo remedium sit variandum.

Cum autem *morbus* non tantum sui, suarum causarum, partis affectæ, ac symptomatum ratione; sed etiam ob res naturales, qualis est temperamentum, sexus, ætas; & non naturales, qualis aër, cibus, potus, sit varius: hinc, pro omnium istorum diversitate, remedia sunt varianda. Atque

que hinc aliud remedium puero & debili, aliud viro & robusto; aliud æstate, aliud hyeme; aliud in Batavia, aliud in Gallia, est adhibendum.

Vis contraria remedii consistit, *tum* in qualitate morbis quocunque modo contraria; *tum* in intensionis ejus paritate. Atque *ideo* calida intemperies per frigida, prava figura per bonam figurationem, & luxatio per contrariam collocationem est curanda. *Ideo* etiam magno morbo magnum, parvo parvum debetur remedium. *Vis contraria remedii.*

Usus autem *remedii conveniens*, est recta ejus adhibendi ratio. *Usus remedii.*

Hic in *aditus* commodi, justæ *doseos*, & *temporis* convenientis delectu consistit.

Aditus commodus est, qui in partem affectam est directus. *Aditus commodus.*

Hic *nisi à natura detur*, nec res aliter expediri queat, *arte paretur*; sive instrumento chirurgico, sive pharmaco.

Aditus si sit *longus*, medicamenti consistentia sit liquidior: atque, si opus est, adjunctum habeat vehiculum tenue, ut vinum, acetum, spiritum vini: *nisi* forsan ingratus medicamenti sapor, odor, vel aliud quid, impediat. Hoc apparet in aloë & castoreo; quæ pilulari formâ exhibentur, quamvis sæpè capiti vel utero medendo præscribantur: quod vulgo credunt fieri, ut pilulæ istæ fortius purgent, vel aliter vehementius agant; quod tamen, ut ex dictis patet, est falsum.

Aditus à natura *in cerebrum* directos habent ea, quæ per synciput, futuram coronalem, aures & nares, capiti sunt adhibita vel injecta.

In pulmones, *latera interna*, & *thoracem*, quæ per os spiritu sunt hausta, vel sensim lambendo & deglutiendo transmissa.

In ventriculum, jecur, lienem, quæ è regione sunt admota, & in ventrem sumpta.

In renes, quæ extrinsecus adhibita, per os assumpta, vel per sedem sunt immissa.

In intestina superna, quæ per os; *in inferna*, quæ per sedem immittuntur.

In vesicam & uterum, quæ è regione applicantur, assumuntur, vel inseruntur.

Justa dosis.

Dosis est, quantum ægrotus, vel pars ægrota, applicari sustinet. Eaque est *conferta*, vel *partita*.

Conferta dosis omnem ametriam, vel maximam ejus partem tollit. *Adhibeturque* affectui acuto, & viribus robustis.

Partita dosis partem tantum affectus tollit. Estque affectuum chronicorum, viriumque imbecillium.

Atque hîc in initio major dosis atque validior esto. Et prior dosis ubi partes suas egerit, altera est applicanda; eaque toties iteranda, donec totus affectus fuerit superatus.

Aptum tempus.

Apto etiam *tempore* adhiberi debent remedia. Quædam enim ante, quædam post alia: quædam in principio, quædam in augmento, quædam in statu, quædam in declinatione: alia mane, alia vesperi, alia quovis tempore conveniunt.

CAPUT II.

De Chirurgia.

REmedium est *chirurgia*, *diæta ægrorum*, & *pharmacum*. Eaque *vel* seorsum, *vel* simul adhibentur.

Chirurgia.

Chirurgia est remedium, quod in manûs, vel instrumenti chirurgici operâ, consistit.

Ejus præcipua instrumenta.

Inter *instrumenta chirurgica* præcipua sunt novacula, scalpellum, forfex, volsella, specillum, stylus, acus, filum, uncinus, canaliculus à latere etiam proforatus, habena, fasciæ,

fasciæ, panni, panniculi lintei, lintea concerpta, spongia, glossocomium, trepanum, serra, scamnum Hippocratis.

Chirurgia est quintuplex: separata conjungens; continua solvens; compressa & contorta corrigens; superflua exstirpans; & deficientia restituens. *Ejus species.*

Chirurgia separata conjungens est, qua partes, præter naturam sejunctæ, conjunguntur. *Separata conjungens.*

Huic, ut & plerisque aliis chirurgicis remediis, inservit *deligatio*; ad quam *pertinet* fasciatio, spleniorum injectio, ferularum adaptatio, laquei adhibitio, obligatæ partis recta collocatio.

Remedium chirurgicum, *quod partes disjunctas conjungit*, vel *ossa*, vel partes carnosas & *molles* inter se unit.

Conjungens ossa vel *fracta* coaptat, vel *luxata* reponit.

Conjunctio *ossium fractorum*, ut & *luxatorum*, *perficitur* extensione, repositione, deligatione, membri repositi confirmatione, ac collocatione.

Conjunctio partium mollium, præter naturam disjunctarum, fit *vel* sine ulla partium nova divisione, *vel* cum earum recenti solutione.

Conjunctio *mollium* partium *sine solutione* fit, cum intestina, & omentum, è vulneribus abdominis prolapsa; vel, peritonæo laxato vel rupto, in inguina, vel scrotum, vel umbilicum devoluta, reponuntur. Huc pertinent uterus & intestinum rectum, è loco suo prolapsa.

Huc etiam pertinet *partium vulneratarum conjunctio*: quæ perficitur, cum labia vulnerum disjuncta conjunguntur, & conjuncta servantur.

Idque *sine solutione continui* fit duobus modis: fasciatione & emplastro, vel futurâ cum glutine.

Quæ vero *cum solutione continui* fit partium vulneratarum conjunctio, futurâ & fibulis peragitur.

Chirurgia, quæ separat partes continuas & conjunctas, est duplex: *sectio*, & *ustio*. *Conjuncta separans.* *Sectio*

Sectio mollia secat, vel dura.

Sectio durarum partium, seu ossium, est rasio, limatio, terebratio, & serratio.

In partium mollium sectione occurrit venęsectio; tumoris per incisionem apertio; fistulæ incisio; vinculi sub lingua, auris, ani, pudendi muliebris, penis, aliarumque partium, quæ præter naturam, à primo ortu vel post illum, conjunctæ sunt, per sectionem separatio: item scarificatio, & vasorum in fronte vel temporibus apertio: ac varicum & aneurismatum exsectio: præterea παραχέντησις abdominis in ascite; punctio cutis capitis in hydrocephalo; ut & in cute scroti & crurum hrodropicorum; ad hæc laryngotomia; præterea suffusionis per puncturam ablatio: sicut etiam thoracis sectio in empyemate: tandem huc etiam referendum setaceum, cervici adhibitum.

Ustio & duris, & mollibus partibus est communis.

Ustio fit *vel* iis, quæ actu ignem igneamque qualitatem habent, quæ cauteria actualia; *vel* medicamentis causticis, quæ cauteria potentialia appellantur.

His cauteriis fonticuli & fontanellæ excitantur, aliaque multa paraguntur.

Ad hanc operationem referri potest & illa, qua *per cucurbitulas cum flamma* aliquid in corpore attrahi dicitur: sed revera ad partes exteriores propellitur.

Compressa & distorta corrigens.

Tertia operatio chirurgica, quæ ossa compressa vel distorta corrigit, pertinet ad cranium depressum: narium ossa fracta & collisa: detorta vel contracta membra, ut brachia vel crura, corrigenda.

Superflua tollens.

Chirurgia, superflua à corpore auferens, vel *eximit ea*, quæ extra in corpus sunt immissa, ut tela, globulos sclopetorum vulneribus, & res alienas faucibus, gutturi, auribus, naribus, vel oculis immissas. *Vel ea*, quæ in corpore sunt genita: idque *vel* secundum naturam, ut fœtum vivum vel mor-

mortuum : item urinam : *vel* præter naturam, ut verrucas, clavos, condylomata, excreſcentias in ano, glande, vulvâ; item callos, nodos, ſtrumas, polypos, carunculam in meatu urinario ; fungos, herniam carnoſam, calculum in veſica. *Vel* ipſas corporis partes corruptas, vel aliter male habentes : uti fit in cancri, uvulæ corruptæ, penis, vel uteri putridi, dentis carioſi, & membri, gangrenâ vel ſphacelo vel ingenti contuſione corrupti ; vel teſtis, in enterocele, exſtirpatione.

Reſtat tandem *operatio chirurgica*, *quæ deficientia reſtituit*. *Hæc* ad curtorum vel mutilorum curationem requiritur ; ubi ſc. naſi, aurium, vel labiorum extrema decurtata, per propaginem cutaneam, reſtaurantur. *Deficientia reſtituens*

Item ubi, per faſciationes & frictiones, juſtum alimentum partibus emaciatis, in augmentum, ſuppeditatur. Atque hæc de Chirurgia.

CAPUT III.

De Diætâ ægrorum.

Diæta ægrorum eſt remedium, in recta rerum, vitæ neceſſariarum, uſurpatione conſiſtens. *Diæta ægrorum.*

Hæc ratione qualitatis morbo adverſæ, eſt calida, frigida, humida, ſicca, attenuans, vel incraſſans.

Ratione vero *conſiſtentiæ* & quantitatis alimentorum, ea eſt craſſa, mediocris, vel tenuis.

Craſſa ſeu *plena* eſt, quæ inſtituitur alimentis copioſis, firmis & ſolidis, multumque nutrire aptis ideo non tantum vires præſentes conſervat, ſed etiam earum robur augere poteſt. *Craſſa.*

Hæc locum habet, ubi æger ſatis validus eſt, ut cibum bene concoquat ; nec periculum eſt, ne ex ea vel morbus, vel morbi cauſa augeatur.

Hæc *vel* simpliciter plena est; & fiebat olim per ptisanam hordeaceam integram. *Vel* est plenior & crassior; quæ fit per carnes pullorum & ova. *Vel* est pleniſſima, quæ etiam carnes castratorum concedit.

Mediocris.

Mediocris diæta est, quæ mediocris substantiæ & quantitatis constat alimentis; atque ideo vires, quales accipit, conservat. *Hæc* olim fiebat per panem in jure lotum, vel etiam per carnes pullorum.

Hæc *usu venit*, ubi vis coquendi est imbecillior; vel ubi à crassa diæta morbi, vel ejus causæ metuitur incrementum. *Eaque* convenit morbis longis.

Tenuis.

Tenuis est, quæ alimentis perficitur paucis, tenuibus, & infirmis; ideoque vires quidem conservat, nonnihil tamen diminutas.

Hæc *usurpanda*, ubi, viribus utcunque validis, metus est, ne morbus vel morbi causa a crassa, vel mediocri diæta, augmentum sumat; vel ne resolutæ vires, ob imbecillitatem, nimis prosternantur.

Convenit ut plurimum morbis acutis.

Hæc *triplex* est, vel enim *talis* est *simpliciter*; & fiebat olim per ptisanæ succum, seu cremorem, vel ptisanam colatam. Vel *tenuior* est; in qua melicraton exhibebatur. Vel *tenuissima* erat; in qua nihil cibi sumebat æger.

Verùm consuetudinis, locorum, & regionum ratio hic quam maxime est attendenda: cum in aliis regionibus victus plenior magis sit usitatus; in aliis parcior; & pro iis materia victus ipsaque diæta est moderanda.

CAPUT IV.

De Medicamentis, & eorum facultatibus in genere.

Pharmacum.

SEquitur jam *pharmacum*; quod est remedium extra chirurgiam & diætam.

Alii

Alii pharmacum vocant, quicquid corpus noſtrum poteſt alterare. Verùm ſecundum hanc definitionem chirurgia & diæta eſſent pharmaca; cum corpus noſtrum varie alterare queant. *Aliorum definitionis refutatio.*

Pharmacum, quod etiam medicamentum vulgo appellatur, ad partes internas *qualitatem deleteriam* non habeat: & ad omnes partes quibus debetur, quantum ejus natura ferat, eſto *ſympatheticum*, ſeu peculiariter conveniens. Ad viſcera autem adhibitum *roborans & adſtrictionis* particeps; maxime ventriculo laborante. *Conſiſtentiam* etiam obtineat proprias vires tuentem, quoad partis affectæ conformatio id permittat. *Gratumque ſit*, quam fieri poteſt maxime, aut ſaltem non vehementer ingratum; ne ob ingratum odorem vel ſaporem ab ægro rejiciatur, vel ei noceat. *Ejus requiſita.*

In medendo autem *per varia medicamenta*, quæ ejuſdem ſunt generis, evagari licet: quod tamen *maximè convenire compertum* eſt, id ſedulo præ cæteris eſt uſurpandum.

Medicamentum autem primò eſt *actuale*, vel *potentiale*.

Actuale eſt, quod primo contactu corpus noſtrum eâ, quâ præditum eſt qualitate, afficit: ut ferrum candens, aqua frigida. *Medicamentum actuale.*

Potentiale dicitur, cujus vis non primo contactu; ſed tum demum ſeſe exſerit, cum illa, ex aliqua in corpore mora, in medicamento excitatur. Talia ſunt piper & vinum, quæ licet, primo contactu ſint frigida, nihilominus, poſtquam ſunt aſſumta, calefaciunt. Contra verò lactuca, plantago, papaver, aliaque ſimilia, corpori noſtro etiam calidè adhibita, illud paulo poſt refrigerant. Illa enim talem partium habent diſpoſitionem, ut, ubi corpori noſtro adhibentur, tales acquirant vel faciant poros, ut ſubtilis materia, ſive æther, in iis, vel vehementius ſeſe movens, *Potentiale.*

vens, calorem; vel imbecillius seſe agitans, frigus in partibus noſtri corporis excitet.

Deinde medicamentum, vel *primis*, vel *ſecundis*, vel *tertiis facultatibus*, eſt præditum. *Eæque* omnes à temperamento, ſeu inſenſibilium particularum diſpoſitione, antehac in Phyſicis *pag.* 200. & ſeqq. explicatâ, originem ducentes, per ſolam experientiam innotuerunt.

CAPUT V.

De Medicamentis, primis facultatibus prædit is.

Medicamenta primis facultatibus prædita.

PRimis facultatibus prædita ſunt, calefacientia, refrigerantia, humectantia, & exſiccantia. Quæ agunt vel non evidenter, vel evidenter & manifeſte, vel vehementer, vel extreme. Atque ideò medicamenta dicuntur calida, frigida, humida, vel ſicca, in primo, ſecundo, tertio, vel quarto *gradu*: & ſingulis gradibus adhuc tres *manſiones* attribui ſolent.

Eorum gradus.

Calefacientia.

Calefacientia, uti & refrigerantia ſunt actualia, vel potentialia.

Actualia.

Calefacientia actualia ſunt, quæ actuali ſuo calore, ſive inſenſibilium particularum vario motu, calorem in nobis poſſunt excitare: ut ignis carbonum, ferrum candens, aqua calida, & alia actu calentia.

Potentialia.

Calefacientia potentialia ſunt, quæ ſecundum poros & particulas ita ſunt adaptata, ut corpori noſtro admota à ſubtili materia vehementius agitentur, & corpus noſtrum, vehementius movendo, calefaciant: ut piper, zinziber, calx viva.

Hæc ubi vehementiora ſunt, eſcharotica, cauſtica, & corrumpentia ſeu ſeptica dicuntur, ut poſtea videbimus.

Calida in gradu primo.

Calida in *primo gradu* ſunt.

Radices: *althææ, brancæ urſinæ, betæ, bugloſſi, glycyrrizæ.*

Cor-

Cottices: *guajaci, tamariſci.*

Folia & herbæ, *agrimoniæ, althææ, aſparagi, borraginis, bugloſſi, betæ, braſſicæ, chamæmeli, cuſcutæ, capilli Veneris, linarię, meliloti, malabathri, ſpicæ nardi, ſcolopendriæ, ſymphyti, tuſſilaginis.*

Semina, *coriandri, fœnigræci, lini, lithoſpermi, lupini, ſeſami, oryzæ.*

Fructus, *amigdalæ dulces, caſtaneæ, ficus, jujubæ, nuces cupreſſi, nuces juglandes virides, nuclei pini, ſebeſten, uvæ maturæ, uvæ paſſæ.*

Flores: *Borraginis, bugloſſi, betonicæ, buphthalmi, chamæmeli, meliloti, populi nigræ, ſtœchados arabicæ, ſenecionis.*

Succi, gummi, liquores: *aloë, bdellium, hederæ gummi, ladanum, ſaccharum.*

Pinguedines, adeps, ſevum: *butyrum; pinguedo ſuilla; ſevum caprinum, damæ, cervi, hominis.*

Calida *in ſecundo* ſunt Radices: *apii, capparum, peucedani, pimpinellæ, rapi, rhodiæ, ſcyllæ, zedoariæ.* *In ſecundo.*

Cortices: *caſſia lignea, rad. capparum, thuris.*

Folia & herbæ: *abſinthii, anagallidis, anethi viridis, angelicę, apii, arthemiſię, betonicę, calami odorati, chamępityos, fœnigręci, hyperici, hederæ, lupuli, meliſſæ, marrubii, matricariæ, myrrhidis, ocymi, pimpinellæ, peucedani, polii, roriſmarini, ſatureiæ, ſalviæ, ſcabioſæ, ſcordii, ſtœchados.*

Semina; *anethi, apii, orobi ſive ervi, erucæ, ocymi, urticæ.*

Fructus; *cappares, nux muſchata, piſtachia, ficus ſiccæ, nuces ſiccæ.*

Flores; *amomum, crocus, caryophyllorum, lavendulæ, lupuli, meliſſæ, roriſmarini, ſchænanthum.*

Liquores, gummi, reſina: *vinum non antiquum, ladanum, aloë, galbanum, myrrha, maſtiche, thus, pix arida, reſina, ſtyrax.*

Adeps: *vulpina.*

In tertio. Calida *in tertio* sunt Radices: *Acori, asari, ari, dictamni, doronici, fæniculi, galangæ, hellebori albi & nigri, helenii, iridis, petroselini, raphani, zinziberis.*

Cortices: *macis, cinnamomum.*

Herbæ seu folia; *abrotani, asari, agni casti, ari, amomi, ammi, anethi sicci, dictamni, caryophyllatæ, chamædryos, carthami, centaurei majoris & minoris, chelidonii, calaminthæ, mentastri, mentæ, fæniculi, epithymi, juniperi, helenii, hyssopi, lauri, majoranæ, nigellæ, ænanthes, origani, periclymeni, petroselini, ptarmicæ, pulegii, restæ bovis: rutæ, fabinæ, serpilli, sisymbrii, thymi, trifolii, verbenacæ, urticæ.*

Semina; *ammi, anisi, amomi, cari, cardamomi, carthami, cumini, dauci, fæniculi, nigellę, napi, petroselini, seselios, staphidis agriæ, viticis.*

Fructus: *Baccæ juniperi, cariophylli, piper.*

Flores: *agni casti, epithymi, leucoi, ænanthæ, periclymeni.*

Liquores, lacrymæ, gummi: *vinum vetustius, asa dulcis, asa fætida, ammoniacum, cedria, pix, opoponax, moschus.*

Metallica: *flos æris, æs ustum, squamma æris, ærugo, alumen, sal nitrum, sulphur, chalcitis.*

In quarto. Calida *in quarto* sunt Radices: *allii, cæpæ, costi, porri capitati, pyrethri.*

Herbæ seu folia; *lepidii, nasturtii utriusque, porri capitati, struthii, thapsiæ, titymalli.*

Semina: *nasturtii, sinapios.*

Fructus: *piper.*

Gummi: *euphorbium.*

Metallica; *vitriolum, auripigmentum, sandaracha.*

Refrigerantia actualia sunt, quæ actuali suo frigore, sive particularum insensibilium quiete vel tardiore motu, frigus, seu tardum particularum nostri corporis motum, possunt producere; ut aqua, aër, vel quidvis aliud, actu frigens.

Re-

Refrigerantia potentialia ſunt, quorum pori & particulæ ita ſunt diſpoſita, ut corpori noſtro adhibita, particularum ejus motum poſſint ſiſtere vel tardare; ut lactuca, acetoſa, portulaca, ſempervivum. *Potentialia.*

Frigida *in primo gradu* ſunt Radices: *malvæ.* *Frigida in gradu primo.*

Herbæ ſeu folia; *atriplicis, fumariæ, quod al. cal. in gr. pri. oxylapathi, malvæ, myrti, parietariæ.*

Semina: *hordei, mylii.*

Fructus: *citrii caro, mala cydonia, pyra, pruna, ceraſa acida.*

Flores: *malvæ, roſarum, violarum.*

Succi concreti: *acacia, ſanguis draconis.*

Lapides: *hyacinthus, ſapphyrus, ſmaragdus.*

Frigida *in ſecundo* ſunt; Herbæ ſeu folia *bliti, chondrillæ, lactucæ, lentis paluſtris, intybi, hyacinthi, oxalidis ſive acetoſæ, plantaginis, polygoni, pſyllii, ſolani.* *In ſecundo.*

Semina: *acetoſæ, cichorii, alkekengi.*

Fructus: *cucurbita, cucumis, galla, aurantia mala, mala punica, pruna damaſcena, pepones, perſica.*

Flores: *anemones, hyacinthi, cichorii, nymphææ luteæ.*

Lignum: *ſantalinum.*

Frigida *in tertio* ſunt; Radices *mandragoræ.* *In tertio.*

Herbæ ſeu folia: *portulacæ, mandragoræ, ſempervivi, hyoſcyami.*

Semina: *cicutæ, hyoſcyami, papaveris.*

Fructus: *mala aurea, mala inſana.*

Flores: *balauſtia.*

Succus: *hypocyſtidis.*

Frigida in quarto ſunt; Herbæ ſeu Folia *cicutæ, papaveris.* *In quarto.*

Succi concreti: *meconium, opium.*

Humectantia ſunt, quæ liquorem ſuum craſſiuſculum corpori noſtro poſſunt inſinuare. *Humectantia.*

Talia *in primo* gradu ſunt; Radices *ſatyrii, buglоſſi, glycyrizæ, malvæ, rapi.* *In gradu primo.*

Her-

Herbæ *bugloſſum, helxine, malva.*

Semina: *malvæ, ſeſami.*

Fructus: *caro citri, jujubę.*

In ſecundo. In *ſecundo* ſunt; Herbę: *violaria, nymphæã, arriplex, blitum, lactuca, lens paluſtris, portulaca.*

Fructus: *cucurbita, melones, pepones, perſica, pruna damaſcena, uvæ maturæ, ſaccharum.*

Flores: *nymphæę, violarum.*

Exſiccantia. *Exſiccantia* ſunt, *quæ* humiditatem noſtri corporis poſſunt inbibere in ſuis poris: ut farina tritici, vel linteum carptum, ulceri impoſitum. *Vel* adſtringendo eam ex partibus corporis expellere; ut alumen, galla. *Vel* calefaciendo & attenuando liquorem diſſipare; ut ſemen fæniculi, abſinthium, hyſſopus. Atque ita corpus noſtrum queunt exſiccare.

In gradu primo. Talia *in primo* gradu ſunt Radices: *bryoniæ, ænanthæ, rubiæ, tamariſci, althææ, ari, fæniculi.*

Herbæ & folia: *betæ, braſſicæ, chamæmeli, fæniculi, hyacinthi, myrti, verbaſci.*

Semina: *fabæ, fæniculi, foenugræci, hordei.*

Fructus: *baccæ juniperi, caſtaneæ.*

Flores: *bupthalmi, chamæmeli, croci, hyacinthi, meliloti, roſarum.*

Gummi: *thus.*

In ſecundo. In *ſecundo* ſunt Radices: *capparum, cichorii, raphani.*

Lignum: *ſantalum.*

Herba & folia: *Anagallidis, arthemiſiæ, anethi viridis, betonicæ, cuſcutæ, calami odorati, intybi, braſſicæ marinæ, burſæ paſtoris, equiſeti, gingidii, mentæ, mentaſtri, plantaginis, roriſmarini, ſpicæ nardi, verbenacę, virgæ paſtoris.*

Semina: *lentes, ervum ſive orobus, milium, oryza, papaveris, ſolani.*

Fructus: *balanus myrepſica, cappares, cydonia mala, nux cupreſſi, nux muſchata, pyra, piſtachia.* Flo-

Flores: *balauſtia, pæonia, anemones, chamæpityos, periclymeni.*

Lacrymæ, gummi, reſina: *galbanum, opoponax, pix arida, maſtiche, mel.*

In *tertio* ſunt Radices & cortices: *acori, radix cava, pentaphylli, trifolii, oxytriphylli, aſari, apii, doronici, hellebori, cinnamomi.* *In tertio.*

Herbæ & folia: *filicis, millefolii, quinquefolii, polii, trifolii, abſinthii, abrotani uſti, anethi uſti, apii, aſari, ammi, calaminthæ, chamædryos, chamepityos, epithymi, hyſſopi, juniperi, majoranæ, marrubii, origani, peucedani, petroſelini, ptarmicę, rutę, ſabinæ, ſalicis, ſiſymbrii.*

Semina: *grana tinctorum, anethi, apii, ammi, aniſi, cumini, coriandri, nigellæ, petroſelini, milii, viticis.*

Fructus: *cariophylli, carpobalſamum, galla, piper, baccæ juniperi.*

Flores: *balauſtia, epithymi, chamæpityos, pyriclymeni,*

Succi & gummi: *aloë, acetum, camphora, moſchus, ſal.*

In *quarto* ſunt Radices & herbę: *rutæ ſilveſtris, allii, naſturtii, ſynapios.* *In quarto.*

Metallica: *calchantum, auripigmentum, ſandaracha.*

Atque ex his medicamentorum compoſitorum, vel ex iis eductorum, gradus caloris, frigoris, humiditatis, & ſiccitatis, facile colligi poſſunt.

CAPUT VI.

De Medicamentis, ſecundis qualitatibus donatis.

Secundas facultates habent emollientia, indurantia: rarefacientia, condenſantia: aperientia, adſtringentia; attenuantia, craſſantia: educentia, repellentia: diſcutientia, maturantia: carnem generantia, agglutinantia, vulneraria, cicatricem inducentia, eamque corrigentia: callum *Secundis facultatibus donata.*

gignentia: urentia: lac & ſemen augentia, vel minuentia: libidinem excitantia, vel tollentia: calculum frangentia & expellentia: ſomnum conciliantia, dolorem ſedantia, ſtuporem inducentia: ſanguinem nimis profluentem ſiſtentia: & ſpiritus efficientia.

Emollientia.

Emollientia ſunt, quæ, mediocri ſua calefaciendi & humectandi facultate, partes inter ſe firmius cohærentes diſſolvendo, & nonnullas diſſipando, molles reddunt. Talia ſunt

Radices: *althææ, bryoniæ, cæpa cocta, cucumeris aſinini, ireos, liliorum alborum, liquiritiæ.*

Folia: *atriplicis, betæ, biſmalvæ, borraginis, brancæ urſinæ, bugloſſæ, malvæ, parietariæ, ſambuci, violarum.*

Semina: *lini, fœnugræci, malvæ.*

Flores: *camomillę, violarum, malvæ, meliloti, crocus.*

Fructus: *amygdalæ dulces, caricæ pingues, uvæ paſſæ, jujubæ.*

Liquores: *aceti acerrimi vapor, ex ſilicibus calidis injectis exhalans in partem, oleis, emplaſtris, vel fomentis prius aliquantum emollitam. Decoctum inteſtinorum, capitis, & pedum vervecis.*

Reſinæ: *pini, terebinthina.*

Gummi: *ammoniacum, bdellium, galbanum, opoponax, ſtyrax.*

Seva: *Hircinum, caprinum, taurinum.*

Axungiæ: *porcina, humana, vitulina, gallinacea, caponum, anatum, cervina, vaccina, ſuilla recens, taxi.*

Excrementa animalium: *butyrum, æſypus, cera pinguis, propolis, ſtercus bubulum, mellis favus, lanarum prima lotura.*

Olea: *olivarum, lini, liliorum alborum, violarum, amygdalarum dulcium, lumbricorum, anethi, petroleum, camomillæ, irinũ.*

Unguenta: *de althæa, reſumtivum.*

Emplaſtra: *de mucilaginibus, diachylum ſimplex & cum gummi, de meliloto.*

Iu-

Indurantia sunt, quæ partes firmius inter se conjungunt: idque *vel* tenues & molles dissipando, & crassas arctius inter se cogendo; *vel* eas interdum retinendo. *Illud* fit, ubi per nimis calefacientia scirrhus induratur; *hoc*, ubi, per sempervivum, solanum, portulacam, vel lentem palustrem, aliave remedia refrigerantia & adstringentia, pars ex. gr. œdematosa duritiem acquirit. Ideoque horum materia, superius in calefacientibus, & refrigerantibus, ac inferius in adstringentibus, est quærenda. *Indurantia.*

Rarefacientia sunt, quæ moderato calore, vapores humoresque difflando, poros & intervalla partium majores faciunt. Suntque eadem fere, quæ in emollientibus fuerunt proposita. Talia enim sunt *Rarefacientia.*

Radices: *althææ, liliorum alborum,*

Folia: *anethi, malvæ, violariæ, sambuci, brancæ ursinæ, mercurialis.*

Flores: *camomillæ, meliloti, sambuci.*

Semina: *lini, fœnugræci.*

Fructus: *ficus aridæ.*

Excrementa: *butyrum recens, œsypus.*

Adipes & axungiæ: *porcina, vitulina, humana, gallinacea, anserina.*

Aquæ: *camomillæ, liliorum alborum, aqua tepida.*

Olea: *olivarum, liliorum alborum, violarum, amygdalarum dulcium, lumbricorum, camomillæ, anethi, seminis lini, irinum, jasminum.*

Unguenta: *resumptivum, althææ.*

Condensantia sunt, quæ frigiditate, saltem potentiali, partium motum sistunt; easque collabentes arctius sibi mutuo conjungunt & copulant. Talia sunt *Condensantia.*

Folia: *sempervivi majoris & minoris, lactucæ, portulacæ, umbilicus Veneris, endiviæ, cicerbitæ, dentis leonis, psyllii, nymphææ, lenticulæ palustris.*

Aqua: *frigida, & omnia, quę citra adſtrictionem refrigerant.*

Aperientia. *Aperientia* ſunt, quæ acutis tenuibuſque particulis ad profunda penetrando, craſſoſque humores attenuando, & expellendo, vaſorum & corporis poros atque meatus aperiunt.

Eaque ſunt calida, & frigida.

Calida. *Calida* ſunt Radices: *apii, petroſelini, ariſtolochiæ, fæniculi, eryngii, gentianæ, filicis, rubiæ, rapontici, ſive centaurei magni, aſari, capparum, tamariſci, fraxini.*

Cortex: *cinnamomum.*

Folia: *fumarię, abſinthii, hepaticę, ceterach, chamæpityos, chamædryos, cuſcutæ, marrubii, calaminthæ, pulegii, cochleariæ, becabungæ, naſturtii aquatici, trifolii aquatici.*

Semina: *aniſi, fœniculi, ameos, agni caſti, ciceres rubri, lupini, amygdalæ amaræ, nuclei perſicorum, malorum armeniacorum.*

Fructus: *cappares, cubebæ.*

Flores: *ſtœchados arabicæ, geniſtæ, ſambuci.*

Gummi: *ammoniacum, bdellium, aloë, terebinthina, myrrha.*

Liquores; *vinum album.*

Aquæ: *fœniculi, betonicæ, hyſſopi, abſinthii, carduibenedicti, cinnamomi.*

Olea Chymica: *aniſi, fœniculi, cinnamomi, terebinthinæ.*

Syrupi: *byſantinus, de quinque radicibus, de abſinthio.*

Spiritus chymici: *ſpiritus ſalis.*

Conſervæ: *fol. abſinthii, flor. betonicæ,*

Condita: *zinziber conditum, radices enulæ camp conditæ.*

Pulveres: *aromatici roſati.*

Confectiones: *alkermes, theriaca.*

Throchiſci; *de capparibus.*

Frigida. *Frigida* aperientia ſunt.

Radi-

Radices: *cichorii, graminis, asparagi, acetosæ, rusci, oxylaphathi.*

Folia; *endiviæ, cichorii, cucurbitæ, acetosæ, hepaticæ, agrimoniæ, capilli Veneris.*

Semina: *acetosæ, 4. frigida majora.*

Flores: *cichorii.*

Liquores: *vinum chalybeatum.*

Mineralia: *chalybs præparatus.*

Aquæ, *acetosæ, cichorii.*

Olea chymica; *oleum vitrioli, sulphuris, spiritus vitrioli.*

Syrupi; *acetosus simplex, de limonibus, de cichorio simplex, capillorum Veneris.*

Species electuarii: *diarrhodon abbâtis, diatrium santolôn.*

Pulveres chymici: *cremor tartari, crystalli tartari, lapis prunellæ, tartarum vitriolatum.*

Adstringentia sunt, potestate frigida, & tali particularum crassitie & figuratione prædita, ut corporis partes inter se cogant & constringant: qualem habent ex. gr. cunei, lamellæ complicatæ & dissilientes, nec non fides ex contortis intestinis factæ. Talia sunt. *Adstringentia.*

Radices: *bistortæ, consolidæ majoris, tormentillæ, rhabarbarum tostum.*

Cortices: *mirabalanorum, granatorum, thuris, calices glandium.*

Lignum: *santalum.*

Folia; *plantaginis, centinodiæ sive polygoni, equiseti, bursæ pastoris, pilosellæ, myrthi.*

Semina; *acetosæ, portulacæ, myrtillorum, plantaginis, papaveris, rosarum, acini uvarum passarum, oryza.*

Fructus; *cydonia, pyra, sorba, corna, mespila, granata, ribes, berberis, mora immatura, nuces cupressi, gallæ.*

Flores: *balaustia, rosarum.*

Succi & liquores; *amylum, acacia, hypocistis, succus cydonio-*

doniorum, agrestа, vinum austerum, lac chalibeatum vel ferratum.

Animalia: *cornu cervi ustum, ebur, mumia.*

Gummi: *tragacanthæ, mastix, sanguis draconis.*

Lapides ac terræ: *Lapis hæmatites, terra sigillata, bolus armenus.*

Metallica: *alumen, ferrum, crocus martis.*

Marina: *corallia, succinum, margaritæ.*

Aquæ: *rosarum, plantaginis, portulacæ, centinodiæ, acetosæ, spermatis ranarum.*

Syrupi: *cydoniorum, rosarum siccarum, granatorum, myrtinus, miva cydoniorum.*

Condita: *cydonia cond., corna condita.*

Conservæ & confectiones: *conserva rosarum vetus, diacodium, philonium, theriaca recens.*

Trochisci: *de rabarbaro, spodio, carabe.*

Attenuantia. *Attenuantia* & *incidentia* sunt, quæ acutis suis particulis crassos & viscidos humores incidere & discindere possunt: Eaque sunt vel potestate *calida*, ut *cochlearia.* Vel *frigida*, ut *acetosa, rad. cichorii, dens leonis, acetum.*

Reliquam materiam horum vide in *Aperientibus.*

Incrassantia. *Incrassantia* sunt potestate frigida, & crassis ramosisque partibus prædita, quæ, dum succis tenuioribus, & liquidioribus permiscentur, partes eorum conjungendo, & inter se connectendo, consistentiam crassiorem & stabiliorem ipsis tribuunt. Talia sunt *bolus armenus, acetosa, papaver, oryza, amylum.*

Reliquam materiam vide superius in adstringentibus, & inferius in repellentibus.

Emplastica. *Emplastica* sunt, quæ ramosis, flexibilibus, mollibus, & tenacibus particulis, aliorum poris & particulis facile adhærent, easque inter se connectunt. Atque ideo fluxionibus impediendis, & suppurationi promovendæ conducunt. Talia sunt Radi-

Radices: *althææ, liliorum, malvæ, ſymphyti.*

Folia: *althææ, malvæ, portulacæ.*

Semina: *fœnugræci, lupinorum, ſeſami.*

Fructus: *uvæ paſſæ, ficus, nuclei pineorum aquâ macerati.*

Gummi: *arabicum, tragacanthę, ſanguis draconis, maſtiche, ſarcocolla, thus, & ejus cortex.*

Animalium partes, excrementa: *mumia, cera, ovi albumen, adipes & medullæ recentes quadrupedum, butyrum recens, caſeus recens, æſypus, caput & pedes porcini, vitulini, agnini, ebur.*

Terræ: *bolus armenus, terra ſigillata.*

Farinæ: *tritici, amylum, farina volatilis, fabarum.*

Mucilagines: *ſem. cydoniorum, aliorumque.*

Mineralia & metallica: *alumen, lithargyrum, ceruſſa, ſtybium, plumbum uſtum, cadmia, pompholix, calx.*

Lapides: *hæmatites, gypſum, calaminaris.*

Reſina: *terebinthina, laricea, pix.*

Marina: *corallium, cochleæ, ſuccinum.*

Olea: *olivarum, camomillæ, & alia temperata.*

Unguenta: *album Rhaſis, nutritum, diapompholigos, deſiccativum rubrum.*

His vicina ſunt *Epiceraſtica*, ſive *attemperantia*; quæ, mollibus & flexibilibus ſuis particulis, humoris alicujus acrimoniam, & partis aſperitatem retundunt, & leniunt. Talia ſunt *Epiceraſtica.*

Radices: *althææ, liquiritię, malvæ.*

Folia: *malvæ, nymphææ, ſempervivi, portulacæ, lactucæ.*

Semina: *hordei decorticati, hyoſcyami albi, lactucæ, papaveris albi, oryza.*

Fructus: *jujubæ, paſſulæ, poma dulcia, pruna dulcia, ſebeſten, amigdalæ dulces, pineæ.*

Succi & liquores: *lac amigdalarum, amylum, aqua hordei, jus*

jus pingue, lac ſonchi, cremor ptiſanæ, ſuccus foliorum ſolani & halicacabi.

Animalium excrementa & partes; *albumen ovi, butyrum, lac omne, ſerum lactis, vituli & agni caput & pedes, eorumque jus.*

Mucilagines: *ſeminis pſyllii, cydoniorum, ſeminis & radicis althææ, ſem. lini, malvæ, radicis borraginis.*

Olea; *olivarum, violarum, amigdalarum dulcium, ſeminis cucurbitæ expreſſum, hyoſcyami albi, papaveris albi, oleum plumbi.*

Unguentum: *roſatum, album camphoratum.*

Syrupi, *violaceus, de pomis, de althæa Fernelii, de liquiritia, jujubis, papavere, portulaca.*

Varia officinalia; *pulpa caſſiæ, diacodium, diapenidium ſaccharum candi, violatum, ſaccharum althææ, julepus violaceus, mel violaceum.*

Detergentia. *Detergentia* ſunt, quæ aſperis, duriuſculis, acutis, ſeu pectinatis ac ſcopalibus particulis, ſordes ex ſuperficie & meatibus corporum, in quæ moventur, abradendo, auferunt. Talia ſunt

Radices; *apii, ariſtolochiæ utriuſque, aronis, cyperi, cucumeris aſinini, dracontii, iridis, gentianæ, plantaginis, ſigilli Salomonis.*

Folia: *abſinthii, apii, anagallidis, agrimoniæ, chamædryos, centaurei minoris, chelidoniæ: betę, marrubii, plantaginis.*

Semina; *urticæ, plantaginis, apii, atriplicis.*

Farinæ; *ſeminis lini, fœnigræci, cicerum, lupinorum, hordei, orobi, fabarum, furfur tritici.*

Succi; *ſaccharum, aloë, vinum, fæx vini, tartarum album, lixivium omne, lac virginale.*

Animalium excrementa: *urina, fel, ſerum lactis, mel.*

Reſinæ; *therebinthina, thus, myrrha.*

Mineralia; *alumen, vitriolum, ærugo æris, chalcitis, tuthia,*

thia, sal nitrum. auripigmentum, æs ustum, spodium, chrysocolla, lapis alchymiæ,

Olea: *amygdalarum amararum, terebinthinæ, tartari.*

Unguenta: *apostolorum, ægyptiacum, sapo venetus, sapo niger.*

Attrahentia dicta, seu potius *educentia*, sunt, quæ secundi, tertii & interdum quarti gradus calore, ac tenuibus suis particulis, poros carnium & vasorum aperiendo, humoresque contentos dilatando, ac foras, ubi minor est resistentia, eos propellendo, non tantum partes in tumorem attollunt, & rubore suffundunt; sed sæpe etiam plures vapores & humores, quam per densam cuticulam erumpere possunt, è cute & carne expellendo, sub cuticula colligunt, eamque in vesicas attollunt: Imo sæpe etiam festucas & aculeos infixos & obvios educunt. Talia sunt *Attrahentia.*

Radices: *thapsiæ, enulæ campanæ, iridis, aristolochiæ rotundæ, cyclaminis, pyrethri, arundinis, narcisci, cæpæ, allium.*

Herbæ & folia: *iberidis, calaminthæ, thlaspi, anagallidis purpureæ, hederæ, tithymalli, esulæ, flammulæ, lepidii, ari, saponariæ, dictamni cretici, ranunculi silvestris, hydropiperis, chamelææ, laureolæ, lauri.*

Semina: *sinapios, urticæ, nasturtii, thlaspi, staphidis agriæ, verbasci, cardamomum, capsicum.*

Gummi: *ammoniacum, euphorbium, galbanum, sagapenum, bdellium, opoponax.*

Resinæ: *pix arida, resina vulgaris.*

Excrementa: *mel, stercus caprinum, fimus columbinus, asininus, & omnes alii.*

Animalia: *scorpiones, cantharides, castoreum.*

Mineralia: *sulphur.*

Marina: *succinum.*

Emplastra: *oxycroceum, de meliloto, fermentum acerrimum.*

Unguentum: *Nigrum seu fuscum Nicolai.*

Repellentia. *Repellentia* ſunt, quæ, ſuâ frigiditate, vel vi adſtringendi, fervorem & affluxum humorum reprimendo, ac poros & meatus partium claudendo, intumeſcentiam partis imminuunt, & allabentes humores alio pellunt. Talia ſunt

Radices: *pruni ſilveſtris, pentaphylli, biſtortæ, tormentillæ.*

Cortices: *radicis mandragoræ, quercus, malicorium ſive cortex granatorum.*

Folia: *lentiſci, cupreſſi, rubi, ſolani, plantaginis, myrthi, vitis, ſumach ſeu rhus obſoniorum, quercus, liguſtri, hyoſcyami, ſempervivi, umbilici Veneris, portulacæ, lactucæ, endiviæ, cichorii, polygoni, auriculæ muris, lentis paluſtris, equiſeti, pyri.*

Semina: *pſyllii, plantaginis, myrtillorum, roſarum.*

Flores: *roſarum rubrarum, balauſtia ſive flores punicæ ſilveſtris, cytinus ſive flos punicæ ſativæ.*

Fructus: *cydonia, ſorba, berberis, corna, nuces cupreſſi, myrtilli, gallæ virides, meſpila, pira ſilveſtria.*

Succi: *acacia, hypociſtis, omphacium, acetum, ſuccus granatorum, limoniorum, mororum immaturorum.*

Animalium excrementa: *albumen ovi.*

Mineralia: *alumen, vitriolum, ceruſſa, plumbum, ſal, tuthia, lapis alchymiæ.*

Terræ: *bolus armenus, terra ſigillata,*

Gummi: *ſanguis draconis.*

Aquæ: *ſpermatis ranarum, plantaginis, roſarum, & foliorum antea enumeratorum in officinis uſitatæ.*

Olea: *roſarum, myrtillorum, cydoniorum, omphacinum, lentiſcinum, maſticinum,*

Unguenta: *comitiſſæ, refrigerans Galeni, populeonis, de bolo.*

Emplaſtra: *contra rupturam, de maſtiche.*

Diſcutientia. *Diſcutientia* ſunt, quæ caliditate & partium ſuarum tenuitate, humores in parte contentos attenuant, poroſque ita aperiunt, ut materia noxia per inſenſibilem tranſpirationem diſſipetur:

Horum

Horum materia ab attenuantibus, aperientibus, & emollientibus, superius propositis, nec non flatus discutientibus, inferius proponendis, petatur.

Maturantia sive *pus moventia* sunt, quæ moderata caliditate & humiditate, ac vi emplastica, calorem partis moderate augendo, spirituumque effluxum cohibendo, sanguinem in partem illapsum, in pus convertunt. Talia sunt *Maturantia.*

Radices: *althææ, liliorum alborum, tussilaginis, bryoniæ recentis, cucumeris silvestris recentis, cæpa cocta.*

Folia: *althææ, malvæ, acetosæ, brancæ ursinæ, viscum.*

Semina: *lini, fænugræci, hordei, tritici,*

Farinæ: *tritici, hordei, orobi, panis triticeus.*

Fructus: *caricæ pingues, passulæ, dactyli pingues.*

Gummi: *ammoniacum, bdellium.*

Resinæ: *terebinthina, laricæa, thus, styrax liquidum, pix, resina vulgaris.*

Animal: *Adeps gallinaceus, anserinus, axungia porci, medulla vituli, butyrum, æsypus, vitellus ovi, cera flava, propolis, lac.*

Sevum: *quodcunque.*

Succi & liquores: *sapa, aqua calida, hydrelæum, ladanum.*

Olea: *oleum olivarum, amigdalarum dulcium, seminis lini, liliorum alborum.*

Unguenta: *althææ, resumtivum, basiliconis, Agrippæ, aureum.*

Emplastra: *diachylum simplex, & compositum cum gummi, fermentum acre.*

Carnem generantia, sive *sarcotica* sunt, quæ moderato calore & vi detersoria, sordes è vulneribus & ulceribus tollendo, partiumque temperiem conservando, efficiunt, ut alimentum in partem solutam commode impellatur, ac ipsi agglutinetur. Talia sunt *Carnem generantia.*

Radices: *symphyti, iridis, aristolochiæ.*

Folia: *hyperici.*

Succi: *aloë.*

Farinæ: *hordei, orobi, fænugræci.*

Resinæ: *thus, colophonia, mastix, resina pini.*

Lacrima: *abietis, pix, terebinthina, myrrha.*

Gummi: *tragacanthæ, sanguis draconis, sarcocolla.*

Mineralia: *cadmia, cerussa, tuthia, pompholix, lithargyrium, plumbum ustum & lotum.*

Unguenta: *aureum, desiccativum rubrum.*

Emplastra: *de betonica, de gratia Dei.*

Sarcoticis cognata, vel vicina sunt glutinantia, vulneraria, epulotica, & callum gignentia.

Glutinantia. *Quæ* enim validius siccant & minus detergunt, sed potius adstringunt, illa vulneris recentis labra *conglutinant.* Talia sunt

Radices, *pentaphylli, tormentillæ, symphyti.*

Folia: *saniculæ, pyrolæ, pilosellæ, herniariæ, cynoglossi, plantaginis, hyperici, verbenæ, salicis, scabiosæ, atractilis, isatidis, chamæpytios, centaurei minoris, millefolii, betonicæ, bugulæ.*

Gummi: *sarcocolla, sanguis draconis.*

Resinæ: *thus, myrrha, pix, terebinthina.*

Succi: *aloë, hypocistis.*

Animalia: *mumia, lumbrici, pili leporis usti.*

Mineralia: *lithargyrium, plumbum, cadmia, lapis calaminaris.*

Unguenta: *de lithargyrio, de betonica.*

Vulneraria. *Quæ* vero, in decoctis & potionibus assumpta, serosos & acres humores seu succos è corpore educunt, sanguinemque ita attenuant, ut in partes vulneratas, ruptas, vel contusas commode propelli possit; & quibusdam partibus adstringunt & detergunt, ista, lapsis, contusis, & vulneratis conducentia, *Vulneraria* nuncupantur. Talia sunt

Radices; *tormentillæ, consolidæ utriusque, zedoariæ, galangæ,*

langæ, angelicæ, biſtortæ, ariſtolochiæ rotundæ, lequiritiæ, caryophyllatæ.

Herbæ & folia: *limonii, ſaniculæ, pyrolæ, verbenæ, alchymillæ, perſicariæ, vincæ pervincæ, agrimoniæ, ophiogloſſi, cyclaminis, virgæ aureæ, conſolidæ ſaracenicæ, equiſeti, betonicæ, pimpinellæ, ceterach, arthemiſiæ, lilii convallium, centaurei minoris, veronicæ, polygonati, plantaginis, ſabinæ, carduibenedicti, piloſellæ, hyperici, tanaceti, herniariæ, ſcordii, ſerpentariæ.*

Fructus: *cicera rubra, grana juniperi, nux juglans.*

Animalia: *cancri fluviatiles, aſtaci, mumia, oculi cancri.*

Marina: *Sperma ceti.*

Lapides & terræ: *Corallum rubrum, album, bolus armenus.*

Aquæ: *ex herbis prædictis deſtillatæ.*

Epulotica ſive *cicatrizantia* ſunt, quæ exſiccando, adſtringendo, & contrahendo, ulcus carne repletum cicatrice obducunt. Talia ſunt Epulotica.

Radices: *ariſtolochiæ rotundæ, tormentillæ.*

Folia: *plantaginis, myrthi, granatorum, caudæ equinæ, nummulariæ.*

Cortices: *granatorum, glandium calices.*

Cineres & uſta: *lana cremata, linteum uſtum, goſſypium uſtum, ſpongia uſta, pili leporis uſti, teſtæ fornacum uſtæ.*

Gummi & ſucci: *ſanguis draconis, acacia.*

Fructus: *cupreſſi, gallæ immaturæ.*

Flores: *roſarum, balauſtia.*

Terræ: *lemnia, armena, creta alba.*

Lapides: *hæmatites, calaminaris, gypſum.*

Metallica: *ſcoria ferri, alumen uſtum & lotum, plumbi pulvis, æs uſtum, ceruſſa, lithargyrium, chalcitis, cadmia lota, pompholyx, ſulphur, auripigmentum, vitriolum, tuthia uſta & lota, ſpodium.*

Animalia: *cornu cervi uſtum, os ſepiæ, ebur uſtum, oſtreæ teſta.*

Marina: *Corallia.*

Unguenta: *album Rhasis, nutritum, de lithargyrio, de cerussa, de tuthia, de minio, desiccativum rubrum.*

Cicatrices delentia. Si *cicatrix* inducta *turpior* fuerit, ea emollientibus, & colorem meliorem justo calore reddentibus, est corrigenda. Talia sunt

Adipes & medullæ: *humanâ, asinina, cervina.*

Olea: *myrrhæ, vitellorum ovorum, camphoræ, balsamum orientale, succus hederæ.*

Farina: *fabarum.*

Semina *erucæ, synapi.*

Mineralia: *borax, nitrum.*

Aquæ: *florum liliorum, & fabarum.*

Callum generantia. *Callum generantia* sunt, quæ exsiccando, incrassando, & adstringendo, partis alimentum in callum convertunt. Talia sunt

Interna: *succus primulæ veris, radicis agrimoniæ succus & pulvis, lapis osteocolla cum aqua symphyti dragmæ quantitate datus.*

Externa: *aloë, acacia, bolus armenus, farina volatilis, lapis osteocolla, nux cupressi, thus, gummi tragacanthæ.*

Urentia. *Pyrotica*, sive *urentia*, sunt medicamenta potentiâ calida, quæ corpori humano adhibita valde incalescunt, propterea quod particulas & poros ita habeant dispositos, ut, vaporibus vel humoribus in eos se insinuantibus, subtilis materia tales ibi inveniat meatus, ut ipsa ibi vehementius mota, terrestes quasdam particulas duras & acutas, in iis natantes, impetuosius in vicinas partes agitet, atque ita calorem magis vel minus vehementem & omnia diversimode corrumpentem, vel immutantem, pro ratione sui motus & particularum movendarum diversitate, excitet.

Hæc sunt rubificantia, vesicantia, cathæretica, septica, escharotica, & psilothra.

Rubificantia & *vesicantia*, in attrahentibus, superius sunt explicata & proposita. *Vesicantia.*

Cathæretica sunt, quæ acutis suis particulis carnem excrescentem exedunt. Talia sunt *Cathæretica.*

Radices: *Aristolochiæ rotundæ in furno exsiccatæ, asphodeli, cucumeris, hellebori nigri.*

Cineres: *testarum concharum, tithymallorum, gallarum ustarum.*

Lapides: *pumex crematus, lapis lazuli non lotus.*

Mineralia: *vitriolum calcinatum, plumbum ustum, argentum vivum præcipitatum, ærugo, sublimatum, æris squamma, calx, chalcitis, antimonium calcinatum, sal armeniacus, cinnabrium.*

Aqua: *fortis.*

Olea: *vitrioli, sulphuris.*

Unguenta: *Apostolorum, Ægyptiacum, Isidis.*

Trochisci: *Musæ, Pasionis, Andronis.*

Septica, sive *putrefacientia* sunt, quæ calore, & acrimoniâ malignâ, carnem tenuem colliquant, putrefaciunt, & corrumpunt. Talia sunt *Septica.*

Arsenicum purum, & sublimatum, chrysocolla, auripigmentum, sandaracha græcorum, aconitum, dryopteris.

Escharotica, sive *caustica* sunt, quæ cutem & carnem in duram crustam sive escharam exurunt. Talia sunt *Escharetica.*

Æs ustum, calx viva, fimus columbinus, mercurius sublimatus.

Optimum vero causticum est *lapis, ex lixivio acerrimo saponis, ad duritiem cocto, factus, & in vitro arctissime clauso ad usum servatus; qui Ruptorium Chirurgorum vulgo vocatur.*

Psilothra sunt, quæ pilos extirpant: Talia sunt *Psilothra.*

Lixivium forte, calx viva, auripigmentum, sandaracha, arsenicum, ova formicarum, oleum sulphuris, vitrioli.

Lac

Lac generantia. *Lac generantia* & *augentia* ſunt, quæ ſanguinem probum gignunt, eumque attenuatum ad mammas deducunt, & mammarum vaſa aperiunt. Talia ſunt

Interna. Folia viridia, *Smyrnii ſive petroſelini macedonici veri, anethi, apii, ſii, polii, polygalæ, lactucæ.*

Semina recentia: *aniſi, fœniculi, erucæ, nigellæ.*

Succus: *cicerbitæ, taraxaci, tragopogi cærulei, ptiſana.*

Pulvis: *cryſtalli tenuiſſimus, ad dragmam unam cum idoneo liquore exhibitus.*

Externa. Radices: *althææ.*

Folia: *Anethi, malvæ.*

Farina: *Seminis lini.*

Flores: *camomillæ.*

Lac imminuentia. *Lactis generatio impeditur*, ſi ſanguinis copia imminuatur venæ ſectione vel inediâ; vel ejus motus ad mammas, per incraſſationem, ſiſtatur; vel illud per diſſipationem abſumatur. Atque ideo hoc præſtatur per *calida*, & frigida: tum interna, tum externa.

Interna. *Interna calida* ſunt: *ocymus, ruta, calamenta, ſalvia, agnus caſtus, camphora.*

Frigida: portulaca, ſempervivum, cucurbita.

Externa. *Externa: cataplaſma ex calidis modo dictis, in oleo coctis, appoſitum.* Apium *cum aceto tritum & applicatum.* Spongia *in aceto forti, cum cumino & coriandro, cocta & adhibita.* Unguentum *althææ, emplaſtri modo cum charta emporetica applicatum.*

Semen generantia, & libidinem excitantia. Ad *ſeminis generationem & libidinem excitandam* faciunt, quæcunque ſanguinem optimum & copioſum gignunt, eumque ad genitalia deducunt; hic enim ſeminis eſt materia: & præterea, quæ ipſum ſpiritibus acribus, partes genitales vellicantibus, replent. Talia ſunt

Radices; *eryngii, ſatyrionis, rapæ ſativæ, bulbi eſculenti, aſparagi, galangæ, zinziber viride, napus.*

Folia;

Folia: *erucæ, hormini, nasturtii.*

Semina: *cicera rubra, fabę, erucæ, napi, urticæ, phaseoli, fraxini, lini.*

Fructus: *nuces pineæ, pistacia, scolymus.*

Animalia: *priapus tauri & cervi, scincus, moschus, zibethum, testes gallinacei, cerebella passerum, ostreæ, cantharides ad gr. 1. vel 2.*

Aromata: *crocus, piper, nux moscata, garyophylli.*

Marina: *Ambra cum ovo sorbili sumpta.*

Condita: *radicis satyrii, eringii, zinziberis, diasatyrii dragma una.*

Semen & libidinem imminuunt, quæ spiritus genitales refrigerando, vel per calorem dissipando, tollunt. Atque ideo sunt vel *Semen & libidinem imminuentia.*

Frigida: *ut cicuta, nymphæa, portulaca, hyoscyamus, lens palustris, syrupus nymphææ, oleum nymphææ foris genitalibus illitum.* vel

Calida: *ut mentha, calamintha, anethum, ruta, agnus castus, camphora.*

Calculum frangentia & expellentia sunt, quæ, incidendi & detergendi vi, citra magnam caliditatem, donata, ipsum, quamdiu mollis est, dissolvunt, & cum urina educunt. Talia sunt *Calculum frangentia & expellentia.*

Radices; *aristolochiæ, calcitrapæ, ononidis, saxifragiæ, lappæ majoris, virgæ aureæ, raphani.*

Lignum: *nephriticum.*

Cortices: *Fabarum siccarum, rad. lauri, glandium, coryli.*

Folia: *saxifragiæ, argentinæ, calcitrapæ, lappæ majoris, hederæ terrestris, abrotani, virgæ aureæ, virgæ pastoris, hyssopi, pulegii, chamædryos, chamæpytios.*

Semina: *milii solis, raphani, carui, cumini, petroselini macedonici, xanthii, genistæ, malvæ, althææ.*

Fructus: *Baccæ hederæ, juniperi, alkekengi, nuclei cera-*

sorum, persicorum, mespilorum, amigdalę amaræ.

Aromata: *Nux moscata, carpobalsamum, macis, santalum rubrum.*

Gummi: *ceraſorum, prunorum, arabicum, elemi.*

Resinæ: *laricea, arbietina, terebinthina.*

Animalia: *sanguis hircinus præp.* Cineres *lumbricorum, asellorum sive millepedum, pili leporini, scorpionum, scarabæorum.* Pulveres *callorum & ungularum equi, astragali leporis, maxillæ lucii piscis, oculorum cancri, calculorum ab homine ex urinariis vasis excretorum.*

Lapides: *spongiæ, lyncis, nephriticus, judaicus, crystallus præparatus.*

Marina: *succinum.*

Succi: *Acidulæ, arantiorum acidorum, baccarum halicacabi, millefolii, fœniculi, petroselini.*

Aquæ: *sii Cratevæ, baccarum hederæ & alkekengi; terebinthinæ, lariceæ, petroselini, fœniculi, ononidis.*

Olea: *nucleorum persicorum, ceraſorum, amygdalarum expressi ad unciam unam; seminis citri, lappę, terebinthinæ, lariceæ, vitrioli.*

Somnum & ſtuporem inducentia.

Somnum conciliant & ſtuporem inducunt, potentiâ frigida, quibus ſpirituum animalium motus in cerebro & aliis partibus ſiſtitur, vel imminuitur: *Item* quæ cerebrum gravare poſſunt: Atque *etiam*, quæ poros arteriarum & plexus choroidis poſſunt claudere vel obturare; inter quæ nonnulla volatili quodam glutine ſunt prædita. *Item* quæ, ſpiritus nimium diſſipando, cerebrum & ejus ventriculos ſubſidere faciunt. Horum alia ſunt *leviora*, quæ Hypnotica ſive ſomnifera; alia *fortiora*, quæ ſoporifera & narcotica ſive ſtupefacientia appellantur.

Hypnotica

Hypnoticorum materia talis eſt:

Folia: *lactucæ, ſempervivi, anethi.*

Semina: *lactucæ, 4. frigida majora, papaveris albi.*

Flores: *violarum, nymphææ, roſarum.* Fru-

Fructus: *amygdalæ dulces, nuclei persicorum.*

Aquæ: *violarum, lactucæ, portulacæ, solani, rosarum.*

Syrupi: *violarum, papaveris, nymphææ.*

Conservæ: *violarum, nymphææ.*

Succi: *lactucæ, nymphææ, solani.*

Species: *diamargariti frigidi.*

Olea foris capiti allinenda: *oleum violarum, nymphææ, papaveris albi, amygdalarum dulcium, mandragoræ, ranarum.*

Unguentum: *populeonis, capiti vel pedibus adhibitum,*

Narcotica præcipua hæc sunt: Narcotica

Radix: *mandragoræ, hyoscyami.*

Folia: *hyoscyami, mandragoræ, papaveris, solani somniferi, tabaci.*

Flores: *hyoscyami, papaveris, crocus.*

Semina: *papaveris albi & nigri, hyoscyami, lolii.*

Succi inspissati: *mandragoræ, hyoscyami, opium.*

Syrupi: *papaveris albi, rhœados.*

Olea: *mandragoræ, seminis papaveris albi.*

Opiatæ: *theriaca recens, requies Nicolai, Philonium romanum & persicum: ad dragm. j.*

Pilulæ: *de cynoglossa: ad gr.* XVI.

Laudanum opiatum: *ad gr.* iij. iiij. *vel* v.

Dolorem sedantia sive *anodyna*, præter hypnotica & narcotica, sunt, quæ moderato seu blando calore, & partibus mollibus, humores dolorificos, partim dissipando, partim temperando, nimis vehementem partium motum, in quo dolor consistit, vel imminuunt, vel tollunt. Talia sunt *Dolorem sedantia.*

Radices: *althææ, liliorum, malvæ.*

Folia: *sambuci, malvæ, violariæ, anethi.*

Semina & farina: *lini, fœnugræci, tritici, hordei.*

Flores: *camomillæ, meliloti, verbasci, crocus.*

Animalium partes & excrementa: *lac, butyrum, æsypus, vitellus ovi; omenta, carnes, & pulmones animalium recens extinctorum:*

Adeps & axungia: *suilla, anserina, gallinacea, humana.*

Olea: *olivarum, lumbricorum, rosarum, camomillæ, amygdalarum dulcium, liliorum, seminis lini, vitellorum, ovorum, anethi, jasminum.*

Medulla: *panis candidi.*

Mucilagines: *seminis malvæ, psyllii, althææ, fœnigræci.*

Sevum: *caprinum, cervinum, hircinum.*

Unguentum: *althææ, resumtivum.*

Sanguinem è vasis profluentem sistentia.

Sanguinem profluentem *sistentia*, præter caustica, sunt, quæ, emplastică, adstrictoriâ, refrigeratoriâ, vel exsiccatoriâ vi, meatus vasorum apertorum claudunt, vel sanguinis fluiditatem, & motum vehementiorem imminuunt, vel sistunt. Talia sunt

Radices: *Symphyti, pentaphylli, rhabarbari torrefacti, urticæ.*

Cortices: *granatorum, pini.*

Folia: *plantaginis, centinodię, equiseti, vincæ pervincæ, pimpinellæ sanguisorbæ, androsæmi, salicis, lenticulæ palustris, lactucæ, portulacæ, solani, sempervivi, rubi germina.*

Flores: *balaustia, citini.*

Fructus: *mala cydonia, pyra austera, sorba, mespila, rubi mora immatura, rhus obsoniorum, gallæ immaturæ, gallæ exustæ & aceto extinctæ.*

Succi & liquores: *acacia, hypocistis, aloë, acetum, oxycratum, omphacium, aqua frigida, succus cucurbitæ, portulacæ, vinum austerum.*

Resinæ: *mastix, myrrha, thus.*

Gummi: *sanguis draconis.*

Marina: *corallia.*

Animalium partes, excrementa: *gluten, mumia intus & extra; tela araneæ cum polline ex pistrino, albumen ovi, sanguinis grumus exsiccatus, spodium de ebore, pili leporis & hominis combusti, plumæ gallinaceæ ustę, ossa cremata.*

Lapi-

Lapides: *hæmatites, gypsum lotum.*

Terræ: *bolus armenus, terra sigillata, terra vulgaris,*

Farinæ: *tritici, fabarum, amylum,*

Fuligines: *è clibano, a lebete æneo derasę, thuris vel mastiches fuligo.*

Mineralia: *litharg yrium, cerussa, pompholix, vitriolum, alumen.*

Marina: *Spongia.*

Spiritus reficientia sunt, quæ in deliquio animi vel syncope adhibita, ob gratum suum halitum sive vaporem, facile in spiritus possunt converti. Talia sunt *Spiritus Reficientia.*

Radices: *Iridis florentinæ, cyperi, acori veri, angelicæ, caryophyllatæ.*

Cortices & ligna: *lignum aloës, santala citrina & alia, cortices citri & arantiornm.*

Folia: *thymi, serpilli, pulegii, rorismarini, ocymi, menthæ, melissæ, majoranæ, lavendulæ, hyssopi, calamentę montanę.*

Flores: *Violarum, rosarum, spicæ, limonum, lilii convallium, jasmini, citri, caryophyllorum, arantiorum.*

Baccæ: *juniperi, lauri.*

Fructus: *cotonea matura, poma redolentia.*

Aromata: *cinnamomum, macis, caryophylli indici,*

Resinæ: *styrax, camphora.*

Excrementa: *moschus, zibethum.*

Aquæ, Aceta: *aqua cinnamomi, florum citri, limonum, arantiorum, lavendulæ, jasmini, rosarum, acetum generosum, caryophyllatum, rosarum.*

Olea odorata: *cinnamomi, de nuce moscata, spicæ, camphoræ, jasminum, garyophyllorum, corticum citri, costinum.*

CAPUT. VII,

De Medicamentis tertias facultates habentibus: ac primum de præparantibus.

Tertias facultates habentia

TErtias facultates habentia quatuor generum statuuntur. *Vel* enim humorem certum alterant, & ad purgandum præparant. *Vel* illum peculiari vi evacuant. *Vel* cum membro aliquo peculiarem convenientiam habent. *Vel* venenis aliisque malignitatibus resistunt.

Alterantia & ad evacuationem præparantia.

Quæ humores alterant & ad evacuationem præparant, ea *sunt* quintuplicia. *Alia* enim bilem refrigerant & attenuant; *alia* bilem refrigerant & incrassant; *alia* pituitam calefaciunt, detergunt, & attenuant; *alia* melancholiam moderatè calefaciunt, humectant, & attenuant; *alia* atram bilem valde refrigerant, humectant, & attenuant.

Bilem refrigerantia & attenuantia.

Bilem refrigerantia & attenuantia sunt

Radices: *acetosæ, asparagi, cichorii, graminis, oxylapathi.*

Folia: *acetosæ, capilli veneris, endiviæ, cichorii, dens leonis, linguæ cervinæ.*

Semina: *acetosæ, endiviæ, hordeum, 4 frigida majora.*

Fructus: *arantiorum, limonum, melones, pepones, pruna acida, cerasa acida, ribes, berberorum.*

Flores: *cichorii.*

Liquores: *acetum, omphacium.*

Gummi: *camphora.*

Succi: *limonum, citriorum, arantiorum, endiviæ, acetosæ, cichorii.*

Aquæ: *acetosæ, cichorii, graminis, endiviæ, hordei.*

Syrupi: *de limonibus, capilli veneris, acetosus simplex, de cichorio ſ.*

Conservæ: *flor. cichorii, fol. acetosæ, cerasa condita.*

Pul-

Pulveres electuariorum: *diamargariti frigidi, diatrium-santalon, dirrhodon abbatis.*

Bilem refrigerantia & incrassantia sunt

Radices: *althææ, buglossę, plantaginis.*

Folia: *portulacę, plantaginis, lactucæ, malvæ, sempervivi majoris.*

Bilem refrigerantia & incrassantia.

Semina: *cydoniorum, lactucæ, malvæ, papaveris albi, psyllii, plantaginis.*

Flores: *nymphææ, papaveris rhæados, rosarum, malvæ.*

Fructus: *jujubæ, cydonia, granata, pyra, pruna dulcia, sebesten.*

Gummi: *arabicum, tragacanthæ.*

Succi: *foliorum hic enarratorum, amylum,*

Aquæ: *rosarum, portulacæ, papaveris rhæad., nymphææ lactucæ.*

Syrupi: *violarum, jujubinus, papaveris albi, papaveris rhæad. cydoniorum, granatorum, rosarum siccarum.*

Conservæ: *flor. nymphææ, violarum, rosarum, malvę.*

Species: *diatragacanthi frigidi, diacydonites sine speciebus, diamargariti frigidi, diapenidii.*

Trochisci: *de spodio, de caphura.*

Pituitam calefacientia, detergentia, & attenuantia sunt

Radices: *asparagi, petroselini, apii, ruscі, acori, angelicæ, aristolochiæ, cyperi, calami aromatici, chynæ, enulæ campanæ, galangæ, ireos florentinæ, imperatoriæ, salsæ parillæ, zedoariæ, zinziberis,*

Ligna: *xylaloës, guajacum, sassafras.*

Cortices: *citri sicci, guajaci, cinnamomum, arantiorum.*

Folia: *Absinthii, agrimoniæ, betonicæ, calaminthæ, chamædrys, chamæpytis, fœniculi, hyssopi, hyperici, lauri, majoranæ, marrubii albi, menthæ, melissę, origani, pulegii, rorismarini, rutę, salviæ, serpilli, thymi.*

Semina: *anisi, apii, ameos, carduibenedicti, cumini, citri, cube-*

cubebæ, cardamomum, dauci, fœniculi, petroſelini, piperis, ſeſeleos, leviſtici, urticæ, ſinapi, pæoniæ, ſileris montani.

Flores: *anthos, betonicæ, calendulæ, centaurei minoris, hyperici, lavendulæ, lilii convallium, ſalviæ, ſtœchados.*

Fructus: *baccę lauri, juniperi, caryophylli.*

Aromata: *omnia.*

Reſinæ: *myrrha, maſtix, ſtorax, thus.*

Animal. *mel, moſchus, caſtoreum.*

Marina: *ambra, ſuccinum.*

Aquæ: *foliorum jam enumeratorum; aqua vitæ, cœleſtis, imperialis, theriacalis.*

Syrupi: *de abſinthio, byzantinus, capillorum Veneris, condituræ acori, citri, & zinziberis, hyſſopi, mel roſarum, oxymel ſimplex & ſcilliticum, de praſſio, de quinque radicibus, de ſtœchade.*

Condituræ: *rad. acori, enulæ campanæ, zinziberis, myrobalanorum, nucis muſcatæ, juglandis, cortic. citri, arantiorum, olivæ conditę.*

Conſervæ: *florum anthos, ſtœchados, ſalviæ, abſinthii.*

Pulveres & ſpecies: *aromatici roſati, dianthos, diambræ, diamuſci dulcis, diarrhodon abbatis.*

Confectiones: *aurea alexandrina, mithridatium, theriaca.*

Trochiſci: *de abſinthio, gallia & alypta moſcata, eupatorio.*

Olea deſtillata: *aniſi, cinnamomi, cumini, caryophyllorum, corticum arantiorum, fœniculi, nucis moſchatæ, macis, roriſmarini, majoranæ, ſuccini.*

Melancholiam calefacientia, humectantia, & attenuantia.

Melancholiam moderatè calefacientia, humectantia, & attenuantia, ſunt hæc ſequentia; quorum ſicciora humidioribus temperentur.

Radices: *aronis præparatæ, bugloſſæ, enulæ campanæ, filicis, polypodii quercini, ſatyrionis; rad. 5. aperientes, ſc. aſparagi, petroſelini, fœniculi, apii, ruſci; liquiritiæ.*

Cor-

Cortices: *citri, radicum capparum, mediani fraxini, tamariſci, ſambuci.*

Folia: *borraginis, bugloſſæ, becabungæ, cuſcutæ, centaurei minoris, ceterach, cochleariæ, capillorum Veneris, fumariæ, lupulorum, meliſſæ, naſturtii, ſcolopendriæ, thymi.*

Flores: 4. *cordiales, ſc. borraginis, bugloſſæ, roſarum, violarum, item nymphææ, lavendulæ, geniſtæ, leucoi, tamariſci, ſambuci, crocus.*

Semina: *aniſi, fœniculi, apii, citri, agni caſti, carduibenedicti, baſiliconis, naſturtii, petroſelini.*

Fructus: *cappares, paſſulę majores & minores.*

Gummi: *ammoniacum, lacca.*

Animal. *os de corde cervi, mel, ſericum.*

Mineralia: *chalybs præparatus.*

Aquæ: *herbarum antea commemoratarum, quæ ſunt in uſu.*

Syrupi: *de fumaria, bugloſſa, cortice citri, de 5. radicibus, capillorum Veneris, byzantinus.*

Confectio: *alkermes, theriaca.*

Conſervæ: *flor. bugloſſæ, borraginis, enulæ companæ, capillorum Veneris.*

Condituræ: *corticis citri, myrobalanorum, zinziberis.*

Species: *diambræ, diamoſci dulcis, de gemmis, lætificantis Galeni.*

Trochiſci: *de abſinthio, capparibus, gallia moſcata, dialacca, eupatorio.*

Olea deſtillata: *aniſi, fœniculi.*

Atram bilem valde refrigerantia, humectantia, attenuantia ſunt

Atram bilem refrigerantia, humectantia, & attenuantia.

Radices: *bugloſæ, borraginis, liquiritiæ.*

Folia: *borraginis, bugloſſæ, fumarię, lupuli, abſinthii romani.*

Semina: 4. *frigida majora.*

Fructus: *poma redolentia.*

Flores: *borraginis, bugloſſæ, violarum, nymphææ.*

Aquæ: *borraginis, bugloßæ, nymphææ.*

Syrupi: *violarum, bugloſſæ, pomorum redolentium.*

Conſervæ: *violarum, flor. borraginis, bugloſſæ, lactucæ conditæ.*

CAPVT VIII.

De Medicamentis Purgantibus.

ATquæ hæc de iis, quæ humores alterant, & purgationi inſtituendæ præparant.

Evacuantia. *Quæ humores evacuant, ea vel* totum corpus expurgant; qualia ſunt cathartica ſive purgantia, menſes moventia, diuretica, ſudorifera, & ſalivationem excitantia. *Vel* certam partem ab humorum colluvie liberant; qualia ſunt errhina, ſternutatoria, apophlegmatizantia, & expectorantia.

Purgantia. *Purgantia* ſive *cathartica*, talem partium peculiarem habent diſpoſitionem, qua apta ſunt *primò*, ut foris vel intus adhibita, à calore noſtro agitentur, reſolvantur, & per poros partium in venas inſinuentur, per quas ad cor delata, deinde una cum ſanguine arterioſo per totum corpus deducantur. *Secundò*, ut, ubi illa ad noxios humores hac ratione pervenerunt, eos ita incidant & præparent, ut ii deinde, à corde per arterias in inteſtinorum & ventriculi poros impulſi, à reliquo ſanguine ſeparentur, & per illos in ventriculi, inteſtinorum, vel utrorumque cavitatem deturbentur. *Tertiò*, ut illa, cum excrementis jam ibi exiſtentibus mixta, fibras iſtarum partium ita moveant, ut illo motu, per nervos in cerebrum delato, tales pori aperiantur, & ſpiritus animales ibidem ita determinentur, ut illi, in fibras ventriculi, vel inteſtinorum, vel utrorumque influentes, eaſque contrahentes, noxios humores unà cum purgantibus, per os, vel anum, vel per utrumque, foras expellant. *Per os* quidem, ſi ſpiritus in fibras expulſioni per ſupe-

ſuperiora; *per anum* verò, ſi in expurgationi per inferiora ſervientes; & denique *per utrumque meatum*, ſi ſpiritus in utraſque fibras ſatis magno impetu ferantur.

Quæ per ſuperiora purgant, *Vomitoria*; quæ per inferiora, *Cathartica* ſive *Purgantia* ſynecdochice vocantur. *Eorum differentia.*

Quoniam verò alia atque alia majore vel minore hac incidendi vel præparandi vi ſunt prædita, hinc *alia aliis mitiora*, vel *vehementiora* deprehenduntur.

Et quoniam alia aliorum humorum incidendorum & præparandorum majorem vim habent; hinc purgantium alia ſunt *cholagoga*, alia *phlegmagoga*, alia *melanagoga*, alia *hydragoga*.

Vomitoria mitiora ſunt: aqua *communis vel hordei tepida*. juſcula *pinguia*, *tepida*. butyrum *liquatum*. oleum *olivarum*. oxymel ſimplex & ſyrupus acetoſus *cum aqua tepida*. Sed ea omnia magno hauſtu ſunt exhibenda. *Vomitoria mitiora.*

Mediocria ſunt: Semen *atriplicis & anethi in decocto, ab uncia dimidia ad unciam*. Flores *anethi*, *geniſtæ*, *in decoct*: *à pugillo* j, *ad pugill*: ij. Semen *raphani*, *in decoct. ab unc. dimid. ad dragm.* vj. Succus *raphani ad unc.* iij. Rad. *peponis ad unc.* j. *in decocto*. Rad. *aſari à dragma* j. *ad ſcrupulos* iiij. Succus, *ex* x *vel* xij *foliis*, vel *ex dragm*: iij *fol. aſari contuſis*, *cum affuſo aliquo liquore*, vel *ex uncia conſervæ fol. aſari expreſſus*. Cortex *juglandis*, *uti & ejus juli in furno ſiccati*, *ad drag*: j, *cum juſculo*, *vel vino albo*. *Mediocria.*

Vehementia ſunt: Sal *vitrioli albi ad ſcrup*: j, *vel* ij, *cum liquore aliquo*. *Vehementia.*

Crocus *metallorum*, *vel* vitrum *antimonii*, *in vino ad gr.* xvj, *vel ſcrup.* j, *per noctem infuſum*.

Mercurius *vitæ*, vel turbith *minerale*, *ad gr.* vj, *vel* vij, *cum gr.* xij, *pil. aloës roſat. exhibitum*.

Purgantia *Cholagoga mitiora* ſunt: *Caſſia*, ab uncia j, ad unc: j. ſ. *Manna*, ab unc: j, ad unc: ij. *Succus roſarum* rubr: *Purgantia. Cholagoga mitiora.*

& præcipue pallidarum, ab unc: j. ſ, ad unc: iij, *Tamarindi*, ab unc: ij. ad unc: iij. *Pulvis violarum rubr.* à dragma j. ad ij.

Syrupus *roſatus ſolutivus*, Syrup. *de cichorio cum rhabarbaro*, ab unc: ij, ad iv.

Mediocria. *Mediocria* ſunt: *Aloë*, à dragma j, ad ij. Hæc corrigitur granis ij, vel iij maſtiches, vel tragacanthi, vel cinnamomi. *Rhabarbarum*, à dragm: j, ad iij; tam in ſubſtantia, quam infuſo, quo magis purgat. *Myrobalani*, à dragm: j, ad ij, in pulvere; in infuſo ab unc. ſ. ad dragm. vj; In quo minus adſtringunt. Corrigitur illorum adſtrictio, ſi fricentur cum oleo amygdal: dulcium.

Electuaria: *diacatholicum*, *diaprunum ſolutivum*, *de hiera picra Galeni*, *de ſucco roſarum*, ab unc. ſ, ad unc. j.

Pilulæ: *aureę*, *ſine quibus*, à dragm. ſ. ad dragm. j.

Pulvis: *diaturbith cum rhabarbaro*, à ſcrup. j. ad drag. j.

Fortiora. *Fortiora* ſunt: *ſcammonium*, à gr. viij. ad ſcrup. j. *extractum catholicum*, à gr. *x*, ad ſcrup. j.

Phlegmagoga mitiora. *Phlegmagoga mitiora* ſunt: *ſemen carthami*, ab unc. ſ. ad unc. j, vel ij, in decocto.

Mediocria. *Mediocria: Agaricus*, in pulv. à ſcrup. ij. ad ſcrup. iiij; in decocto vel infuſo, à ſcrup. iiij, ad dragm. iij. vel unc. ſ. *Turbith.*, à ſcrup. ij, ad iiij, in pulvere. In decocto verò à dragm. j. ad ij. *Hermodactyli*, ad dragm. j, in ſubſtantia; in decocto, ad dragm: ij, vel iij.

Trochiſci *de agarico*, à dragm. j, ad ſcrup. iv.

Electuaria: *Diaphœnicum*, *de hiera picra*, *diacatholicum*, *diacarthamum*, *hiera diacolocynthidis*, *caryocoſtinum*, *benedictum laxativum*, à dragm. v, ad unc. j.

Pilulæ: *de hiera cum agarico*, *alæphanginæ*, *cochiæ*, *fœtidæ*, *ſine quibus*, à ſcrup. ij, ad dragm. j.

Fortiora. *Fortiora*: *trochiſci alhandal*, à gr. viij, ad xv. *extractum catholicum*, à gr. x, ad ſcrup. j.

Melanagoga mediocria. *Melanagoga mediocria* ſunt: *ſenna*, in ſubſtantia ad drag. j; in

j; in infuso vel decocto, à dragm. ij, ad drag. iv. v. vel vj. *Polypodium*, à dragm. ij, ad unc. ſ. in decocto.

Electuaria: *diacatholicum*, à dragm. vj. ad unc. j. *confectio Hamech*, à dragm. iij, ad vj.

Pulvis: *diaſenna*, à ſcrup. ij, ad dragm. j.

Fortiora: *radix Hellebori nigri*, in ſubſtantia à gr. viij, ad xv. Sed præſtat eam decoquere à dragm, j. ad ij. *Fortiora.*

Pilulæ: *extracti catholici*, à gr. x, ad ſcrup. j.

Hydragoga mitiora ſunt: *ſemen ebuli*, ad dragm. j. *cortex medianus ebuli*, ad dragm, ij. *Succus ebuli*, ab unc. ſ. ad unc. j, *Sambuci ſemen, cortex, & ſuccus*, idem præſtant. *Hydragoga mitiora.*

Mediocria ſunt: radices *mechoacannæ, ſalappæ*, à dragm. j ad ij, in pulvere cum liquore infuſæ: *reſina ſalappæ*, à ſcrup. j. ad dragm. ſ. *Mediocria.*

Electuarium: *diacarthamũ, diaphœnicum*, ab unc. ſ. ad unc. j.

Pulvis: *diaturbith cum rheo*, ad dragm. j, *de hiera ſimpl. Gal.* ad dragm. j.

Vehementiora: *ſoldanellæ pulv.* à dragm. j. ad ij. *ſoldanellæ ſuccus*, ab unc. ſ. ad unc. j. *Pulv. rad. iridis*, à dragm. j. ad dragm. ij. *Succus rad. iridis recentis*, ab unc. ſ. ad unc j. cum vino. *Elaterium*, à gr. viij, ad xvj. *Eſula* à gr. viij, ad xii, *Chamelæa & Thymelæa*, à gr. v, ad ſcrup. ſ. *Vehementiora.*

Menſes moventia ſunt, quæ calefaciendi, incidendi, detergendi, & aperiendi vi, ſanguinem attenuando, obſtructioneſque vaſorum & pororum uteri aperiendo, menſtruum fœminarum fluxum excitant, totumque corpus per uterum purgant. Horum quæ fortiora ſunt, etiam ſecundinas & fœtum mortuum expellunt. Talia ſunt *Menſes moventia.*

Radices: *ari, ariſtolochiæ, aſari, bryoniæ, cyperi, cyclaminis, centaurei min, dictamni, gentianæ, gladioli, iridis, lauri, liliorum, pæoniæ, ſeſeli, valerianę.*

Folia: *abrotani, artemiſiæ, cardiacæ, matricariæ, majoranæ, meliſſæ, mentaſtri, ocymi, origani, polii montani, praſſii,*

ſabinæ, ſcarleæ, ſcordii, ſalvia, ruta, trifolium odoratum.

Semina: *agni caſti, amomi, ameos, baſiliconis, nigellæ, pæoniæ, rutæ.*

Flores: *abrotani, camomillorum, calendulæ, centaurei min., hyperici, keiri ſiccati, juli juglandium, matricariæ, meliloti, ſpicæ nardi.*

Gummi: *aſſa fœtida, bdellium, galbanum, myrrha, opoponax, ſagapenum, ſtyrax calamita.*

Aromata: *omnia, inter quæ præcipua crocus & cinnamomum.*

Animalia: *caſtoreum, pulvis teſticulorum equinorum in furno exſiccatorum, ſecundina ovis exſiccata in furno, ad dragm.* j.

Mineralia: *borax nativa, ad ſcrup.* j.

Aquæ: *artemeſiæ, cinnamomi.*

Syrupus: *de artemiſia, de hyſſopo.*

Olea ſtillatitia: *caſtorei, ſabinæ, cinnamomi, de myrrha.*

Trochiſci: *de myrrha, ad dragm.* j. *in pilulis.*

Externa: *olea liliorum, camomillæ; fel bubulum; cucumis ſilveſtris, colocynthis in peſſario.*

Ungulæ equi vel aſini ſuffitus fœtum & ſecundinas evocat & expellit.

Diuretica. *Diuretica*, ſive urinas moventia, *alia* ſunt calida, *alia* frigida,

Calida. *Diuretica calida* ſunt, quæ caliditate & ſiccitate, interdum ad tertium gradum aſcendente, ac partium acumine & tenuitate, in vaſa penetrando, ibique ſanguinem liquando, incidendo, & diſſolvendo, efficiunt, ut, ſanguine vi cordis continuò in renes propulſo, copioſum ſerum ibidem ab illo ſeparetur, ad veſicam deturbetur, & per urethram excernatur. Talia ſunt

Radices: *apii, aſari, calami aromatici, cyperi, dauci, eryſimi, fœniculi, ononidis, petroſelini, raphani, rubiæ, ruſci, ſaxifragiæ, valerianæ.*

Fo-

Folia: *absinthii, apii, betonicæ, calamenthæ montanæ, lauri, nasturtii, petroselini, pulegii, satureiæ, serpilli.*

Flores: *camomillæ, genistæ.*

Cortices: *genistæ, raphani.*

Semina: *anisi, apii, cardamomum, cerefolii, cicera rubra, cubebæ, dauci, fœniculi, baccæ juniperi, levistici, milii solis, petroselini, saxifragiæ, seseli, urticæ.*

Fructus: *amygdalæ amaræ.*

Resinæ: *therebinthina, laricea.*

Liquores: *vinum album.*

Animalia: *cantharides ad gr.* ij, *vel* iij, *cum jusculo pingui, in quo decocta est malva vel althæa; locustæ ad scrup.* ij.

Aquæ: *fœniculi, apii.*

Syrupi: *de quinque radicibus.*

Species: *lithontribon Nicolai.*

Conservæ: *flor. genistæ, betonicæ, absinthii.*

Diuretica frigida sunt, quæ frigiditate & humiditate sua calorem & siccitatem sanguinis temperando, & vias urinarias leniendo, ac partibus suis detergentibus serum à reliquo sanguine separando, illud copiosum ad vias urinarias, vi cordis, propellunt. Talia sunt *Frigida.*

Rad: *althææ, asparagi, acetosæ, eryngii, fragorum, graminis, malvæ, liquiritiæ, oxylapathi.*

Folia: *acetosæ, asparagi, capillor. Veneris, herniariæ, parietariæ.*

Semina: 4. *frigida majora, acetosę, alkekengi.*

Fructus: *fraga, nuclei cerasorum, ossicula mespilorum, limones, pepones, cucumeres, cucurbitę.*

Succi: *limonum, parietariæ.*

Gummi: *camphora.*

Aqua: *acetosæ, parietariæ, hordei, acidulæ.*

Syrupi: *de succo acetosæ, capillorum Veneris, limonum.*

Tuochisci: *de camphora.*

Sal:

Sal: *prunellæ, à dragm ſ. ad dragm j. cum ſyr. liquiritiæ vel violaceo.*

Sudorifera.

Sudorifera ſunt, quæ calore & tenuitate partium penitiores corporis poros penetrant, & humores incidunt, attenuant, rarefaciunt, & in halitum convertunt, & quicquid obvium eſt, ſecum deferunt, & in ſumma corporis propellunt; ubi illa, in ſenſibilem ſudoris liquorem condenſata, erumpunt. Talia ſunt

Radices: *apii, angelicæ, bardanæ, chynæ, fæniculi, lupuli, petroſelini, pimpinellæ, quinquefolii, ſalſæparillæ, tormentillæ, zedoariæ.*

Ligna: *buxi, guajacum, juniperi, ſaſſaphras.*

Folia: *carduibenedicti, capillorum Veneris, chamædrys, chelidonii majoris, cerefolii, fumariæ, pimpinellæ, ſcabioſæ, violæ matronalis.*

Flores: *camomillæ.*

Semina: *hordeum, milii, lentium.*

Succi: *rob ſambuci, ebuli.*

Terra: *ſigillata, bolus armenus verus.*

Animalium partes: *cornu cervi, lapis bezoar.*

Pulveres chymici: *ſal abſinthii, fraxini, ſcabioſæ, ad gr.* x, *vel* xij, *cum aqua ſcabioſæ vel carduibenedicti, antimonium diaphoreticum, mercurius diaphoreticus, ad gr.* iv. v. *vel* vj.

Syrupus: *Sancti Ambroſii, qui ex milio, in æqualibus partibus vini & aquæ decocto, fit,*

Aquæ: *carduibenedicti, cerefolii, fumariæ, florum ſambuci.*

Electuaria & opiatæ: *theriaca, mithridatium, electuarium de ovo, diaſcordium.*

Salivationem excitantia.

Salivationem excitant, quæ peculiari ſuâ incidendi vi, non tantum humores pituitoſos, acres & viſcidos totius corporis incidunt & attenuant, ſed etiam eos ita adaptant, ut ope tonſillarum, aliarumque ſpongioſarum oris partium,

tium, ubi à corde in illas per sanguinis circulationem sunt propulsi, à reliquo sanguine seperentur, & formâ salivæ in os defluant.

Talia sunt: *argentum vivum*, & quæ ex illo fiunt; ut *mercurius præcipitatus, mercurius vitæ, turbith minerale, pilulę mercuriales sive de barbarossa, unguentum mercuriale, &c.*

Errhina sive *nasalia* sunt, quæ sua caliditate, & vi extergente & acri, pituitam, circa cerebri meninges & nares hærentem, incidendo & attenuando ac dissolvendo, citra manifestam cerebri agitationem, è naribus proliciunt. *Errhina.*

Eaque sunt vel sicca, vel humida.

Sicca sunt: Pulvis, *acori, castorei, croci, caryophyllorum, elaterii, hellebori albi & nigri, nucis moschatæ, piperis albi, pyrethri, zinziberis.* *Sicca.*

Radices: *cyclaminis, & betæ, instar turundæ naribus insertæ.*

Folia: *nicotianæ vel tabaci siccata, & naribus indita.*

Fumus: *majoranæ, hyssopi, & thymi, item tabaci, ore per fistulam haustus.*

Humida sunt: Succus, *anagallidis purpureæ, betæ, brassicæ, betonicæ, chelidoniæ majoris, cyclaminis, cucumeris silvestris, radicis iridis, hederæ arboreæ, hyssopi, majoranæ, marrubii, nicotianæ, nigellæ, origani, pulegii, salviæ, sabinæ, sambuci.* *Humida.*

Mel: *rosatum, anthosatum, oxymel simplex & scylliticum.*

Syrupus: *de hyssopo.*

Confectio: *anacardina, aurea alexandrina, mithridatium, theriaca, mostarda.*

Olea: *ex piperibus, ireos.*

Sternutatoria sive *ptarnica* sunt, quæ majori, quam errhina, prædita acrimoniâ, tantopere pituitam circa nares ebullire, spirituſque à cerebro affluere faciunt, ut pituita *Sternutatoria.*

magnâ vi tum expellatur, tum erumpat. Talia sunt

Radices: *ireos florentinæ, hellebori albi & nigri, pyrethri, zinziberis.*

Folia: *tabaci pulverisata, betonicæ, majoranæ, salviæ, quæ correctionis gratiâ aliis fortioribus adduntur.*

Fructus: *piper album.*

Gummi: *Euphorbium.*

Animalia: *castoreum.*

Apophlegmatizantia.

Apophlegmatizantia sunt, quæ masticata, gargarizata, vel palato illita, calore suo & acrimoniâ materiam pituitosam, capite conceptam, attenuant, liquant, & in os effundunt. Talia sunt.

Radices: *acori, angelicæ, ireos, costi, cyperi, gentianæ, galangæ, imperatoriæ, pyrethri, valerianæ, zinziberis.*

Cortices: *radicum capparum, arantiorum.*

Aromata: *cubebæ, nux moscata, caryophylli, piper, grana paradisi.*

Folia: *lauri, hyssopi, lepidii, hydropiperis, majoranæ, nasturtii, nicotianæ, tabaci.*

Semina: *anisi, fœniculi, sinapi, staphidis agriæ, thlapsi, seseli, sileris montani.*

Fructus: *ficus, passulæ, amigdalæ amaræ, baccæ juniperi, lauri.*

Gummi: *mastix, ammoniacum, myrrha.*

Animale: *castoreum, cera.*

Expectorantia.

Expectorantia sive *bechica* sunt, quæ vel attenuando, vel incrassando, & leniendo, ea quæ in pulmonibus continentur, ad expectorandum apta reddunt.

Atque ideo ea sunt attenuantia, & incrassantia; tum calida, tum frigida.

Quæ attenuant.

Expectorantia, quæ attenuant, sunt Radices: *aristolochiæ utriusque, althææ, angelicæ, helenii, ireos, scilla, cepa, zinziber.*

Folia: *adianthi, capilli Veneris, calaminthæ, hederæ terrestris,*

reſtris, hyſſopi, nicotianæ, origani, pulegii, pulmonariæ, praſſii, ſcabioſæ, ros ſolis, tuſſilago.

Semina: *aniſi, braſſicæ, carthami, fœniculi, naſturtii, ſeſeli maſſilienſis, ſileris montani, urticæ.*

Baccæ: *lauri, juniperi.*

Flores: *anthos, camomillæ, ſcabioſæ, crocus.*

Fructus: *amygdalæ amaræ, caricæ, cappares.*

Reſinæ: *myrrha, terebinthina.*

Animal. *mel, pulmo vulpis exſiccatus.*

Chymica: *flores ſulphuris, oleum ſulphuris.*

Aquæ: *carduibenedicti, hyſſopi, tuſſilaginis, ſcabioſæ.*

Syrupi: *capillorum Veneris, hyſſopi, praſſii, tuſſilaginis, oxymel ſimplex & ſcilliticum.*

Conſervæ: *enulæ campanæ, capillorum Veneris, anthos, tuſſilaginis.*

Pulveres: *diaireos ſimpl. & Salomonis, diacalaminthæ.*

Loch: *de pulmone vulpis, ſanum & expertum.*

Externa ſunt: olea; *amygdalarum amararum, ireos, camomillæ.*

Unguenta: *reſumtivum, althææ.*

Emplaſtrum: *filii zachariæ.*

Expectorantia incraſſantia & lenientia ſunt: Radices *liquiritiæ.* *Quæ incraſſant & leniunt.*

Semina: 4. *frigida majora, papaveris albi, lactucæ, malvæ, hordeum.*

Flores: *nymphææ, violarum, papaveris rhæadis.*

Fructus: *amygdalæ dulces, dactyli, jujubæ, nuclei pineorum, piſtachia, pruna dulcia, paſſulæ.*

Succus: *liquiritiæ, amylum, penidia, opium ad pauca grana.*

Animal. *butyrum.*

Aquæ: *violarum, papaveris rhæad., nymphææ.*

Syrupi: *de liquiritia, jujubis, nymphææ, papaveris rhæadis, violarum, papaveris albi, mel violarum.*

Conſervæ, *violarum, nymphææ.*

Species: *diatragacanthi frigidi, diapenidii.*

Trochiſci: *bechici.*

Externa ſunt: olea; *violarum, nymphææ, amygdalarum dulcium.*

Unguentum: *roſaceum.*

CAPUT IX.

De Medicamentis, quæ certis partibus ſunt dicata.

Medicamenta certis partibus dicata. Ac primum capiti.

POſt ea, quæ humores certos alterant & evacuant, proponenda ſunt *medicamenta, quæ certis partibus*, nempe capiti, thoraci, abdomini, & artubus, *conveniunt.*

Medicamenta *capitis* ſunt cephalica, opthalmica, otica, & odontica.

Cephalica calida.

Cephalica calida, quibus affectus cerebri frigidi curantur, ſunt

Radices: *ariſtolochiæ, ācori, calami aromatici, cyperi, galangæ, pæoniæ maris, iridis florentinę, viſcum quercinum, zedoariæ.*

Folia: *betonicæ, calaminthæ montanæ, centaurei minoris, hyſſopi, lauri, lavendulæ, myrthi, meliſſæ, ocymi, origani, primulæ veris, roriſmarini, ſatureiæ, ſalviæ.*

Ligna & cortices: *cortex citri, guajaci, ſaſſaphras, xylaloë.*

Semina: *coriandri, fæniculi, baccæ juniperi, lauri, myrthi, grana kermes, pæoniæ, nigellæ ſemen, ſileris montani.*

Flores: *ſtœchados arabicæ, lilii convallium, tiliæ, ſpicæ nardi, centaurei minoris, betonicæ, anthos, meliloti, camomillæ, ſalviæ.*

Fructus: *anacardia; ſed caveatur nimius calor.*

Aromata: *cubebæ, cardamomum, cinnamomum, garyophylli indici, macis, nux moſchata, piper, zinziber.*

Reſinæ: *benzoin, maſtix, ſtyrax, thus.*

Animal. *caſtoreum, cinis hirundinum, moſchus, ſtercus pavonis.*

Mari-

Marina: *ambra, succinum.*

Aquæ: *stillatitiæ foliorum superius enumeratorum officinales; aqua vitæ cum castoreo, theriacalis, imperialis, cæleſtis, cinnamomi.*

Oleachymica: *nucis moſchatæ, cinnamomi, garyophyllorum, majoranæ, roriſmarini, ſuccini.*

Syrupi: *de ſtœchade, betonicâ, mel anthoſatum, roſatum, oxymel ſimplex & compoſitum.*

Conſervæ: *flor. anthos, betonicæ, ſalviæ, ſtœchados, tiliæ.*

Condita: *corticum citri, acori, myrobalanorum, nucis moſchatæ, coriandrum ſaccaro obductum.*

Confectiones: *aurea alexandrina, mithridatium, theriaca.*

Species: *aromatici roſati, dianthos, diambræ, diamoſci dulcis, diarrhodon abbatis.*

Trochiſci: *de carabe, galliâ moſcatâ.*

Externa: oleum; *myrtinum, rutaceum, laurinum, nardinum, nucis moſchatæ per expreſſionem factum.*

Emplaſtra: *de betonica, de baccis lauri, de vigo cum mercurio.*

Cephalica frigida, affectibus cerebri calidis & ſiccis, ut phrenitidi, aliiſque ſimilibus medendis, convenientia, ſunt *Frigida.*

Ligna: *ſantala citrina, rubra, alba.*

Flores: *roſarum, violarum, nymphææ.*

Folia: *acetoſæ, lactucæ, portulacæ, violariæ, cucumeris, capreoli vitium.*

Semina: 4. *frigida majora, lactucæ, pſyllii, papaveris albi.*

Succi: *citri, granatorum, ribes, acetum, omphacium, opium.*

Gummi: *camphora.*

Aquæ: *lactucæ, portulacæ, papaveris rhæad., nymphææ, roſarum.*

Syrupi: *violarum, de papavere.*

Conſervæ: *caulium lactucæ, cucurbitæ, violarum, roſarum, nymphææ.*

Species : *diamargariti, diatriumſantalôn, diatragacanthi frigidi, diarrbodon abbatis.*

Trochiſci : *de caphura.*

Ophtalmica. *Opthalmica alia* viſum acuunt; *alia* in inflammationibus oculorum repellunt & dolorem ſedant : *alia* in iis digerunt & diſcutiunt; *alia* maculas, ulcera, & ſuffuſiones detergunt.

Viſum acuentia interna. *Viſum* acuentia *interna* ſunt.

Radices : *fœniculi, chelidoniæ majoris, caryophyllatæ, valerianæ.*

Folia : *euphraſiæ, chelidoniæ, fumariæ, fœniculi, verbenæ, rutæ, hormini.*

Semina : *ſileris montani, raparum, raphani, fœniculi, carui.*

Succi : *fœniculi, euphraſiæ, verbenæ, majoranę, rutæ,*

Aquæ ſtillatitiæ : *euphraſiæ, verbenæ, chelidoniæ, fœniculi, rutæ.*

Vinum : *euphragiatum.*

Externa ſunt : *aquæ ſtillatitiæ jam dictæ, aqua mellis, urina pueri impubis, fel.*

Antimonii dragma, in unciis quatuor aquæ alicujus ſtillatitiæ jam enarratæ infuſa.

Succi : *prædicti oculis inſtillati.*

Repellentia. *Repellentia* ſunt: Aquæ; *roſarum, plantaginis, myrtillorum, violarum, portulacæ, ſolani.*

Succi : *cydoniorum, pomorum acidorum, granatorum, albumen ovi.*

Mucilago : *ſeminis cydoniorum.* Pulpa *cydoniorum cocta in aqua adſtringente, qualis eſt roſarum, plantaginis, vel peculi roſarum.*

Dolorem ſedentia. *Dolorem* ſedant : Mucilagines; *ſeminis pſylii, ſeminis papaveris albi, ſeminis cydoniorum.*

Aqua : *roſarum, peculi roſarum, plantaginis, ſolani, ſempervivi majoris, portulacæ.*

Lac:

Lac: *muliebre.* Albumen *ovi agitatum in aquam.*
Poma: *dulcia, ſub cineribus vel in lacte cocta.*
Succus: *pomorum.*
Medulla panis: *macerata & cocta in lacte cum gr.* iv. *croci.*
Trochiſci: *albi Rhaſis.*
Opii *grana pauca, in extremo dolore, collyriis liquidis addita.*

Diſcutientia ſunt: decocta; *fœnigræci, chamomillæ, meliloti.* *Diſcutientia.*
Fotus & vapor *ex iiſdem, & ex iis, quæ viſum acuunt.*
Aquæ: *aqua vitæ, euphraſiæ.*
Animalium partes & excrementa: *lac muliebre, ſanguis columbarum & turturum, pennæ pipionum ſanguine plenæ & in oculum expreſſæ, fel piſcium.*
Gummi: *ſarcocolla in lacte nutrita.*
Reſinæ: *myrrha, thus.*
Succi: *aloë, omphacium.*
Flores: *crocus.*

Detergentia alia ſunt *leviora* ſine morſu: Talia ſunt; *ſaccharum candum, mel, ſuccus roſarum rubrarum, antimonium lotum, cadmia, pompholix, tuthia, os ſæpiæ, lapis pumicis, ceruſſa lota, plumbum uſtum & lotum, trochiſci albi Rhaſis, unguentum de tuthia.* *Detergentia ſine morſu.*

Alia validiora cum morſu, in ſuffuſione, panniculo, & interdum in ulceribus oculorum adhidenda: Talia ſunt; *fella piſcium, quæ mitiora; quadrupedum, quę media; & avium, quæ fortiſſima. & inter hæc fel perdicum eſt validiſſimum; ſuccus chelidoniæ, fœniculi, aqua mellis.* *Cum morſu.*

Alia ſunt fortiſſima: Talia ſunt; *Vitriolum uſtum, ærugo, vitriolum album cum albumine ovi ad pruritum aculorum; antimonium crudum.* *Fortiſſima.*

Otica ſive *acouſtica* ſunt, quæ, humorem vel vaporem, in interiore aure contentum, alterando, abſumendo, & diſcutiendo, auditum juvant. *Auditum juvantia.*

Ea-

Interna. *Eaque* ſunt interna, *vel* externa. *Interna* ſunt cephalica, tum calida, tum frigida, ſuperius propoſita; quorum illa affectibus frigidis; hæc calidis humoribus, critice ad aures tranſlatis, conducunt.

Externa calida. *Externa* otica etiam ſunt calida, vel frigida.

Calida ſunt: aquæ; *aqua vitæ ſimplex, aqua vitæ compoſita ex cephalicis.* Vinum, *in quo macerata eſt radix raphani, porri, ceparum, cyclaminis, hellebori albi, item caſtoreum, crocus, nitrum, fel vaccinum.*

Decocta: *ex iiſdem facta in aqua vitæ, vel aceto ſimplici aut ſcillitico.*

Succi: *ceparum, porri, raphani, rutæ, fraxini.*

Olea: *amigdalarum amararum.*

Olea chymica: *ſalviæ, rutæ, ſeminis cumini, carui, fœniculi, baccarum lauri, ſpicæ.*

Pinguedo: *quæ diſtillat ab anguilla, dum in veru aſſatur.*

Moſchus *cum lana bombicina auri impoſitus.*

Externa frigida. *Frigida* externa ſunt: olea; *nymphææ, roſarum, violarum.*

Lac: *muliebre tepidum.*

Succus: *vitium amputatarum lacrymæ.*

Decocta: *roſarum, malvæ, violarum, ſalicis, lactucæ, nymphææ.*

Dentes roborantia & detergentia. *Odontica* ſunt, quæ dentes roborant, eoſque detergunt, & dealbant. Eaque dentifriciis materiam ſuppeditant. Talia ſunt

Herbæ & folia in cineres converſa: *pimpinellæ, parietariæ, betæ, capilli Veneris, myrthi, lentiſci, oleaſtri, pulegii, origani, hyſſopi, menthæ, ſalviæ, roriſmarini.*

Radices: *ireos, lignum aloës.*

Ex animalibus: *os ſepiæ, oculi cancri, cornu cervi, conchæ, omnes cochlearum terreſtium teſtæ.*

Lapides: *pumex, lapis ſpongiæ, alabaſtrum, lapis ſpecularis.*

Oſſa

Ossa usta: *dactylorum, myrobalanorum, olivarum.*

Marina: *corallia, spuma maris.*

Succi terrestres: *sal commune, sal gemmę, alumen, nitrum, tartarum vini albi.*

Gummi: *mastix, myrrha, thus.*

Medicamenta, *quæ thoraci conveniunt*, sunt cardiaca, vel pneumonica., Eaque vel calida, vel frigida. *Thoraci conveni-entia.*

Cardiaca sunt, quæ attenuantibus, incidentibus, & volatilibus suis particulis cor corroborant, malignitates cordi noxias corrigunt, eique spiritus suppeditant. *Cardiaca.*

Cardiaca *calida* sunt Radices: *angelicæ, doronici, dictamni, garyophillatę, gentianæ, imperatoriæ, pentaphylli, petasitidis, scorzoneræ, zedoariæ.* *Calida.*

Cortex: *arantiorum, citri.*

Lignum: *xylaloes.*

Folia: *abrotani, carduibenedicti, cardiacæ, basiliconis, lavendulæ, menthæ, melissæ, ocymi, polii, rorismarini, scabiosæ.*

Semina: *citri, cardui benedicti, baccæ juniperi, thymi.*

Flores: *anthos, melissæ, lilii convallium.*

Fructus: *grana kermes.*

Aromata: *caryophylli, cinnamomũ, macis, spica nardi, crocus.*

Resinæ: *thus, styrax, benzoin, mastiche.*

Marina: *ambarum, succinum.*

Animal: *lapis bezoar, sericum crudum, moschus, zibeta.*

Aquæ: *carduibenedicti, melissæ, rorismarini, scabiosæ, cinnamomi, salviæ, theriacalis, imperialis, aqua vitæ.*

Olea chymica: *cinnamomi, caryophyllorum, nucis moschæat.*

Conservæ: *cortices citri conditi, nux moscata condita, conserv. fl. anthos, melissæ.*

Confectiones: *alkermes, theriaca, mithridatium.*

Species: *aromatici rosati, diambræ, diamoschi, de gemmis, lætificantis Galeni.*

Trochisci: *de gallia & alipta moschata.*

Frigida. Cardiaca *frigida* sunt Radices: *acetosæ, buglossæ, bistortæ, tormentillæ.*

Ligna: *santala omnia.*

Folia: *acetosæ, trifolii acetosi, borraginis, buglossæ, myrthi, oxylapathi.*

Semina: *acetosæ, plantaginis, cydoniorum.*

Flores: *rosarum rubrarum, violarum, buglossæ, borraginis, nymphææ.*

Fructus: *cerasa acida, poma redolentia, citria, cydonia, ribes, limones.*

Succi: *acetosæ, & reliquarum herbarum, quarum meminimus.*

Gummi: *camphora.*

Animalia: *lapis bezoar, cornu cervi, ebur, os de corde cervi, spodium, unicornu.*

Mineralia: *bolus armenus, terra sigillata.*

Aquæ: *rosarum, violarum, buglossæ, nymphææ, acetosæ, borraginis.*

Syrupi: *acetosus, citri, granatorum, limonum, agrestæ, de succo acetosæ, cerasorum, de pomis redolentibus.*

Conserva: *rosarum, fol. acetosæ, fl. borraginis.*

Condita: *limones conditi, ribes, cerasa acida condita.*

Species: *diamargariti frigidi, diatrium santalôn.*

Confectio: *de hyacintho.*

Trochisci: *de spodio.*

Unguenta: *rosaceum, santalinum.*

Pneumonica. *Pneumonica* sunt medicamenta, quæ intemperiebus pulmonum corrigendis conducunt; eaque sunt eadem cum bechicis, tum calidis, tum frigidis, antehac explicatis.

Medicamenta imi ventris; Medicamenta *abdomini dicata* sunt stomachica, flatus intestinorum discutientia, vermes eorum necantia & expellẽtia, hepatica, splenica, nephritica, cystica, & hysterica.

Stomachica. *Stomachica* sunt, quæ mediocriter aperiendo, incidendo,

do, & nonnihil adstringendo, functiones ventriculi juvant. Eaque sunt vel calida, vel frigida.

Calida sunt Radices: *calami aromatici, cyperi, galangæ, gentianæ, zedoariæ.* Calida.

Cortices: *arantiorum, citri.*

Lignum: *aloës.*

Folia: *absinthii, betonicæ, menthæ, origani, rorismarini, salviæ.*

Semina: *anisi, citri, coriandri, cumini, fœniculi.*

Flores: *betonicæ, anthos, salviæ.*

Fructus: *amygdalæ amaræ, nuclei persicorum.*

Gummi: *mastiches.*

Aromata: *cinnamomum, piper, zinziber, caryophylli, nux moschata, macis, & reliqua omnia.*

Marina: *ambarum, succinum.*

Aquæ: *dictorum foliorum, item cinnamomi, aqua vitæ, spiritus anisi.*

Olea destillata: *anisi, cinnamomi, macis, nucis moschatæ cumini, succini.*

Syrupi: *de absinthio, menthæ, betonicæ.*

Conservæ: *flor. absinthii, betonicæ, salviæ.*

Condita: *cortex citri, acorus conditus, nux moscata, nux juglans, zinziber conditum.*

Confectiones: *alkermes, mithridatium, theriaca.*

Species: *aromatici rosati, diambræ, diagalangæ, diacydonium cum speciebus.*

Trochisci: *de absinthio, de rhabarbaro, de gallià moschatâ.*

Externa. olea: *absinthii, menthæ, mastiches, nucis moschatæ per expressionem, nardinum.*

Emplastra: *de baccis lauri, pro stomacho, de mastiche.*

Stomachica frigida sunt Radices: *acetosæ, cichorii, plantaginis.* Frigida.

Folia: *acetosæ, endiviæ, cicerbitæ, cichorii, copilli Veneris, dens leonis, myrthi.*

Semina: 4. *frigida majora & minora*, *hordeum*, *myrthi*.
Flores: *cichorii*, *rosarum rubr.*, *balaustia*, *cytinus*.
Ligna: *santala omnia*.
Fructus: *berberis*, *cydonia*, *granata*, *cerasa*, *mespila*, *fraga*, *sorba*, *malum citrium*, *aurantium*, *myrobalani omnes*.
Succi: *foliorum & fructuum jam propositorum*.
Gummi: *camphora*.
Marina: *corallium*.
Aquæ: *rosarum*, *plantaginis*, *acetosæ*.
Syrupi: *de agresta*, *cydoniorum*, *granatorum*, *myrthinus*, *de succo acetosæ*, *miva cydoniorum*.
Condita: *cerasorum*, *cydoniorum*, *ribes*, *berberum*.
Species: *diatriumsantalôn*, *diarrhodon abbatis*, *diamargariti frigidi*.
Trochisci: *de camphora*, *spodio*, *eupatorio*.
Externa. Olea: *lentisci*, *cydoniorum*. Unguentum: *rosatum*.

Flatus discutientia.

Flatus ex ventriculo, intestinis, & utero *discutiunt*, quæ calefaciendo, attenuando, & aperiendo, humores & vapores insensibili per poros discussioni aptos reddunt. Talia sunt

Radices: *angelicæ*, *galangæ*, *imperatoriæ*, *spicæ indicæ*.
Cortices: *arantiorum*.
Folia: *lauri*, *calaminthæ*, *origani*, *anethi*, *majoranæ*, *hyssopi*, *pulegii*, *rutæ*, *menthæ*, *ocymi*, *thymi*.
Semina: *anisi*, *fæniculi*, *carui*, *cumini*, *dauci*, *ameos*, *petroselini*, *agni casti*, *angelicæ*, *citri*, *aurantiorum*.
Flores: *camomillæ*, *centaurei minoris*.
Fructus: *baccæ lauri*, *juniperi*.
Aromata: *macis*, *crocus*, *cinnamomum*, *garyophylli*, *piper*, *zinziber*.
Animal. *Castoreum*.
Aquæ: *cinnamomi*, *vitæ*, *spiritus anisi*.
Olea destillata: *anisi*, *carui*, *camomillæ*, *fæniculi*.

Ele-

Electuaria: *de baccis lauri, mithridatium, diatessaron, theriaca.*

Species: *diacymini, diagalangæ, rosatæ novellæ.*

Externa. Olea: *absinthii, rutæ, menthæ, laurinum.*

Emplastrum *de meliloto.* Cataplasma & sacculi *ex herbis, seminibus, & floribus prædictis.*

Cucurbita *magna, ventriculo vel abdomini cum flamma adhibita.*

Vermes intestinorum necantia, & eorum generationem impedientia sunt, quæ peculiari quadam siccandi, incidendi, & detergendi, ac irritandi facultate, vermes occidunt, expellunt, & generari prohibent. Talia sunt *Vermes necantia.*

Radices: *aristolochiæ, asclepiadis, anchusæ, bistortæ, dictamni albi, gentianæ majoris, filicis, helenii, succisæ, rabarbari, rubiæ, petasitidis, tormentillæ, zodoariæ.*

Cortices: *rad. mori & capparum.*

Folia: *absinthii, thymi, menthæ, rutæ, dentis leonis, polii, marrubii, calaminthæ, persicariæ, cardui benedicti, cardiacæ, persici.*

Flores: *centaurei minoris, hyssopi, lupulorum.*

Semina: *contra lumbricos, lupinorum, coriandrum præparatum, portulacæ, citri, arantiorum, anethi, hedysari, nigellæ, nigellastri, nasturtii, erucæ, napi, levistici, acetosę, porri, cannabis, baccæ lauri.*

Gummi: *juniperi, myrrha.*

Animal. *rasura cornu cervi, rasura eboris, pulvis lumbricorum terrestrium, astragali bovis.*

Terræ: *bolus armenus, terra sigillata.*

Mineralia: *sulphur, nitrum, argentum vivum ad gran.* x.

Marina: *corallina, corallum rubrum.*

Succi: *herbarum, jam enarratarum, limonium, portulacæ, omphacium.*

Aquæ: *absinthii. gentianæ, graminis, portulacæ, raphani, rutæ, menthæ, endiviæ, cichorii.*

Condita: *corticum arantiorum, citri.*

Syrupi: *absinthii, endiviæ, cichorii, de succo citri, arantiorum, berberis, ribes, de succo acetosæ, byzantinus.*

Conservæ: *flor. persicorum & garyophyllorum, arantiorum, citri.*

Olea: *olivarum, amigdalarum amararum, nucleorum persicorum, vitrioli gutt.* ij, iij, *vel* iiij.

Confectiones: *theriaca, mithridatium.*

Externa. olea: *absinthii, rutæ, oleum in quo colocynthis est cocta, oleum laurinum.*

Unguenta: *de arthanita.*

Fella *umbilico & ventri imposita & inuncta.*

Hepatica. *Hepatica* sunt, quæ incidendo, abstergendo, & leviter adstringendo, intemperies & obstructiones hepatis tollunt. Eaque sunt calida, & frigida.

Calida. *Calida* sunt radices: *calami aromatici, cyperi, enulæ campanæ, peucedani, rhabarbari.*

Folia: *absinthii, agrimoniæ, betonicæ, chamedrys, chamæpitys, fumariæ, lupulorum, marrubii, menthæ, roris marini, schænanthi.*

Semina: 4. *calida majora.*

Flores: anthos, centaurei minoris, spicæ nardi.

Aromata: *garyophylli, nux muscata, zinziber.*

Fructus: *pistachia, passulæ.*

Aquæ: *betonicæ, absinthii, menthæ.*

Syrupi: *absinthii, agrimoniæ, betonicæ, byzantinus, fumariæ, menthæ.*

Condita: *acori, nucis juglandis, nux muscata condita.*

Confectiones: *theriaca, mithridatium.*

Conservæ: *flor. anthos, absinthii, enulæ campanæ, salviæ.*

Species: *aromatici rosati, diambræ, diarrhodon abbatis, lætificantis Galeni.*

Trochisci: *absinthii, eupatorii, dialaccæ, de rhabarbaro.*

Ex-

Externa. Olea: *absinthii, nardinum, mastichinum, menthæ, nucis moscatæ per expressionem.*

Hepatica frigida sunt radices: *acetosæ, asparagi, cichorii, graminis, rusci.* *Frigida.*

Ligna: *santala omnia.*

Folia: *acetosæ, adianthi, bugulæ, chondrillæ, cichorii, endiviæ, hepaticæ, lactucæ, portulacæ.*

Semina: 4. *frig. maj., acetosæ, cichorii, endiviæ, lactucæ, portulacæ.*

Flores: *cichorii, nymphææ, rosarum rubrarum.*

Fructus: *berberis, mala cydonia, granata acid., poma acida, cucumeres, cucurbitæ.*

Succi: *cydoniorum, acetosæ, cichorii, endiviæ, limonum, omphacium.*

Animalia: *ebur, spodium.*

Marina: *corallia.*

Aquæ: *acetosæ, agrimoniæ, cichorii, endiviæ, graminis, rosarum.*

Syrupi: *de cichorio, de granatis, de limonibus, byzantinus, de 5. radicibus, de succo acetosæ, rosarum siccarum.*

Conservæ: *fol. acetosæ, flor. cichorii, beberis, rosarum, cerasa acida condita.*

Species: *diamagariti frigidi, diarrhodon abbatis, diatrium santalôn.*

Trochisci: *de caphura, de spodio.*

Externa. Olea: *rosaceum, uenupharis, omphacium.*

Unguenta: *ceratum santalinum, refrigerans Galeni, rosaceum.*

Splenica sunt, quæ validius attenuando, incidendo, volatilizando, & minus adstringendo, intemperiebus & obstructionibus splenis corrigendis conducunt. Eaque sunt calida & frigida. *Splenicæ.*

Calida sunt Radices: *apii, aristolochiæ utriusque, calami aro-* *Calidæ.*

aromatici, enulæ campanæ, ireos florentinæ, asari, bryoniæ, raphani, lupuli, scillæ.

Cortices: *rad. capparum, mediani fraxini, tamarisci.*

Folia: *chamædryos, ceterach., cuscutæ, centaurei min., fumariæ, melissæ, nasturtii, pulegii, summit. lupuli, thymi.*

Semina: *anisi, apii, agni casti, cardui benedicti, nasturtii, rubiæ, thymi.*

Fructus: *cappares, baccæ hederæ.*

Flores: *calendulæ, genistæ, leucoii, tamarisci.*

Aromata: *cinnamomum, crocus.*

Mineralia: *chalybs præparatus.*

Gummi: *ammoniacum, bdellum, myrrha, styrax.*

Aquæ: *cardui benedicti, cinnamomi, cuscutæ, fœniculi, fumarię, lupuli, melissæ.*

Syrupi: *de epithymo, fumariæ, de 5. radicibus, oxymel simplex & scilliticum.*

Conservę: *fl. tamarisci, genistæ.*

Condita: *acorus conditus, zinziber condit., cort. citri conditus.*

Confectiones: *alkermes.*

Species: *electuar. de gemmis, lætificantis Galeni, dialaccæ, diacurcumæ.*

Olea stillatitia: *cumini, cinnamomi.*

Trochisci: *de capparibus, de eupatorio.*

Externa. Olea: *de capparibus, irinum, rutaceum, tamarisci, amygdalarum amararum.*

Unguenta: *de althæa, de arthanita.*

Emplastra: *de mucilaginibus, de meliloto, diachylum cum gummi.*

Frigida. Splenica *frigida* sunt Radices: *acetosæ, buglossi, borraginis, cichorii, graminis, liquiritiæ.*

Folia: *acetosæ borraginis, bugloßæ, bugulæ, cichorii.*

Semina: *acetosæ, cucumeris, cucurbitæ, endiviæ, męlonum.*

Fructus:

Fructus: *poma redolentia, pruna acida.*
Flores: *borraginis, bugloſſę, cichorii, violarum, nymphææ,*
Succi: *limonum, omphacium.*
Minerale: *chalybs præparatus.*
Externa. Olea: *violarum, nymphææ.*
Unguenta: *refrigerans Galeni, roſatum, ceratum ſantalinum.*
Acetum: *acerrimum.*

Nephritica & *cyſtica*, præter diuretica & lithontriptica antea explicata, ſunt, quæ mollibus, lenibus, & leniter detergentibus particulis, in renum & veſicæ ſcabritie & aſperitate, atque etiam in ardore & acrimonia urinæ, ſeri acres partes temperant, leniunt, & purgant. Talia ſunt *Nephritica & cyſtica.*

Radices: *althææ, liquiritiæ, aſparagi, graminis, eryngii.*
Folia: *plantaginis, adianthi, parietariæ, acetoſæ, lactucæ, malvæ, nymphææ, portulacæ, ſonchi.*
Semina: *althææ, bombacis, lini, fœnugraci, 4 ſem. frigida maj. & min., plantaginis, pſyllii, papaveris albi, malvæ.*
Flores: *camomillæ, nymphææ, papaveris rhæad., violarum.*
Fructus: *amygdalæ dulces, caricæ, jujubæ, piſtachiæ, paſſulæ, pruna dulcia, poma.*
Gummi: *ceraſi, camphora, tragacanthæ.*
Animal. *butyrum, lac, ſerum lactis.*
Succi: *liquiritiæ, lac amygdalarum dulcium.*
Chymica: *ſpiritus vitrioli, ſal prunellæ.*
Aquæ: *foliorum hic enarratorum.*
Syrupi: *jujubarum, nymphææ, pomorum, de althæa Fernelii, violarum, capilli Veneris.*
Conſervæ: *violarum, nymphææ.*
Condita: *caules lactucæ conditi, caro cucurbitæ condita.*
Species: *diatragacanthi frigidi, diapenidii.*
Olea: *amygdalarum dulcium, camphoræ.*
Externa. Olea: *violarum, nymphææ,*

Unguenta: *refrigerans Galeni, rosatum.*

Hysterica. *Hysterica* sunt, quæ utero conducunt. *Eaque*, præter menses moventia superius proposita, *menses* nimis fluentes sistunt, vel *uterum* corroborant.

Menses sistentia. *Menses sistunt*, quæ refrigerando, & adstringendo, poros vasorum, quæ sunt circa uterum, claudunt, sanguinemque incrassant, atque ita nimium eorum fluxum sufflaminant.

Horum materia ab adstringentibus, antehac enumeratis, est repetenda.

Uterum corroborantia. *Uterum corroborantia* sunt, quæ calorem ejus naturalem conservando & corrigendo, conceptioni, fœtus gestationi, partui, & suffocationi uteri expugnandæ, conducunt. Talia sunt

Radices: *bistortæ, cyperi, calami aromatici, costi, galangæ.*

Folia: *betonicæ, majoranæ, rorismarini, melissæ, salviæ.*

Fructus: *baccæ lauri, juniperi.*

Flores: *anthos, betonicæ, majoranæ, salviæ.*

Aromata: *garyophylli, macis, nux moscata, spica nardi.*

Resinæ: *styrax, benzoin, mastiche, thus.*

Animalia: *moschus, zibeta.*

Marina: *ambra, corallium, succinum.*

Aquæ: *betonicæ, majoranæ, melissæ, salviæ.*

Syrupus: *de betonica.*

Olea: *garyophyllorum, macis, nucis moscatæ, succini.*

Condita: *acorus conditus, nux moscata condita; juglans, myrobalani, satyrium condita.*

Confectiones: *mithridatium, theriaca, tryphera magna.*

Species: *aromatici rosati, diamosci, diambræ, de gemmis, dialangæ.*

Externa. Olea: *nucis moscatæ per expressionem, nardinum, myrtinum.*

Emplastra: *pro matrice, contra rupturam, de mastiche.*

Me-

Medicamenta artuum alia fluxionem humorum inhibent: alia dolores sedant: alia humores digerunt & nervos roborant: alia ambustis medentur. *Arthritica.*

Fluxionem inhibent, Folia: *hyoscyami, solani, cicutæ, mandragoræ, sempervivum, malva, parietaria, sambucus, ebulus, lens palustris.* *Fluxionem inhibentia.*

Succi: *hyoscyami, lactucæ, solani, acetum, opium, albumen ovi, sal prunellæ in aqua papaveris solutum.*

Aquæ: *rosarum, solani, plantaginis, spermatis ranarum, papaveris rhœadis.*

Mucilagines: *sem. psyllii, cydoniorum.*

Gummi: *camphora.*

Olea: *rosaceum, violarum, nymphææ.*

Unguenta: *rosatum, populeonis.*

Dolorem sedant: *radices althææ, æsipus, lac vaccinum ovi albumine subactum, vitellus ovi, crocus, flores camomillę, meliloti.* *Dolorem sedantia.*

Digerentia sunt Radices: *enulæ campanæ, cucumeris asinini, bryoniæ, cyclaminis.* *Digerentia.*

Folia: *verbasci, chamæpityos, primulæ veris, pulegii, ebuli, hypericum, nasturtium, salvia, nepeta, urtica.*

Resinæ: *mastiche, bdellium, terebinthina.*

Fructus: *hermodactyli.*

Gummi: *ammoniacum, opoponax, euphorbium.*

Animalia: *castoreum.*

Liquores: *vinum, aqua vitæ.*

Adipes: *cati, taxi, vulpis, serpentis.*

Olea: *de castoreo, irinum, mellis, ceræ, hypericonis, costinum, vulpinum, de lateribus.*

Emplastra: *de Vigo, de mucilaginibus, oxycroceum, de meliloto.*

Nervos roborantia eadem fere sunt cum arthriticis; cum artus ex membranis, ligamentis, & nervis, magnam par- *Nervos roborantia.*

tem, sint compositi. *Eaque* sunt calida, & frigida; & utraque interna, vel externa.

Calida. *Calida* interna sunt Radices: *acori, eryngii, peucedani, raponticum, costus.*

Ligna: *sassaphras, viscum quercinum.*

Folia: *chamedrys, hyssopi, lavendulæ, majoranæ, primulæ veris, rorismarini, salviæ, serpilli, spicæ nardi, origani.*

Fructus: *anacardia, nuclei pinei.*

Grana: *juniperi, kermes.*

Aromata: *cinnamomum, piper, zinziber, macis, nux moscata, garyophylli, cardamomum.*

Resinæ & gummi: *myrrha, terebinthina, opoponax, sagapenum.*

Animal. *castoreum.*

Conservæ: *rorismarini, primulæ veris, salviæ, betonicæ.*

Confectiones: *theriaca, mithridatium, confectio anacardina.*

Species: *diagalangæ, plerisarchontici.*

Aquæ: *vitæ, theriacalis, majoranæ, lavendulæ, salviæ.*

Externa. Adipes: *viperinus, vulpinus, cervinus, humanus.*

Olea: *ceræ, camomillæ, costinum, hypericonis, lumbricorum, nucis moscatæ expressi, philosophorum, terebinthinæ, vulpinum, viperinum, petroleum, rutaceum, spiritus vini.*

Thermæ: *sulphureæ, bituminosæ, nitrosæ, & parum aluminosæ: item limus istarum thermarum.*

Frigida. Nervos roborantia *frigida* sunt eadem, cum cephalicis frigidis, superius propositis; quibus addantur inter

Externa: *mucilago psyllii, folia vitis, acetum, aqua rosacea, aqua chalybeata, aquæ thermales ferratæ.*

Ambustis medentia. Medicamenta *ambustis medentia* sunt, quę, calore vel humiditate suâ, poros partis combustæ aperiendo, serosos & mordaces vapores & humores evocant: *Vel* talem particularum habent dispositionem, ut, quamvis in aliis partibus

bus excitent calorem, ea tamen partibus ambustis insinuata, tales ibi faciant poros, ut subtilis sive ætherea materia sese vehementius in iis movere non possit; atque ita refrigerium in partibus combustis inducant: *Vel* detergendo & siccando partem exustam consolidant. Talia sunt

Ignis *satis propinque adhibitus*; aqua *calida*; spiritus vini *calidè applicitus*.

Folia: *ari & porri illita*; *sambuci & ebuli contusa & imposita*; *ligustri, salviæ, myrthi, cerato vel adipe suillo excepta & imposita*; *malvæ & papaveris, eodem modo adhibita*.

Cepæ: *cum sale & sapone veneto contusæ, & ambustæ parti impositæ*. Ceparum *succus*.

Oleum *cum sale*.

Vernix *cum axungia porci & albumine ovi*.

Radicis asphodeli *in oleo decoctæ succus*.

Sal nitrum *cum oleo rosaceo, vel ovorum*.

Unguentum: *de calce vivâ*; *album Rhasis*; *de cerussa*.

Oleum *hypericonis cum calce lota*.

CAPUT X.

De Medicamentis, quæ malignitatibus resistunt.

TAndem proponenda sunt medicamenta, *malignis* nostri corporis *qualitatibus adversantia*; qualia ex. gr. sunt alexipharmaca, antiscorbutica, antepileptica, *Malignitatibus resistentia.*

Alexipharmaca sunt, quæ pesti aliisque venenis contrariantur. *Quia* verò pestis & pleraque alia venena, quæ non habent acutas & scindentes particulas, consistunt in frigore potentiali, item in glutine quodam volatili, coagulatorio, & contagioso; idcirco plerorumque & *communium alexipharmacorum vis alexiteria* sita est in attenuantibus, incidentibus, volatilizantibus, & interdum etiam in calefacientibus eorum particulis. Talia sunt *Alexipharmaca;* *Communia.*

Radices: *angelicæ, anthoræ, biſtortæ, cruciatæ, dictamni albi, enulæ campanæ, eryngii, gentianæ, imperatoriæ, leviſtici, pimpinellæ, ſaxifragiæ, ſcorzoneræ, tormentillæ, vincitoxici.*

Cortices & ligna: *lignum aloës, ſantala omnia, cortices citri.*

Folia: *abſinthii, dictamni, quinquefolii majoris, rutæ hortenſis, galegæ, ſcordii, ſcabioſæ, valerianæ, ulmariæ, veronicæ.*

Semina: *acetoſæ, aniſi, carduibenedicti, citri, coriandri, grana juniperi, grana kermes, hyperici, leviſtici, napi, ocymi, pimpinellæ, ſaxifragiæ, portulacæ.*

Flores: *borraginis, bugloſſæ, caryophyllorum, crocus, ericæ flos & coma, calendulæ, centaurei min., hypericonis, nymphææ, roriſmarini, roſarum rubrarum, violarum.*

Fructus: *glans querna, nux juglans, poma arantia, citria.*

Aromata: *cinnamomum, garyophylli aromatici, macis, nux moſcata, cardamomum, piper, zedoaria.*

Succi: *arantiorum, citriorum, limonum.*

Reſinæ ac Gummi: *camphora, myrrha, benzoinum.*

Animalium partes & excrementa: *caro phaſianorum, caſtoreum, coagulum leporis, mumia, moſchus, ebur, os de corde cervi, lapis bezoar, unicornu.*

Terræ: *bolus armenus verus, terra ſigillata vera.*

Lapides pretioſi: *coralla, perlæ, rubinus, ſmaragdus, hyacinthus, ſapphirus, topazius.*

Marina: *ambra, ſuccinum.*

Confectiones: *mithridatium, theriaca, diaſcordium, confectio alkermes, de hyacintho.*

Condita: *cortices citri, myrobalanorum, cort. arantiorum.*

Conſervæ: *flor. bugloſſæ, violarum, roſarum rubrarum, nymphææ, roriſmarini, calendulæ.*

Species: *aromatici, de gemmis, diambræ, diatriumſantalôn, dianthos, diamoſci, diaſcordii.*

Peculiaria. *Peculiaria alexipharmaca* ſunt, quæ peculiari alicui veneno

neno & malignitati, peculiari & propriâ suâ partium dispositione, adversantur. Tale est ex.gr. *caput viperæ* ad morsum viperinum: *scorpio & oleum scorpionum* ad ejus punctu-ram: & *antidotus Galeni* (ex thuris part. j, gentianæ partib. v, cinerum cancrorum fluviatilium partib. x, facta, & dragm. j. vel ij. quantitate exhibita) ad morsum canis rabidi.

Antiscorbutica sunt, quæ scorbuto, peculiari sua volatili temperie, medentur. Talia præcipuè sunt *Antiscorbutica.*

Cochlearia, nasturtii omnes species, becabunga, raphanus rusticus, chelidonium minus, sedum minus, nummularia, synapi, raphanus, trifolium aquaticum, arum.

Præter hæc, minus efficacia ad eundem affectum sunt

Radices: *helenii, oxylapathi, asari.*

Cortices: *rad. tamarisci, capparum.*

Herbæ: *absinthii vulgaris, carduus benedictus, cuscuta, ceterach, fumaria, hyssopus, capillus Veneris, scolopendrium, chamædrys, betonica, agrimonia, polypodium querc., buglossum, borrago, epithymum, &, si febris vel calor adsit, cichorium, endivia, acetosa, acetosella.*

Flores: *genistæ. sambuci.*

Semina: *genistæ, agni casti.*

Succus: *limonum, arantiorum.*

Chymica: *oleum vitrioli, sulphuris, spiritus vitrioli, salis,*

Antepileptica sunt, quæ specificâ vi epilepsiæ resistunt. Talia sunt *Antepileptica.*

Radices: *pæoniæ, valerianæ silvestris, effossæ antequam caulem edat, pyrethri, eryngii, dentariæ, bryoniæ,*

Lignum: *coryli.*

Herbę: *rutæ silvestris & hortensis, polium montanum.*

Flores: *pæoniæ, lilii convallium, tiliæ.*

Semina: *pæoniæ.*

Viscum: *quercinum, corylinum, tiliæ.*

Ani-

Animal. *ungula alcis, cranium hominis violenta morte extincti, coagulum leporis, ſtercus pavonis, veſica apri cum urinâ in furno exſiccata, cor leporis, ciconiæ, hierundinis.*

Marina: *ſuccinum, corallium.*

Lapides: *ſmaragdus.*

Aquæ: *flor. tiliæ, pæoniæ, lilii convallium.*

Olea: *ligni buxi, ligni heraclii ſive corylini, ſuccini, vitrioli, ſpiritus vitrioli.*

Magiſterium: *corallorum, ſuccini.*

Sal: *ſuccini.*

Species: *diamuſci dulcis.*

CAPUT XI.

De Uſitatioribus medicamentorum internorum formulis.

Medicamentum naturale, artificiale; ſimplex compoſitum.

ATque hęc de medicamentis, *variis facultatibus* præditis.

Medicamentum porro eſt *vel* naturale, *vel* artificiale.

Naturale eſt, quod tale uſurpatur, quale à naturâ eſt productum.

Artificiale eſt, quod *arte pharmaxeuticâ ſive pharmacopęâ vulgari*, vel *chymica*, eſt confectum.

Eſtque vel *ſimplex*, vel ex variis ſimplicibus *compoſitum*. Et utrumque eſt *officinale*, quod in officinis in uſum ægrorum aſſervatur; vel *magiſtrale*, quod pro re natâ, à Medico ægris, ex tempore, præſcribitur.

Cauſæ, cur medicamenta componantur.

Cauſæ præcipuæ, ob quas medicamenta componuntur, ſunt morbus, item ægri, & medicamenti natura. Cum enim *morbus* ſæpe ſit non ſimplex, ſed compoſitus: *ægri* & natura talis, ut ſimplicia medicamenta reſpuat, vel non ferat: ac *ſimplicia medicamenta* per ſe nonnunquam non ſint convenientia, nec ſatis efficacia; idcirco interdum ad compoſita

posita est confugiendum. *Tumque* enitendum, ut quam paucissimis simplicibus, & quam optimè inter se convenientibus, simus contenti. Varietas *enim* superflua est onerosa; & nisi justa miscendorum sit convenientia, compositio eorum magis obest, quam prodest: ut apparet in spiritu salis nitri & oleo vitrioli, quæ singula, seorsim sumpta, sunt remedium; mixta verò, venenum.

Ponderа, nota, & mensuræ medicæ.

In medicamentis justâ quantitate *componendis & præscribendis utimur libris*, unciis, dragmis, scrupulis, granis, manipulis, pugillis, numeris, eorumque partibus.

℔. *Lib. Libra* medica est pondus unciarum duodecim.

℥. *Uncia* pendet dragmas octo.

ʒ. *Dragma* continet scrupulos tres.

℈. *Scrupulus*, vel *Scriptulus*, pendet grana viginti.

Gr. *gr. Granum* est pondus grani hordei, modicè crassi.

M. *Manipulus* est, quantum manu comprehendi potest.

P. *Pugillus* est, quantum adductis digitorum apicibus attollitur, sive M. ſ. *Manipuli semis.*

Ana, aa. notat singulorum, quę præscripta sunt, æquales partes esse sumendas.

Q. ſ. Quantum sufficit. No. Numero.

Medicamenta magistralia.

Medicamentum compositum, quod in usum ægri, pro re natâ, certâ formulâ à medico præscribitur, & *Magistrale* vocatur, *est internum*, quod in corpus intro sumitur vel immittitur: *vel externum*, quod foris corpori admovetur.

Interna.

Interna prȩcipua sunt Apozema, Potio, Julepus, Syrupus, Vomitorium, Emulsio, Bolus, Opiata, Eclegma, Tabella, Pulvis, Pilula, Suppositorium, Clyster, Pessarium, Errhinum, Gargarismus, Masticatorium, Collyrium.

Apozema, sive decoctum, est medicamentum internum, liquidum, è multorum simplicium decoctione conflatum; & interdum etiam saccharo vel syrupo dulcoratum, clarificatum, & aromatizatum; in quatuor vel quinque doses,

Apozema;

ad alterandum, vel purgandum, præscriptum. Atque ideo illud est *alterans*, vel *purgans*.

Alterans. *Apozema alterans* componitur ex radicibus, corticibus, lignis, foliis, seminibus, fructibus, & floribus: *quorum* omnium quantitas & ordo talis esse debet:

Radicum: *unciæ* iiij *vel* vj.
Corticum: *uncia* j *vel* ij.
Lignorum: *eadem quantitas.*
Foliorum: *manipuli* vj *vel* viij.
Seminum: *uncia* j *vel* j *& dimidia.*
Fructuum minorum, *uncia* j.
Fructuum majorum: *paria* vj *vel* vij.
Fructuum maximorum: *numero* ij *vel* iij.
Florum: *pugilli* iiij *vel* vj.

Hæc *omnia* decoquuntur in liquore idoneo, qui vulgò est aqua communis; interdum aqua hordei, in affectibus biliosis; vel hydromel tenue, in pituitosis; nonnunquam etiam, in viscerum obstructionibus, aqua chalibeata; vel serum lactis, in melancholia.

Decoctio interdum etiam fit in æquis partibus aquæ communis & vini albi, sub finem additi; vel duabus partibus aquæ & unâ vini albi sub finem affusi, pro arbitrio Medici.

Liquoris *quantitas* non definitur: sed decocti quantitas determinari debet ad libram j. sc. pro tribus; ad quartaria v, pro quatuor; & ad libr: j s., pro quinque vel sex dosibus.

Postea in decocto colato dissolvuntur syrupi, eâ quantitate, ut pro unaquaque dosi unc. s, vel unc. j sit syrupi.

Interdum solum saccharum præscribitur eâdem quantitate, quâ syrupus, præsertim ubi succi aliqui ad uncias duas, sub finem decoctionis, liquori adduntur.

His præstitis, apozema sæpe condiri solet aliquo aromate,

mate, quo jucundius evadat; & quidem pulv. santalino ad dragmam j vel j ſ., ſi fuerit refrigerans; vel eâdem quantitate cinnamomi, ſi apozema calefaciens fuerit.

Res tota patet ex hoc exemplo Apozematis cephalici calefacientis:

℞. *Radic. ſalſæ parill.*, *acori*, *ennulæ campan.*, *calami aromat.*, *cyperi ana*, *unc.* j.
Cortic. citri unc. ſ.
Fol. betonicæ, *calamenthæ montanæ*, *meliſſæ*, *ſalviæ*, *roriſmarini ana m.* j.
Semin. aniſi, *fæniculi*, *ſileris montani an. dragm.* iij.
Flor. ſtæchados arabicæ, *roriſmarini*, *lilii convallium ana. pugill.* j.
Decoquantur in aqua communi ad libr. j. *ſ. In colatura diſſolve Syrupi de ſtæchade*, *de betonica an. unc.* j *ſ. F. Apozema*, *aromatizatum pulv. cinnamomi dragm. ſ. Pro* 6. *doſibus.*

Apozema purgans eſt, quod humores noxios non ſolum præparat, & alterat; ſed purgantibus medicamentis, cum alterantibus permixtis, etiam evacuat. *Purgans.*

Componitur ex eâdem alterantium materiâ, eâdemque formâ, quâ apozema alterans; ac præterea cathartica adduntur cum ſuis correctivis, quæ plerumque ſunt zinziber, cinnamomum, vel caryophylli ad dragmam unam; eaque inter fructus & flores collocantur, quando cum reliquis ſunt decoquenda, vel in colatura decocti per noctem infunduntur ſive macerantur: eâ proportione, ut totidem ſint catharticorum doſes, quot apozematis.

Uſitatiſſimum autem eſt in omni apozemate folia ſennæ pro baſi, ſive purgationis fundamento, præſcribere fere ad unciam j, vel duas; *quibus* deinde adduntur alia carthartica, pro humoris peccantis ratione; qualia ſunt turbith, hermodactyli, agaricus, helleborus niger, rhabarbarum.

Ubi decoctum est colatum & expressum, sæpe in illo dissolvuntur iidem syrupi, qui in alterantibus apozematis fuerunt præscripti.

Interdum verò, quando apozema sufficienter purgans non existimatur, syrupi purgantes in eo dissolvuntur, & frequenrissimè syrupus rosatus solutivus, vel syrupus de cichorio cum rhabarbaro, in affectibus bilioſis; & syrupus de fumaria compositus cum rheo, in melancholicis.

Res innotescet his exemplis:

℞. *rad. cichorii unc.* ij.
enulæ, petroselini, fæniculi an. unc. ſ.
Herb. carduibenedicti, cichorii, melissæ, fumariæ,
acetoſæ, ſummit. lupuli ana m. j.
abſinthii romani m. ſ.
flor. cichorii pugill. ij.
fol. ſennæ unc. ij, *rhabarbari, agarici an. dragm.* ij.
tamarindorum unc. iij.
ſemin. aniſi fæniculi an. dragm. j. *ſ.*
Decoquantur omnia, in aquæ communis quantitate ſufficienti, ad libr. j. *ſ. & deinde Colentur pro*
Apozemate, *de quo mane ſumantur unc.* iij,
vel iiij, *pro doſi.* Vel

℞. *rad. cichorii, polypodii quercini an. unc.* j.
aſparagi, fæniculi, hellebori nigri an. unc. ſ.
cortic. rad, capparum, tamariſci, ebuli an. dragm. ij.
ſemin. 4 frigid. major. ana dragm. j. *ſ.*
carduibenedicti, aniſi, fæniculi an. dragm. ij.
tamarindorum unc. j.
Coquantur in aqu. decoctionis hordei ad lib. j. *ſ.*
Colaturæ infunde per noctem fol. ſennæ unc. j.
rhabarbari dragm. iij. *agarici, ſalappæ an. dragm.* j.
cinnamomi, macis an. ſcrup. j.
Mane, factâ forti expreſſione, adde ſyr. de cichorio cum
rheo

rheo unc. j. ſ.

F. Apozema, *pro 5. vel 6. doſibus, matutino tempore ſumendis.*

Ad decocta ſive apozemata referri poſſunt *decocta* ſudorifera.

Decocta ſudorifera vulgo componi ſolent ex quatuor illis præcipuis ſudorificis, ligno guajaco & ſaſſaphras, radice chinæ & ſalſæparillæ: ex quibus diætæ tam ſudorificæ, quam ſimplices inſtituuntur. *Decoctum ſudoriferum primarium.*

Quantitas ſudorificorum præſcribitur ad uncias iiij vel vj, eaque unius vel plurium, pro varia ægrotantis diſpoſitione: ita tamen, ut guajacum in naturis frigidioribus, radix chinæ in calidioribus, magis præſcribatur. Poſtea infunduntur in aquæ communis eâ quantitate, ut pro ſingulis ſudorifici unciis ſint totidem libræ aquæ.

Infuſio autem fit per 24. horas ſuper cineribus calidis; ac tandem fit decoctio ad mediæ partis conſumtionem.

Doſis decocti eſt unc. viij; quâ mane ſumptâ, corpus plus ſolito tegitur, ut ſudores facilius eliciantur.

Exemplum tale ſit:

℞. *raſuræ ligni guajaci unc.* iiij.
corticum ejuſdem unc. ij.

Infundantur 24. horas in lib. vj. *aquæ commuuis ſupra cineres calidos. Poſtea coquantur in vaſe duplici, igne lento & non fumante, ad mediæ partis conſumptionem. Deinde colentur per manicam Hippocratis. De colaturâ capiat æger mane uncias* viij *calidè, corpus plus ſolito tegendo, ut excitentur ſudores; continuando per* 20 *vel* 30 *dies.*

Aliquando dulcoratur ægris delicatioribus decoctum ſacchari unc iij vel iiij, & aromatizatur cinnamomi drag. ij.

Totum tempus, quo æger decocto ſudorifico utitur, *diæta* vocatur: propterea quod victus valde exquiſitus, attenuans, & exſiccans obſervetur.

Secundarium, sive Bochetum.

Et tum præscribitur *decoctum secundarium* ex prioris residentiâ; quod etiam *Bochetum* vocatur.

Illa autem residentia aut sumitur sola, vel, ut decoctum evadat fortius, adduntur recentis alicujus sudorifici unciæ ij, quæ infunduntur per horas octo in libris 12 aquæ communis. Eęque deinde coquuntur ad quartę partis consumtionem. Decoctum colatur, dulcoratur, & aromatizatur. Quod manifestum est hoc exemplo:

℞. *residentiam prædictæ decoctionis; eaq; infundatur in lib.* 12. *aquæ comm. supra cineres calidos, addendo ligni guajaci recentis unc.* ij.

Postea coquantur ad quartæ partis consumptionem. Deinde colentur per manicam Hippocr., addendo sacchari & cinnamomi q. s. ad saporis gratiam: *& fiat* Bochetum, *quo utatur pro potu ordinario, toto diætæ tempore*: *utendo interea pane biscocto, cum aniso, carnibus assis, & non elixis, aviculis montanis, caryophyllis aut cinnamomo transfixis; passulis, amygdalis dulcibus, nucleis pineis, & similibus.*

Si *diæta simplex* sit instituenda, in qua potiones sudorificæ non exhibentur, sed victus tantum exsiccans cum usu Bocheti præscribitur: tunc componitur *Bochetum* ex unciis ij. sudorifici infusi & decocti in lib. 12. aquæ communis; & reliqua eodem modo præstantur, ut in decocto ex residentia parato. Tali ex. gr. formula:

℞. *rad. chinæ in taleolas dissectæ uncias* ij. *Infunde per horas* 12 *in lib.* 12 *aquæ communis; postea decoquantur ad quartæ partis consumtionem. Deinde colentur per manicam* Hippoc., *addendo sacchari & cinnamomi quant. sufficl. ad saporis gratiam*: *& Fiat* Bochetum; *quo utatur pro potu ordinario, per spacium* 20 *vel* 30 *dierum, utendo interea pane biscocto, &c.*

Interdum etiam decoctum secundarium eodem modo paratur, ex recentis sudorifici unc. ij, rejectâ residentiâ prio-

prioris decoctionis, cujus virtus fere est deperdita.

In omni *diæta sudorifica* alvus fere perpetuò est adstricta, quæ idcirco quarto quoquo die laxanda est clystere emolliente, vel levi purgante exhibito. Et *quoniam* tenuior materia per sudores evacuatur, crassior verò remanet, ideo consultissimum erit octavo quoquo die medicamentum mediocriter purgans exhibere; abstinendo tum temporis à potione sudoriferâ.

Decoctum *sudoriferum primarium* non tantum ex solis sudoriferis; sed etiam, *cum alterantibus & purgantibus* additis, præscribitur. ut *Decoctum sudoriferum alterans & purgans.*

℞. *rasuræ ligni guajaci* ℥iiij.
cortic. eiusdem ℥j.
Infundantur, ut artis est, in aq. comm. lib. IV. *deinde decoquantur ad mediæ partis consumtionem; addendo, sub finem decoctionis,*
Herbar. *capill. Veneris. cichorii, borrag., an. m.* j.
sem. melonum ʒij. *passular., glycyrrizæ, an.* ʒiij.
De colaturâ, per manicam Hippocratis *trajectâ, exhibeantur unciæ sex vel octo calidè, & proliciantur sudores, corpus bene tegendo.* Vel

℞. *Rasuræ ligni guajaci, sassaphras,*
rad. salsæ parillæ, ana ℥jß.
Post justam infusionem in IV. *libr. aqu. comm. factam, decoquantur ad mediæ partis consumtionem; sub decoctionis finem adde*
fol. sennæ ℥jß. *sem. carthami* ℥j.
turbith gummosi, hermodactilor. an. ʒiij.
sem. anisi. passular. an. ʒij.
De colaturâ capiat æger lib. s. mane, & promoveat sudores, corpus bene tegendo.

Potio est medicamenti interni forma liquida, in unicam dosim, ex variorum medicamentorum in idoneo liquore deco- *Potio.*

decoctione, infusione, aut dissolutione, ad purgandum, vel alterandum, composita.

Ea idcirco, pro vario medici scopo, est *purgans*, vel varie alterans.

Purgans, per decoctionem. *Potio purgans per decoctionem* magis usitata præscribitur ex foliis sennæ ad unciam dimidiam vel dragmas vj; addito correctivo seminis anisi ad dragm. j, caryophyllorum ad scrupulum j vel ij, liquiritiæ rasæ, & passularum ana dragmis iij, flor. convenientium pugillo j vel ij.

Talis exempli gratiâ hæc est:

℞. *fol. sennæ* ℥ß *vel* ʒvj.
sem. anisi ʒij, *caryophyllor.* ℈j.
fol. agrimoniæ, fumariæ an. m. ß.
rad. liquiritiæ rasæ, passular. ab arill. mund. an. ʒiij
Decoquantur in aq. hordei q. s. ad ℥iv.
Postea colentur cum forti expressione, &
Fiat Potio, *mane jejuno ventriculo sumenda.*

Per infusionem. *Per infusionem* fit ex rhabarbaro, vel agarico, vel mechoacanna, vel iis mixtis, ad ʒij, vel iij; additis correctivis spicæ nardi, vel cinnamomi, vel santali citrini ad grana vj, vel scrup. ſ. Eaque infunduntur sive macerantur per noctem, in aquæ stillatitiæ convenientis, vel alicujus decocti unciis iv: quæ deinde per linteum ad usum transcolantur. Exemplum sit tale:

℞. *rabarbari, agarici, mehoacannæ an.* ℈ij.
cinnamomi, spicæ nardi an. gr. vj.
Infundantur per noctem in aq. carduibened. ℥iv.
Mane colentur cum forti expressione, &
F. Haustus.

Per dissolutionem. *Per dissolutionem* fit, ubi medicamentum aliquod purgans; sive sit opiata, sive electuarium, sive pulvis; in liquore conveniente justâ dosi dissolvitur. Tumque additur plerumque syrupus aliquis purgans ad unciam unam. Exempli gratiâ: ℞. *ele-*

℞. *electuarii diaphœnici* ʒvj.
decocti pectoralis ℥iv.
syr. rosati solutivi ʒj.
Misce, Fiat Haustus.

Vel ℞. *spec. diaturbith cum rabarb.* ʒj.
cremor. tartari ℈j.
aq. cichorii ℥iiij.
Misce, F. Haustus.

Aliquando etiam fiunt potiones purgantes per decoctionem & infusionem : *aliquando* per infusionem & dissolutionem : *aliquando* per decoctionem, infusionem, & dissolutionem. *In his* autem omnibus est laborandum ut purgantium sit quantitas, quæ justæ dosi convenit. Ut patet ex his exemplis:

℞. *rad. polypodii querc., liquiritiæ an.* ʒiij.
herb. fumariæ m. j.
flor. borrag., buglossæ, an. p. j,
fol. sennæ ʒiij, *sem. anisi* ʒj.
passular. ʒij.
Coquantur in aq. comm. q. s. ad ℥iv.
In Colaturâ infunde rabarb. ʒj.
spicæ nardi, cinnamomi ana gr. vj.
Expressioni forti adde syr. ros. sol. ℥ß.
Misce, F. Haustus.

℞. *fol. sennæ* ℥ ß, *sem. anisi, fœnicul. an.* ʒ ß,
Decoq. in s. q. aqu. decoction. hordei ad ℥iv.
In Colatura dissolve electuarii diacathol. ʒij.
Misce, F. Haustus.

℞. *rabarbari* ʒij, *agarici trochisc.* ℈iv,
cinnamomi ℈ß.
Infundantur per noctem in aq. card. benedict. ℥iv.
Mane in colatura dissolve electuar. diaprun. solut. ʒij.
Misce, F. Haustus.

℞. *rad. ſcrophulariæ, lapathi acuti an.* ℥ß.
herb. agrimoniæ, cichorii an. m. ſ.
tamarindorum ℥ij.
fol. ſennæ ℥iij. *cinnamomi* ʒß.
Coq. in quant. ſuffic. aq. comm. ad ℥iv.
In colatura infunde rabarb., agaric. troch. an. ʒij.
ſchænanthi, ſpicæ an. gr. v.
Mane in expreſſ. forti diſſolve electuar. diaphænic. ʒj.
Miſce, F. Hauſtus.

Potiones alterantes.

Potiones alterantes fiunt ex decocti vel aquæ convenientis ℥iiij, ſyr. ℥j, confectionis ʒj, pulveris ʒj, ʒß, vel ʒij. ut

℞. *aq. meliſſæ, carduibenedicti an.* ℥jß.
ſyr. condituræ citri ℥j.
confection. alkermes ʒj.
ſpec. diambræ ʒj.
Miſce f. Potio Cardiaca, *quovis tempore exhibenda.*

Vel ℞. *aq. papaveris rhæadis* ℥iij.
ſyr. papaveris albi ℥ß, *vel* ʒvj, *vel* ℥j.
confect. alkermes ʒij.
Miſce, F. Potio ſomnifera, *danda veſperi ſub tempus ſomni.*

Vel ℞. *aqu. portulacæ* ℥j.
pulv. lumbricor. terreſtr. exſiccator. ʒj.
corallinæ, cornu cervi an. ʒß.
confect. de hyacintho ʒß.
Miſce, & f. Potio lumbricos necans, *mane vel veſp. danda.*

Vel ℞. *vini Hippocratici* ℥iiij *vel* v.
aq. cinnamomi ℥ß, *confect. alkermes* ʒj.
croci ʒß, *ſyr. de artemiſiâ* ℥j.
Miſce, F. Potio partum promovens, *quâvis horâ danda,*

Julepus.

Julepus eſt medicamentum internum liquidum, ex liquore idoneo & ſyrupo vel ſaccharo, ex tempore, ſine coctione, in tres quatuorve doſes, ad alterandum compoſitum.

Eâ

Eâ autem *proportione* præscribitur liquor, ut ille ad lib. j & ſ. aſcendat; & pro unâ quâque doſi ſint aquarum unciæ iij vel iv, & ſyrupi uncia j vel dimidia; quibus ſæpe adduntur ſpiritus vel olei vitrioli aut ſulphuris tot guttæ, quot ad gratum acorem ſufficiunt.

Interdum etiam additur pulvis aliquis ad ℈ij vel ʒj. Exempli gratiâ:

℞. *ſyr. de ſucco limonum* ʒj ß
granator. acidor., violarum an. ʒß
aqu. ſtillatitiæ cichor., card. benedict. an. lib. ß
olei vitrioli q. ſ. ad gratum acorem,
Miſce, F. Julepus, *pro tribus vel quatuor doſibus.*

℞. *ſyr, biſanthini, de endiviâ ſimpl. an.* ʒjß
aq. borraginis, portulacæ, cichorii an. ʒiv
pulv. diamargariti frig. ℈ij
Miſce *pro* Julapio.

Syrupus eſt medicamentum internum fluidum, ex decocto, vel ſuccis, vel infuſione, cum addito ſaccharo vel melle, in eam conſiſtentiam coctum, ut gutta in marmore non diffluat. *Syrupus.*

Is eſt *alterans*, vel *purgans*.

Alterantes rarò componuntur à medicis: quia quam plurimi ad varios ſcopos in officinis habentur. Atque ideo fere ſoli officinales, vel in liquoribus diſſoluti, vel ſoli & per ſe exhibiti, uſurpantur. *Alterantes*

Quomodo in aliis liquoribus diſſolvantur, ſuperius in Apozemate, Potione, & Julepo eſt explicatum.

Soli & per ſe exhibentur potiſſimum in affectibus ventriculi & pulmonum. *In* ventriculi imbecillitate frequentiſſimus eſt ſyr. de abſinthio; qui mane per ſe exhibetur, hac formulâ:

℞. *ſyr. de abſinthio* ʒj.
Capiat mane duabus horis ante paſtum; continuando per triduum.

In affectibus *pulmonum* præscribuntur syrupi *bechici*, hac ratione:

℞. *Syr. de hyssopo, de tussilagine an.* ℥ij.
utatur frequenter ex cochleari, sensim lambendo.

Purgans. *Syrupus* magristralis *purgans* eodem modo, quo apozema purgans, componitur; & ex eâdem parique simplicium alterantium quantitate. *Purgantia* verò fere duplâ apozematis quantitate præscribuntur, cum suis correctivis duplâ etiam dosi: *propterea* quod per longam decoctionem, hic necessariam, eorum vis valde dissipetur.

Interdum efficaciſſimi componuntur syrupi ex succis herbarum & fructuum depuratis, in quibus purgantia infunduntur & decoquuntur. Et illi succi ad lib ij, iv, vel v, præscribi debent; propterea quod longâ decoctione & infusione plurimum de succis illis absumatur.

Decoctio hic solet fieri ad lib. j, vel j, ß, & in eâ dissolvitur saccharum, quantitate circitur decocto pari.

Interdum succi dissolvuntur ad ℥vj. vel vij, quando ex aqua simplici facta fuit decoctio: & tunc nulli syrupi dissolvi debent; sed tantum saccharum.

Nonnunquam in affectibus pulmonum frigidis aliqua portio mellis cum saccharo conjungitur; sed valde rarò.

Postea decoquuntur in syrupum; *qui* ad usum asservatur.

Dosis est ab unciâ j ß, ad ij: pro majore vel minore syrupi efficaciâ; idque aut semel aut bis in mense.

Sumitur tandem cum jusculo, herbis convenientibus alterato; vel in melancholicis cum sero lactis, aut decocto flor. vel fructuum cordialium.

Exemplum horum tale sit:

℞. *rad. cichorii, borraginis, fœniculi,*
cappar. an. ℥j.
herb. hyssopi, serpilli, melissæ, beton. an. m. j,
borrag.

borrag., scolopendriæ, fumariæ,
absinthii rom. an. m. ß.
flor. chamomeli, centaurei min.,
chamædryos, chamæpithyos an. p. ij.
fol. sennæ ℥ß.
sem. anisi, fæniculi, dauci an. ʒiij.
spicæ, caryophyllor. an. ʒß.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. *addendo*
succi pomorum redolentium acidorum, rosarum,
borraginis an. ℥ij. *In quibus omnibus dissolve*
sacchari lib. j ß, *& F.* Syrupus, *perfecte coctus,*
& aromatizatus cum cinnamomi ʒij : *qui*
servetur in vase vitreo; & de eo capiat æger ℥ij,
bis in mense, cum jusculo, flor. borrag. buglossæ, & capilli
Veneris alterato.

Vomitorium est medicamentum internum, plerumque liquidum, ex remedio emetico simplici decocto, infuso, vel dissoluto, factum. *Vomitorium.*

Ejus *compositio* est varia. *Præcipuæ* sequentes esse solent: quæ ex triplici vomitoriorum genere; mitiorum sc., mediocrium, & vehementiorum desumuntur.

Mitiora fieri solent *ex* aquæ tepidæ ℥viij, cum olei vel butyri ℥ij, *Vel* ex aq. hordei, *vel* ex jusculi pinguis bono haustu. *Vel* radicis poponis ℥j. contusâ & infusâ in aq. hordei vel hydromelitis ℥viij. *Vel* ex decoctione seminis atriplicis ℥ ß, & florum anethi pugillo j, factâ in ℥viij aq. hordei, addendo oxymelitis simplicis, vel syr. acetosi ℥ij.

Mediocria fiunt ex rad. raphani ℥j. agarici ʒß, coctis in aq. hordei ℥iij, addendo oxymell. scyllitici vel syrupi acetosi simplicis ℥ij. *Vel* ex rad. asari ʒij, sem. urticæ ʒß, flor. genistæ pugill. ß, coctis in hydromelitis ℥iiij. *Vel* ex rad. asari pulverisatæ ʒj, cum aq. hyssopi vel hordei ℥v vel vj.

Vehementoria fiunt ex vitrioli albi, vel romani præpar.,

vel salis vitrioli ℈j, vel ʒß, vel ℈ij, dissolutis in jusculo. *Vel* ex croco metallor. a ℈j ad ʒß, vel ex vitro antimonii ad ℈j, infuso in vini albi vel aquæ cardui benedicti ʒiiij, cum pauco cinnamomi. *Vel* ex mercurio vitæ, vel turbith minerali ad gr. iv, v, vel vj, cum conservæ rosarum ʒj. *Vel* ex vini emetici, ex infusione croci metallorum facti ʒij solis, vel cum jusculo exhibitis. *Vel* talis etiam formula præscribi potest:

℞. *fol. asari dragm.* j *s.*
Contundantur in mortario marmoreo, affundendo aquæ cichorii unc. j. *s. Postea exprimatur succus;*
Cui addatur vini emetici, ex infusione croci metallorum facti, unc. j *vel* j *s.*
Misce F. Vomitorium, *jejuno ventriculo dandum.*

Emulsio. *Emulsio* est medicamentum internum, potulentum, ex seminum quorundam medullâ, cum affuso commodo liquore eductâ, compositum.

Ea *plerumque* fit ex amygdalar. dulcium excorticatarum unc. j. vel unc. j. ſ;4 sem. frig. majorum unc. ſ. vel j; sem. lactucæ & papaveris albi, ubi vigiliæ adsunt, unc. ſ. Quæ omnia contunduntur & dissolvuntur cum aquæ hordei lib. jſ., pro tribus dosibus: eaque interdum dulcorantur sacchari unciis ij vel iij; vel additis syrupis gratioribus, ut violaceo, & capilli Veneris.

Præscribendi formula talis sit:

℞. *amygdalar. dulc. excorticat. unc.* j *s.*
sem. 4. frigidorum major. an. dragm. j.
papaveris albi dragm. iij
aq. hordei lib. j.
F. emulsio, *pro amygdalato.*

Bolus. *Bolus* est medicamentum internum, habens consistentiam melle paulò crassiorem, & quantitatem, quæ in unam dosin

dosin præscripta, buccâ commodè capi potest. Estque *purgans*, vel *alterans*.

Purgans sit ex cassia & electuario purgante, vel ex electuariis purgantibus singulis, vel multis mixtis; quibus interdum pulvis scammonii, vel alîus purgantis, additur. Omnium autem *quantitas* in unam purgationis dosin præscripta, unciam superare non debet. ut *Purgans.*

℞. *cassiæ recens extractæ unc. ſ.*
electuar. diacatholici, diaphœnici an. dragm. ij.
Misce, F. Bolus, *mane cpiendus.*

℞. *electuar. de hiera picra Galeni dragm.* ij.
scammonii gr. xij. *Misce pro bolo.*

Interdum terebinthina lota, ad dragmas ij, iij, vel iiij, in bolo addi solet: ut

℞. *flor. cassiæ unc. ſ.*
terebinthinæ in aqu. parietariæ lotæ dragm. iij.
rhabarbari pulv. glycyrrhizæ an. scrup. ſ.
syr. rosat. sol. q. ſ. Misce, F. Bolus.

Bolus Alterans sit ex conservis, pulveribus, & confectionibus officinalibus, eâ quantitate, ut interdum tantum ad dragmam j, vel j ß; nunquam supra unciam dimidiam multum ascendat. *Alterans.*

Ubi autem *majori* quantitate hæc præscribitur, ea est ingredientium proportio, ut conservarum sint dragmæ iij vel iiij, pulverum scrup. j, & confectionis scrup. j. vel dragm. ſ.

In *minori* verò ejus quantitate sit confectionis alicujus dragma j vel j ß. Ut patet in his exemplis:

℞. *conserv. rosar., borraginis, violar., an. scrup.* iv.
confect. alkermes scrup. ij,
theriacæ scrup. j, *cornu cervi præp. scrup.* ß.
Misce F. Bolus *Cardiacus roborans.*

℞. *theriacæ Androm. dragm.* j.

the-

theriacæ ſcrup. ß. laudani opiati gr. iij.
Miſce, F. Bolus *ſomniferus, veſperi ſub tempus ſomni dandus.*

Opiata. *Opiata* ſive *electuarium* eſt medicamentum internum, quod conſiſtentiâ opiatæ officinalis, ut theriacę, vel mithridatii, ſimile, ex variis rebus, melle vel ſyrupo exceptis, in plures doſes eſt concinnatum.

Hæc eſt purgans, *vel* alterans & corroborans, *vel* alterans & purgans.

Purgans. *Purgans* componitur ex electuariis officinalibus purgantibus, & purgantium pulveribus, cum ſyrupo purgante, qui ſcopo medici convenit, mixtis. *Idque* eâ propotione, ut pro ſingulis electuarii officinalis unciis, ſit pulveris purgantis dragma j, vel ij.

Quantitas totius opiatę uncias iiij excedere non debet. *Doſis* vero ex ingredientibus eſt æſtimanda.

℞. *electuar. benedicti laxativi, caryocoſtini Bayri ana. unc.* j.
diacatholici, diapruni ſolutivi ana. dragm. vj.
pulver. diaſennæ Montagn. *dragm.* iij.
hieræ ſimpl. Galeni dragm. ß.
ſyr. roſat. ſol. q. ſ. Miſce, F. Opiata: *de qua capiat æger dragm.* vj. *per ſe, vel diſſolvendo in decocto borrag., fumariæ. cichorii; ſemel in ſeptimana.*

Vel ℞. *elect, hieræ picræ valeni unc.* ij.
chalybis præpar. ſcrup. iv.
ſcammonii pulv. dragm. j. Miſce, F. Opiata; *de qua ſumat æger caſtaneæ magnitudinem, ſive drag.* ij. *jejunus.*

Alterans & corroborans. *Opiata alterans & corroborans*, quæ etiam *conditum* dicitur, componitur ex conſervis ad unc. j ſ. vel ij; condituris ad unc. ſ. vel j; confectione à dragmis ij ad unc. ſ.; pulveribus a dragm. j ſ. ad iij; cum ſyrupi idonei ſufficiente quantitate.

Inter-

Interdum ad ornatum permiſcentur, poſt pulveres, folia auri bracteati No. ij, vel iij.

Doſis eſt quantitas dragm. ij vel iij; vel, quod frequentius præſcribitur, magnitudo caſtaneæ, ſuperbibendo liquorem convenientem, ſc. aquam ſtillatitiam appropriatam, vel vinum. ut

℞. *conſervæ abſinthii unc.* j.
betonicæ, roriſmarini an. unc. ſ.
rad. condit. helenii, acori an. dragm. ij.
ſpec. diambræ, aromat. roſ. an. ſcrup. IV.
ſyr. de mentha q. ſ. Miſce. F. Condîtum; *de quo capiat magnitudinem caſtaneæ, duabus horis ante paſtum, bis in die.*

Aliquando *miſcentur alterantia purgantibus*, Ut *Alterans & purgans.*

℞. *electuar. hieræ picræ Galeni dragm.* ij.
conſerv. abſinthii rom., menthæ, meliſſæ an. unc. ſ.
rad. condit. helenii, acori aromat. an. dragm. ij.
ſpec. diacurcumæ ſcrup. iiij.
ſcammonii ſcrup. ij.
Cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ. F. Condîtum: *de quo ſumat caſtaneæ magnitudinem jejunus.*

Eclegma ſive *linctus*, quam arabes *loch* appellant, eſt medicamentum internum, quod conſiſtentiâ inter ſyrupum & opiatam mediâ, ex variis thoracicis, ad aſperæ arteriæ & pulmonum affectus, delingendum, concinnatur. *Eclegma.*

Fit frequenter ex pulveribus bechicis à dragmis ij ad unciam ſ, ſaccharo cando, penidiato, vel roſato tabulato, à dragm. vj ad unc. j, & ſufficiente quantitate ſyrupi idonei: quibus interdum pulpæ fructuum, ut paſſularum ficuum, vel jujubarum, ad unc. ſ. adduntur. ut

℞. *ſpec. diaireos ſimpl., diatragacanthi frig. an. dragm.* j.
pulv. rad. enulæ campan., tuſſilag., laccæ an. ſcrup. j.
ſacchari candi, penidiati an. dragm. ij.

syr. de liquiritia, q. s. M. f. Lohoch, *quod æger frequenter lambat, cum bacillo glycyrrizæ.*

Interdum adduntur eclegmata officinalia: ut

℞. *loch sani & experti, de scilla an. unc.* j.
syr. capill. Veneris, hyssopi an. unc. j.
Misce F. Linctus.

Nonnunquam fit ex solis syrupis pectoralibus, quibus interdum additur saccharum candum, aut penidiatum: ut

℞. *syr. de tussilagine, de prassio an. unc.* j.
sacchari penidiati unc. s. Misce, F. Eclegma.

Tabella. *Tabella* est medicamentum internum, solidum, ex pulvere, & ex triplo, vel quadruplo sacchari, in liquore soluti, & supra syrupi consistentiam cocti, & tabulati, confectum.

Tabulæ uncias quatuor plerumque non superant.

Tabulæ sunt *purgantes*, vel *roborantes.*

Purgantes. *Purgantium dosis* ex quantitate & vi ingredientium est æstimanda; quæ ex dosibus simplicium purgantium, antehac explicatorum, innotescit. Exemplum tale sit:

℞. *spec. diasennæ Montagnan.*
pulv. rad. mechoacannæ an. dragm. j.
scammonii gr. xv. *cinnamomi scrup.* j.
sacchari in aq. cardui benedicti soluti unc. j. *s.*
F. Tabellæ *ponderis dragm.* ij, *quarum duas capiat pro dosi.*

Roborantes. *Roborantes* fiunt ex pulveris simplicis vel compositi unciâ s. vel dragmis vj, sacchari in conveniente aquâ dissoluti unciis iiij. ut

℞. *spec. diarhodon abbatis, diamoschi dulc. an. dragm.* j. *s.*
trochisc. de rhabarb., de eupatorio an. dragm. s.
sacchari in aq. agrimoniæ dissoluti unc. iv.
F. Tabellæ, *dragm.* ij *pondere, quarum unam capiat quotidie, duas horas ante prandium & cœnam.*

Fiunt

Fiunt frequenter etiam tabellæ ad affectus pulmonum ex pulveribus appropriatis, eâdem methodo.

Ad tabellas referri possunt *trochisci*: qui rarò à Medicis præscribuntur; quia officinalibus plerumque sunt contenti. *Si quis* tamen eos componere velit, id facile præstabit, sumendo pulveres, scopo suo idoneos, ad unc. j vel ij, eosque excipiendo liquore convenienti, aut mucilagine, ex quibus permixtis fiat pasta, & ex illa orbiculi in umbra exsiccandi. ut *Trochisci.*

℞. *gummi tragacanthæ, arabici, thuris an. scrup. j.*
amyli dragm. j.
sem. papav. alb. recent., hyoscyami an. dragm. ſ.
coralli rubr., oculor. cancri an. scrup. ij.
opii in vino generoso dissoluti gr vj.
mucilaginis rad. althææ & consolidæ q. ſ.
sacchari penidiati mediam partem ponderis reliquorum omnium.

F. Trochisci, *dragmæ dimidiæ ponderis, quorum unum, inter dentes & buccas, ad tussim mitigandum, contineat.*

Pilula est medicamentum internum, solidum, sphæricâ figurâ, ex pulveribus præcipuè, glutinoso liquore exceptis, efformatum. *Pilulæ.*

Eaque à medico præscribitur *vel* officinalis, *vel* magistralis.

Et utraque est *alterans*, vel *purgans*.

Officinalis à medico justâ dosi, ita, ex. gr., præscribi solet: *Officinales.*

℞. *pilular. de cynogloſſa gr.* xviij,
cum syr. de papav. q. ſ. F. Pilulæ *N°* iij. *exhibendæ sub tempus somni, ad dolores & vigilias sedandas.*

Vel ℞. *laudani opiati gr.* iv. F. Pilula *N* j. *danda vesperi, tempore somni, ad vigilias & dolores.*

Vel ℞. *mass. pilular. cochiar., aurear. an. scrup. j.*

ſcammoni gr. vj.

Cum ſyr. roſ. ſolut. F. Pilulæ *N°* vij, *exhibendæ mane, ad corporis expurgationem.*

Magiſtrales.

Magiſtrales, quæ à medicis ad varios ſcopos præſcribi ſolent, *uſuales* etiam vulgo appellantur: quia earum uſus frequens eſſe debet: ſemel ſc. in ſeptimanâ, vel bis in menſe.

Componuntur hæ ex variis purgantibus; aloë ſc., agarico, turbith, hermodactylis, rhabarbaro, ſcammonio, trochiſcis alhandal, cum correctivis ſuis in pulverem contuſis, & ſyrupo conveniente exceptis, & in maſſam redactis.

Omnium harum pilularum *baſis*, ſeu prȩcipuum ingrediens, eſſe ſolet aloë, & præſcribitur fere ad dagm. iij vel unc. ſ. Reliqua verò purgantia ſimul ſumta unc. ſ. non excedunt. Correctiva verò à dragma j ad j ſ. præſcribuntur. Syrupi qnantitas non definitur; ſed pro quarta parte totius maſſæ habetur.

Interdum, ad obſtructiones, purgantibus admiſcetur gummi ammoniacum, vel bdellium, in aceto diſſolutum, ad dragm. ij vel iij.

Doſis harum pilularum æſtimari debet pro purgantium efficacia; ita ut non admodum vehementer purgent, & dragm. ſ. vel ſcrup. ij non excedant.

Præſcribuntur ex, gr. hac formula:

℞. *aloës pellucidæ dragm.* iij.
fol ſennæ, rhabarbari, turbith. an. ʒj.
cinnamomi, gariophyllorum an. ſcrup. j.
gummi ammoniaci, tartari vitriolati an. ʒ ſ.
Omnia in pulverem redacta, & ſyrupo roſato ſolutivo q. ſ. excepta, redigantur in maſſam, ex cujus dragma una fiant pilulæ N° ix. *Capiantur* iiij *vel* v *mane vel veſperi, duabus horis ante paſtum, ſemel in ſeptimana, vel bis in menſe.*

Pul-

Pulveres ad purgandum, & roborandum, & alias intentiones, præscribi solent. *Pulveres.*

Purgantes ex purgantibus simplicibus, gustui gratioribus, cum correctivis, & saccharo in delicatioribus, componuntur; eorumque dosis ex purgantium efficacia est æstimanda: *iique* sumuntur cum jusculo, vel alio liquore dissoluti, mane, cum custodiâ. ut *Purgantes.*

℞. *fol. sennæ dragm.* vj. *cremor. tartari dragm.* iij.
scammonii dragm. ij, *sem. anisi, cinnamom., garyophyll. ana scrup.* ij.
Fiat Pulvis subtilis: de quo exhibeatur dragma j. cum jusculo. Vel

℞. *spec. diaturbith. cum rhabarb. scrup.* ij.
cremor. tartari scrup. j. *scammonii gr.* vj.
Misce F. Pulvis, *cum cerevisia tenui dandus.*

Inter pulveres *roborantes* frequentissimi sunt stomachici, qui vulgò *Digestivi* vocantur; & fiunt ex medicamentis stomachicis suavioribus, ut coriandro, aniso, fœniculo, cinnamomo, & similibus, ad unc. ij. cum sacchari æquali vel dupla quantitate: ut *Roborantes.*

℞. *sem. anisi, fœniculi, carui an dragm.* ij.
coriandri,
cinnamomi an. dragm. j.
cortic. arantior. scrup. ij.
sacchari albissimi ad pondus omnium.
Fiat omnium Pulvis, *de quo capiat dragmas* ij,
vel cochlear. unum, post singulos
pastus, nihil superbibendo vel edendo.

Suppositorium est medicamentum rotundum, & digitos tres vel quatuor longum, ano inserendum. *Suppositorium.*

Suppositoria *vulgo* ad alvum laxandum; *interdum* verò licet valde raro, ad quosdam ani, & intestini recti affectus, usurpantur.

Alvum laxantia componi solent ex melle cocto & indurato ad unciam unam, additis pulveribus idoneis ad dragmam j vel scrup. iiij. Pulveres autem illi sunt sal commune, species hieræ picræ, vel, ubi fortius agendum, sal gemmæ, sal armeniacum, spec. hieræ diacolocynthidis, radix hellebori pulverisata. ut

℞. *mellis ad justam duritiem cocti unc.* j.
salis comm., spec. hieræ an. dragm. ſ.
F. Suppositoria N° ij. *quorum unum, oleo illitum, inseratur in anum, cum opus erit.*

Clyster: *Clyster* est medicamentum internum, fluidum, quod per anum in intestina injicitur.

Clysteres *alii* sunt mollientes & laxantes, *alii* detergentes, *alii* adstringentes, *alii* anodyni, *alii* ad alias intentiones parati.

Emolliens. *Mollientes & laxantes* fiunt ex decocto herbarum emollientium ad lib. j. vel j ſ; electuariis laxantibus ad unc. j. vel j ſ; interdum melle mercuriali, rosaceo, aut violaceo ad unc. ij; oleo lilior., communi, aut violacco, ad unc. iij; sale comm. aut gemmæ ad dragm. j. Quia vero decoctum emolliens in officinis haberi solet, ideo nunquam fere præscribitur; sed adsolute enunciatur. ut

℞. *radic. althææ, lilior. albor., an unc.* j.
herbar. malvæ, bismalvæ. parietariæ, mercurialis, brancæ ursinæ an. m j.
sem. lini, fœnugræci an. unc. ſ.
ficus N° iiij.
Coquantur in ſ. q. aq. comm. ad lib. j.
Colaturæ adde diaphœnici, diapruni ſ. ana unc. ſ.
olei violacei, camomillor., an. unc. j.
salis commun. dragm. j. M. *F.* Clyster emolliens, *mox injiciendus.*

Detergens. *Detergens* clyster componitur ex decoctione hordei, fur-

furfuris macri, & rosar. rubr. ana m. j. *Vel* etiam ex aliis ingredientibus.

Si simul leniendum sit, flores camomill. & meliloti præscribuntur ad pugill. ij vel iij. *Vel* additur vitellus ovi. ut

℞. *hordei integri, furfuris macri an. pugill.* j.
flor. rosar. siccar., camomill., meliloti an. pug. s.
semin anisi, fœniculi, melonum an. dragm. j.
decoquantur in aq. comm. ad lib. j.
Colaturæ adde mellis rosati, sacchari rubri an. unc. j.
vitellum ovi N° j. *Misce*, F. Clyster detergens.

Si vero lumbrici etiam sunt eliciendi in pueris, adduntur passulæ & liquiritiæ radix, ad dragmam j singulorum.

Quantitas clysteris detergentis non excedit lib. j. Et in ea dissolvitur saccharum rubrum ad unc. ij, vel cum eo mel rosaceum, diminutâ sacchari dosi. Dissolvitur etiam vitellus ovi unus pro puero, in adultis verò duo. Pueris etiam diminuitur quantitas decocti ad lib. s. vel unc. viij.

Adstringentes clysteres fiunt ex decocto simplicium adstringentium, dosi apozematis paulò minore; & in decocti lib. j. dissolvitur saccharum, mel rosarum, & vitelli ovorum, dosi prædictâ. *Adstringens.* ut

℞. *rad. thapsi barbati, symphyti, bistortæ ana unc. j. s.*
cortic. mali granati unc. j.
fol. plantag., verbasci, polygoni, myrthi, caudæ equinæ, bursæ pastoris, herniariæ an. M. *j.*
sem. sumach, portulacæ, acinor. uvæ an. dragm. ij.
flor. rosar. sicc., salviæ, balaustior. an. p. j.
Decoquantur in aq. ferrata q. s. In colaturæ lib. j.
dissolve syr. de rosis siccis unc. ij. *vitellos ovor. N°* ij
Misce, F. Clyster.

Anodyni clysteres fiunt ex lacte, vel decocto capitis & intestinorum vervecis, vel ex decocto emollientium & anody- *Anodynus.*

nodynorum ad lib. j, dissolvendo in ea saccharum & vitellos dictâ quantitate.

Interdum in gravissimis doloribus intestinorum aut partium adjacentium, ut renum, v.gr., & similium, dissolvitur in eâ philonium romanum ad dragm. j vel ij, aut laudanum opiatum ad gr. viij. ut

℞. *rad. althææ, lilior., malvæ ana unc.* j.
herb. anethi, violariæ, sambuci, malvæ ana m. j.
farin. sem. lini, fœnugræci an dragm. iij.
flor. verbasci, meliloti, camomillæ an. p. j.
Decoquantur in s. q. aq. comm. ad lib. j, *in qua dissolve electuar. benedictæ laxativæ, sacchari rubri an. unc.* j, *vitellos ovorum* N° ij, *philon. roman. dragm.* j,
Misce, F. Clyster.

Ad dolorem colicum. Ad *colicum dolorem* fiunt clysteres carminantes, ex decocto simplicium, flatus discutientium, qualia sunt ea, quæ pituitam attenuant: iique præscribuntur eo modo, ut dixi in clystere adstringente; & dissolvendo in decocto oleum rutaceum, laurinum, vel anethinum ad uncias iiij.

Vel fiunt clysteres ad eundem scopum ex vini generosi & olei carminantis ana lib. s.

Ad calculum renum. Ad *calculum renum* expellendum fiunt clysteres ex decocto simplicium emollientium & aperientium, dissolvendo in eo aperientia ad uncias iij vel iiij, quorum præcipuum est oleum scorpionum. Additur *interdum* etiam terebinthina, vitello ovi dissoluta, ad unciam j. ut

℞. *rad. liliorum, althææ, ireos an. dragm.* vj.
petroselini, fœniculi, apii an. unc. s.
herb. origani, pulegii, calamenthæ, rutæ an. m. j.
baccar. juniperi, lauri an. dragm. ij.
sem. cumini, dauci, an dragm. iij.
flor. camomillor., meliloti, ana p. j.
Decoq. in aq. comm. q. s. In Colaturæ lib. j *dissolve*
mellis

mellis anthosati, benedictæ laxat., olei
lilior., anethini, scorpionum an. dragm. vj.
terebinthinæ, cum vitello ovi dissolutæ, unc. j.
Misce, F. Clyster.

Fiunt etiam interdum clysteres *nutrientes* ex jusculo, saccharo, & vitellis ovorum; quibus quandoque ad corroborandum additur confectio alkermes, aut de hyacintho, ad dragm. ij. ut *Nutrient.*

℞. *juris carnium lib.* j.
sacchari unc. ſ.
vini unc. ij.
vitellos ovor. N° ij.
confect. alkermes dragm. ij. *M. F.* Clyster.

Injectiones in varias partes fieri solent, ut uterum, vesicam, aures, fistulas, & alias cavitates, naturâ vel morbo factas. *Injectiones.*

In *uterum* fiunt injectiones ad menses movendos, sordes detergendas, dolorem & inflammationem sedandam, multasque alias intentiones.

Fiunt autem hujusmodi injectiones *ex decocto* simplicium idoneorum, dosi apozematis paulo minori, ad lib. j. præter propter; idque pro pluribus injectionibus, ita ut unciæ iij vel iv pro singulis injectionibus, per metrenchytam infundendis, sufficiant. *Vel* fiunt ex herbarum succis depuratis. *Vel* ex aquis stillatitiis. *Et* non raro in prædictis liquoribus quædam dissolvuntur, ut syrupi, electuaria, trochisci, pulveres, &c. ut

℞ *rad. apii. fœniculi, ireos florentinæ an. unc.* j.
rubiæ tinctor., cyclam., an. unc. j *ſ.*
herbar. matricariæ, artemisiæ, salviæ,
mercurialis, pulegii, origani, calaminthæ,
chamæd. an. m. j.
sem. fœniculi, dauci, nigellæ an. dragm. j.

flor. ſtœchad., centaur. min., geniſtæ,
ſpicæ nardi an. p. ſ.
cinnamomi dragm. ij.
Decoq. in æqual. partib. aq. comm. & vini albi, ad lib. j.
Colaturæ unc. iij. *injiciantur calidè, per vices, cum metrenchyta* in uterum *ad eum calefaciendum.*

In *aurem* fiunt, ad flatus diſſipandos, doloreſque tollendos.

Ad *inflammationem* ibi ſiſtendam, talis poteſt fieri injectio:

℞. *ſuccorum defæcatorum lactucæ, portulacæ,*
violariæ an. unc. ſ.
aq. roſar. nymphææ an. dragm. iij.
Miſceantur, & F. Injectio; *de quâ aliquantum* in aurem *ſyringâ vel linteoli expreſſione injiciatur; quo facto claudatur auris bombace, & poſt horæ quadrantem vel ſemihoram purgetur; & deinde nova rurſus fiat inſtillatio.*

Ex his facile intelligi poteſt, quomodo aliæ injectiones, ad alios ſcopos, & in quaſvis alias partes, ſint faciendæ.

Peſſaria. *Peſſaria* ſunt medicamenta oblonga, quæ, ad varios uteri affectus, in craſſioris longioriſque digiti figuram efformata, in cervicem ejus jmmittuntur.

Naſcalia. *Nonnunquam* tamen formantur inſtar globuli, pro virginibus, ut ab illis facilius admittantur; & tum *Naſcalia* vocantur.

Parantur autem peſſaria *vel* ex unguentis, opiatis, aut electuariis ſolis, ad unc. j ſ. vel unc. ij. ſtupis mollioribus exceptis, & tenui, ne uterus lædatur, panno ſerico vel lineo involutis. *Vel* ex pulveribus idoneis ad ℥j. vel unc. j ſ. melle cocto exceptis, inſtar ſuppoſitorii, unde peſſaria formantur. *Vel* ex herbarum ſuccis, ad unc. ij, cotone exceptis, quibus pro arbitrio Medici, pulveres poſſunt admiſceri ad unc. ſ. vel dragm. vj. ut ℞. *ele-*

℞. *electuar. benedictæ laxativæ unc.* ij. *agaric trochiscati dragm.* ij. *succi mercurialis q. s. misceantur, iisque lana pexa imbuatur, & F. Pessaria, panno serico involuta, & filis alligata* No ij ; *quorum unum in uteri cervicem immittatur, quod post quatuor horas, ope fili alligati, rursus educatur ; ac alterum postea eodem modo inseratur.* *Purgantia.*

Vel ℞. *myrrhæ, sem. nigellæ, an.* ʒiij. *salviæ* ʒij. *castorei* ʒs. *excipiantur melle cocto, iisque lana pexa vel stupa, in digiti crassioris modum contorta, imbuatur, & Fiat* Pessarium. *Menses moventia.*

℞. *cornu cervi usti, gallarum an.* ʒj. *thuris, balaustior., rosar. rubr. an.* ʒj. s. *gummi arabici, acaciæ, hypocistidis an.* ʒij. *boli armeni* ʒs. *Redigantur in pulverem, qui excipiatur succi plantaginis quant. suffic., iisque lana pexa vel stupa imbuatur, ac* F. Pessi, *ad magnitudinem majoris digiti,* No ij. *Menses sistentia.*

Errhinum est medicamentum, quod naribus inditum, ex cerebro, sine sternutatione, humores, & præsertim pituitam, evacuat. *Estque* liquidum, molle, vel solidum. *Errhinum.*

Liquidum fit ex herbarum errhinarum & cephalicarum manipulis iiij, ex quibus affusis vini vel alterius liquoris unciis iiij, vel vj, educitur succus, cui interdum, ad majorem penetrationem, additur spiritus vini uncia una. *Vel* ex simplicium idoneorum decocto, dosi apozematis dimidia, ad unc. viij; in quibus interdum dissolvuntur succi convenientes ad unc j. ij. vel tres, item mel vel syrupus ad unc. j vel ij, & pulveres à dragm. s. ad dragm j. ut *Liquidum.*

℞. *majoranæ, salviæ, betæ, anemones an. m.* j.

rad. ireos recent. unc. ſ.
Contundantur in mortario marmoreo, affundendo vini albi & aq. betonicæ an. ℥j. Exprimatur ſuccus, cui addatur ſpiritus vini ℥j, elaterii ʒſ.
F. Errhinum, *quo utatur tepidè per nares attracto, duabus horis ante paſtum, ore prius aquâ repleto.*

Vel ℞. *rad. iridis recent. ℥ ſ.*
fol. betonicæ, endiviæ, pulegii, origani, hederæ, caulium rub., mercurialis, ſambuci an. m. ſ.
agarici, fol. ſennæ, an. ʒiij.
flor. ſalviæ, ſtæchados an. pug. j.
Decoquantur in decocto guajacino ad ʒviij, *in quibus diſſolve mellis anthoſati & ſyr. de ſtæchade an.* ʒvj.
F. Errhinum, *quo utatur, ut antea fuit præſcriptum.*

Molle. *Molle* fit ex pulvere, oleo, melle, vel ſuccis excepto, & ad opiatæ conſiſtentiam decocto. ut

℞. *ſucci nicotianæ, pulegii, betæ, betonicæ an. ℥ ſ.*
mellis anthoſati, ſyr. de hyſſopo ℥j.
Coquantur leniter ad opiatæ conſiſtentiam; addendo pulv. piperis albi, elaterii, pyrethri an. ℈j.
F. Errhinum, *de quo pauxillum naribus illinatur, & prono capite procliciantur è cerebro humores. Poſtea abluantur nares aquâ tepidâ.*

Solidum. *Solidum*, quod *Naſale* dicitur, fit ex pulveribus errhinis ad dragm. ij vel iij, mucilagine, terebinthinâ, vel cerâ exceptis. ut

℞. *pulver. acori, caſtorei, elaterii, ellebori albi, nucis moſcatæ, piperis albi an.* ℈j.
Excipiantur ceræ & terebinthinæ æqualib. part. q. ſ.
F. Naſalia *figuræ pyramidalis.*

Sternutatorium. *Sternutatorium* eſt medicamentum, quod naribus inditum, per ſternutationem caput expurgat.

Fit ex dragmis duabus pulveris alicujus ptarmici, naribus

bus inflati. *Ubi* monendum, quod euphorbium, quod inter ptarmica est validissimum, ultra grana v, vel vj, non sit præscribendum. ut

℞. *pulv. helleb. albi, tabaci, an.* ℈ij.
piperis albi, majoranæ an. ℈j. *euphorbii gr.* vj.
F. Pulvis sternutatorius, *qui pennâ in nares infletur.*

Fit etiam commodissimum sternutatorium ex radice hellebori albi, ad dragmas ij vel tres infusâ vel decoctâ in aq communis unciis iij vel iv; liquor enim transcolatus, & calamo anserino aperto in nares immissus, egregiè sternutationem excitat.

Gargarisma est medicamentum liquidum, fauces, gargarizando, sine deglutitione, colluens. *Gargarisma.*

Hoc ad varios oris & partium adjacentium affectus curandos adhibetur.

Componitur ex decocto simplicium, quantitate apozematis ad lib. j vel j s. in qua dissolvuntur syrupi ad uncias iij vel iv. Et quia frequentissime gargarismata parantur adstringentia, ad fluxiones humorum repellendas, ideo usitatissime in iis dissolvuntur diamorum, dianucum, & syr. de succo rosarum; & non rarò mel rosaceum, ubi est detergendum. *Fiunt* interdum etiam ex aquis stillatitiis ad lib. j vel j s., syrupos prædictos in iis dissolvendo, & addendo interdum acetum. ut

℞. *fol. acetosæ, portulacæ, plantag., summitat. rubi an. m.* j.
cortic. mal. granat.
sem. sumach an. dragm. ij.
rosar. rubr. siccar p. ij.
Decoq. in aq. comm. ad lib. j. *Colaturæ adde*
diamori, dianuci, aceti an. unc. j.
Misce, F. Gargarismus, *quo utatur omni horâ.*
Vel ℞. *aq. stillatit. plantag., solani, rosar. an. unc.* iij.
aceti unc. j. *s.*

syr. granator acid., myrthini an. unc. j.
Misce *pro* Gargarismo.

Masticatorium.

Masticatorium est medicamentum, quod dentibus masticatum, & per os volutum, pituitam ex ore & vicinis partibus elicit.

Hoc *fit vel* ex rad. pyrethri solâ, in frustula incisâ, & in aceto maceratâ, *vel* ex multorum simplicium pulveribus cerâ exceptis, ut inde globuli conficiantur.

Illa simplicia, magis usitata, sunt radices pyrethri, zinziberis, ireos: semina synapi, staphidis agriæ, piper longum: mastiche; quibus adduntur cephalica, & caryophylli, nux moscata, &c.

Pulveris *quantitas* non multum excedit unciam dimidiam. *Ceræ* quantitas non definitur. ut

℞. *rad. pyrethri, ireos florentin. an.* ʒj*ſ.*
nucis moscatæ, fol. sennæ,
sem. staphid. agriæ, synapi an. ʒ*ſ.*
Pulverisentur, & addatur parum masticbes, ac cum ſ. q. ceræ formentur Globuli masticatorii. De quibus masticetur unus mane, prono capite, frequenter expuendo.

Collyrium.

Collyrium est medicamentum, quod oculis, ad eorum affectus curandos, inditur.

Hoc variis *componitur* modis. *Usitatissimum* est liquidum, quod frequentissime componitur, ex aqua stillatitia ad unc. iij vel iv, cui admiscetur pulvis conveniens, v. gr. tuthiæ præparatæ, trochiscorum alb. Rhasis, antimonii loti, sarcocollæ in lacte muliebri nutritæ, ad dragmam j. vel j ſ. *Interdum* succi permiscentur, vel albumen ovi agitatum additur, ad unc. j. vel ij. ut

℞. *aq. rosar. nymphææ an. unc.* j.
plantag., solani an. unc. ſ.
tuthiæ præp. sief albi an. ʒ*ſ. vitrioli alb. gr.* iij.
M. F. Collyrium;

Cujus

Cujus guttæ aliquot inſtillentur in oculi canthum majorem: & linteolum, eo imbutum, oculo admoveatur, & ſæpe renovetur.

CAPUT XII.

De Externorum Medicamentorum formulis.

POſt medicamenta *interna* ſequuntur *externa*; quorum præcipua ſunt Epithema, Fomentum, Balneum, Semicupium, Oleum, Linimentum, Unguentum, Cataplaſma, Veſicatorium, Sacculus, Cucupha, Frontale.

Epithema eſt medicamentum externum, quod præcipuè partibus corporis nobilioribus, & præſertim cordi & hepati, admovetur. *Epithema.*

Eſtque liquidum, *vel* ſolidum.

Liquidum fit ex decocto vel aquis ſtillatitiis, ad unc. viij. vel lib. j; ſuccis fructuum, ut v.gr. pomorum redolentium, limonum, granatorum, ad unc. ij. vel iiij; aceto roſato, ad unc. j. vel j ſ; pulveribus cardiacis, ad dragm. ij. vel iij. *Liquidum.*

Interdum præter pulveres cardiacos permiſcentur confectiones cardiacæ, ut alkermes vel de hyacintho, ad drag. j. vel ij, & trochiſci de caphura, in epithemate refrigerante, ad ſcrup. ſ; crocus, in calefaciente, ad gr. vj. ut

℞. *aq. meliſſæ, ſcabioſæ, card. bened. an* ℥iv.
aceti roſacei, vini albi an ℥j.
ſp. diamoſci, diambræ an. ℈ij.
trochiſc. de ſpodio, ſem. citri an ʒſ.
confectionis alkermes, de hyacyntho an. ℥j.
croci gr. v. *Miſce*, Fiat Epithema liquidum, *quo foveatur regio cordis tepide, bis terve in die, cum pannis hoc liquore imbutis & expreſſis.*

Vel ℞. *aq. roſ.* ℥ij. *aq. ſolani* ℥j. *ſ. vini albi* ℥ſ.

tro-

trochisc. de camphora ℈j. M. F. Epithema, *testibus, in hæmorrhagia magna, frigide, cum linteis, eo imbutis & expressis, adhibendum.*

Solidum. *Solidum* tantum cordi admovetur; & componitur à nonnullis, ex conservis cardiacis ad unc. iij, confectionibus ad unc. ſ, pulveribus ad dragm. j ſ. vel ij, aquâ cardiacâ q. ſ. ut

℞. *conserv. flor. borrag., ros. ana* ℥j.
confect. alkermes. de hyacintho an. ʒj.
theriacæ ℈j.
pulv. elect. de gemmis, diambr. an. ʒſ.
ligni aloës, santali citrin., croci an. gr. v.
Cum aq. melissæ q. ſ. F. Epithema ſolidum, *extendendum ſuper linteo vel ſerico rubro, & cordis regioni tepide applicandum.*

Fomentum. *Fomentum* eſt liquor, variis partibus, beneficio lintei, filtri, ſpongiæ, vel veſicæ, fovendi cauſâ, applicandus.

Frequentissime præſcribuntur fomenta in latere ad dolores pleuriticos; in ventriculo ad corroborandum; in hypochondriis ad obſtructiones ſolvendas. *Nonnunquam* etiam pro artubus, & oculis.

Pro latere fiunt decocta ex ſimplicibus emollientibus, additis anodynis & reſolventibus: doſi fere apozematis. ut

℞. *malvæ, althææ, violariæ, an. m.* ij. *ſcabioſæ m. ſ. flor. camomillor., meliloti an. p.* ij.
ſem. lini unc. ſ.
Decoquantur in aq. comm. pro Fotu,
quo foveatur latus dolens calide & frequenter, linteo duplicato, ſpongiâ, filtris illo liquore imbutis & expressis, vel veſicâ ſuillâ eo ſemiplenâ.

Vel prædicta ſimplicia poſſunt includi ſacculo; & in aquæ communis ſufficienti quantitate coqui; ſaccuſque cali-

calidus & expressus lateri dolenti, ad doloris sedationem, imponi.

Pro ventriculo præscribuntur simplicia stomachica dosi apozemate minore; quibus adduntur aromata, ut caryophylli, nux moscata, spica nardi, satis magna dosi, singulorum sc. dragm. ij vel iij; & decoquuntur in æq. partib. aq. fontis & vini rubri adstringentis, sub finem additi; vel, ubi magis adstringendum, loco aquæ fontis aqua ferrata præscribenda. ut

℞. *Herb. menthæ, absinthii an. m.* ij. *thymi, hyssopi, pulegii an. m.* j.
flor. rosar. rubr., camomill. an. p. ij. *balaust.* ʒ*ſ.*
galangæ, nucis moschatæ, garyophyllor. an. dragm. ij.
macis, cinnamomi an. ʒ*ſ.*
F. decoctio in æquis partibus aq. comm. & vini rubri, sub finem additi; qua foveatur regio ventriculi calidè, longè à pastu, duobus sacculis, prædictis simplicibus semiplenis.

Pro hypochondriis fit decoctio ex simplicibus aperientibus, & convenientibus, dosi dictâ, in æquis partibus aquæ communis & vini albi sub finem additi; dummodo calida intemperies non impediat. ut

℞. *rad. ireos unc.* j. *cyclaminis unc. ſ.*
herb. absinthii, majoranæ, betonicæ, spicæ celticæ ana m. j.
sem. fœniculi ʒij. *carui* ʒiij.
gran. juniperi p. j. *baccarum lauri p. ſ.*
flor. camomil., meliloti, sambuci an. p. j.
F. decoctio in æq. part. aq. & vini sub finem additi; quâ foveatur hypochondrium laborans, calide, & frequenter, cum spongiis vel philtris imbutis & expressis.

Balneum est totius corporis lavatio. Balneum.
Hoc præscribi solet ad refrigerandum, calefaciendum,

humectandum, menſes movendos, conceptum juvandum, ſcabiem, elephantiaſin, alioſque affectus.

Artificiale frequentiſſime componitur ex radicibus, à libr. iij ad vj; herbis, à manip. v. ad. xv.; ſeminibus, ab unc. iv. ad lib. j; fructibus ad lib. j; floribus à pugillis iv. ad xij. ut

℞. *rad. enulæ camp., bryoniæ, cucum. agreſtis an. lib.* j.
aſari, ſerpentariæ, hellebori albi an. unc. ij.
herb. fumariæ, ſcabioſæ, ſaponariæ, chelidoniæ maj., malvæ, violariæ an. m. iij.
cicer. rubr., hordei integri, furfur. macri an. ℥iij.
flor. ſambuci, tamariſci, geniſtæ, roſar. an. p. ij.
tartari unc. j. *ſ.*
Coquantur in ſ. q. aquæ comm. pro Balneo ad ſcabiem & cutis affectus; *quod ingrediatur æger tepidum, ſine ſudore, bis in die, per biduum vel triduum.*

Semicupium. *Semicupium* eſt dimidium balneum, cui æger umbilico tenus immergitur.

Componitur ex iiſdem ſimplicibus, quibus balneum; ſed dimidiâ ejus quantitate. ut

℞. *rad. rubiæ tinctor., valerianæ, apii, petroſelini, fœniculi, ireos hortenſis an.* ℥ij.
herb. nepetæ, matricariæ, marrubii, pulegii, calamenthę, mercurialis, abrotani, lauri, ſabinæ an. m. j.
ſem. dauci, fœniculi, petroſelini an. ℥ *ſ.*
flor. ſambuci, tamariſci, geniſtæ, centaur. min. an. p. ij.
cicerum rubr. ℥ij.
F. omnium decoctio in aq. comm., *pro* Semicupio ad menſes movendos; *quod ægra ingrediatur umbilico tenus, mane & veſperi, longe à paſtu, per biduum vel triduum, ſub menſtruorum tempus.*

Olea rariſſime componuntur à Medicis; quia in officinis ad omnes fere intentiones parata habentur. *Oleum.*

Præ-

Præscribuntur fere ad uncias iij, iv, vel vi; habitâ tamen ratione magnitudinis morbi & partis affectæ. ut

℞. *ol. de absinthio, de mentha an.* ℥j.
mastichini, nardini an. ℥ß.
nucis moscatæ expressi ʒij.
Misceantur, & inungatur regio hepatis in hypochondrio dextro, calide; ac postea imponantur lintea calida.

Linimentum est medicamentum externum, consistentiâ, inter oleum & unguentum mediâ, præditum. *Linimentum.*

Hoc *componitur* vulgo ex oleis officinalibus, cum axungiis, butyro, medullis, aut mucilaginibus; eâ proportione, ut sit oleorum quantitas reliquorum dupla: unde justa linimenti consistentia, jam proposita, emergit. *Vel* loco axungiæ vel butyri cera præscribitur eâ quantitate, ut pro olei unciâ sit ceræ dragma. *Passim* tamen ceræ quantitas non definitur; sed præscribitur in fine, ceræ q. s. *Interdum* pulveres admiscentur ad dragmam dimidiam pro olei unciâ. *Vel* denique fit linimentum ex unguentis officinalibus, cum oleis duplâ quantitate, & pulveribus, si lubet, dictâ proportione additis.

Quantitas linimenti præscribitur pro partis affectæ magnitudine. Passim tamen ad unc. iv, vel vj. ut

℞. *olei terebinthinæ, petrolei, lateritii, vulpini, lumbricorum, mastichini an.* ℥ß.
salviæ, rorismarini, nucis moscatæ an, ʒß.
unguent. de arthanita, agrippæ an. ʒvj.
gummi ammoniaci in aceto dissoluti ʒj.
castorei ʒß.
F. Linimentum, *quo partes paralysi affectæ illinantur, calidè, admotis linteis calidiusculis.*

Vel ℞. *olei mastichini, de absinthio an.* ℥ß.
nucis moscatæ, garyophyllor. an. ℥ß.

ſpec. aromatici roſati ℈ j. *ceræ parum.*

Miſce, F. Linimentum, *quo ventriculi regio mane & veſperi inungatur cum cotone impoſito.*

Unguentum. *Unguentum* eſt medicamentum externum, quod conſiſtentiam linimento paulò craſſiorem habet.

Unguenta vulgò *componuntur* ex oleis, pulveribus, & cerâ; eâ proportione, ut, pro olei uncia, ſit pulveris dragm. j vel j ſ, ceræ dragmæ ij. Plerumque tamen ceræ quantitas non definitur; ſed additur q. ſ.

Frequenter quoque unguenta efficaciſſima fiunt ex oleis ad unc. iv. vel vj, pulveribus ad unc. ſ. vel dragm. vj, ſuccis dimidiâ oleorum quantitate vel paulò majore, ita ut bulliant ad ſuccorum conſumtionem; addendo poſtea ceræ q. ſ, vel aliquando unguentum officinale ad unc. j ſ vel unc. ij, & ceræ q. ſ.

In prædictis unguentis ſæpè miſcentur pinguedines, medullæ, butyrum, & mucilagines; quæ pro oleo ſunt æſtimanda; gummi verò, quale eſt ammoniacum & bdellium, ceræ locum obtinet.

Fiunt etiam unguenta ex unguentis officinalibus ad unc. ij, oleo plus minus quantitate puluerum ad dragm. ij, vel iij; cerâ q. ſ.

Vel interdum unguentum officinale tantûm, ſine ulla additione, præſcribitur.

Quantitas totius maſſæ, pro partis ungendæ magnitudine & temporis diuturnitate, eſt præſcribenda ad uncias iij, iv, v, vel vj.

Res patet ex his exemplis:

℞. *Olei nardini, maſtichini, de abſinthio an.* ʒj.
pulv. caryophyll., ſpec. aromatici roſati an. ʒſ.
olei nucis moſcatæ expreſſi ℈ij.
ceræ q. ſ, F. Unguentum, *quo mane & veſperi inungatur regio ventriculi circa os enſiforme, tepide, & poſtea*

ſtea linteum duplicatum imponatur.

Vel ℞. *olei myrthini, cydoniorum an. unc.* ij. *lentiſcini unc.* j.
unguenti comitiſſæ unc. ſ.
pulver. roſar. rubr., boli armeni, coralli rubr.,
acaciæ, hypociſtidis, an. ʒj.
cinnamomi ʒ. *ſ.*
ceræ rubræ q. ſ. F. Unguentum, *quo venter, in fluxu lienteriæ vel diarrhææ, calide inungatur.*

Emplaſtrum eſt medicamentum externum, quod linteo vel pelli tenui inductum, cuti corporis imponitur, eique tenacius adhæreſcit. *Empla-ſtrum.*

Componitur vulgo ex oleis, aut iis, quæ olei conſiſtentiam fere habent, qualia ſunt axungiæ, medullæ, butyrum, mucilagines; item ex pulveribus, & cerâ, aut iis quæ ad ceræ conſiſtentiam accedunt, qualia ſunt reſinæ, pix, & gummi.

Fiunt etiam emplaſtra ex emplaſtris officinalibus ad unc. j vel j ſ; pulveribus ad unc. ſ. vel dragm. vj; oleo ad unc. j. cerâ q. ſ.; addendo terenbinthinæ parum. *Vel* ex ſolis emplaſtris officinalibus. Vel ex ſolis gummatis diſſolutis.

Ingredientium *talis eſt proportio*, ut pro olei uncia j, ſint pulveris dragmæ vj, ceræ unc. ſ.

Quantitas totius maſſæ eſt proportionanda magnitudini partis affectæ, ad unc. ſcilicet j, ij, iij, vel iv. ut

℞. *lithargyrii aurei* ʒij. *ſ.*
plumbi uſti ʒj ſ.
tuthiæ præpar., minii, an. ʒvj.
olei roſacei ʒviij.
ceræ novæ ʒiiij.
F. Emplaſtrum, *quod extendatur ſuper linteis, & ulceribus antiquis adhibeatur.*

Vel ℞. *gummi ammoniaci in aceto diſſoluti,*
emplaſtri de mucilaginibus, de meliloto an. ℥ *ſ.*

pulv. ceterach. ʒiij. *ol. de capparibus q.ſ.*
F. Emplaſtrum, *quod in corio extenſum, lieni, in ſiniſtro hypochondrio, applicetur.*
Vel ℞. *galbani, in aceto diſſoluti* ʒj.
Extendatur ſuper alûta. & F. Emplaſtrum *rotundum, uteri regioni inter umbilicum & pubem applicandum.*

Cataplaſma. *Cataplaſma* eſt medicamentum externum, quod pultis conſiſtentiam habens, linteis inducitur, & calens partibus affectis adhibetur.

Componitur vulgo ex radicibus, foliis, ſeminibus, doſi fotus præſcriptis; quæ decoquuntur in liquore idoneo, & contunduutur; ac ſæpè etiam trajiciuntur per ſetaceum; ac deinde adduntur pulverum vel farinarum unciæ ij, iij, vel iv, & oleorum unciæ ij, iij, vel iv, ut

℞. *rad. enulæ, althææ, lilior. alb. an.* ʒj.
fol. thapſi barbati, abſinthii, rutæ, an. m. j.
flor. camomill., meliloti, an. p.ſ.
ſem. aniſi, fœniculi, dauci, an. unc.ſ.
Baccar. lauri, juniperi an ʒiij.
Coquantur, in aq. communis & vini albi æquis partibus, adjuſtam mollitiem; poſtea contundantur in mortario, & per ſetaceum trajiciantur; ac addantur olei anethini, camomillor., roſar. an. ʒj.
farinæ lupinor., lini an. ʒjſ.
F Cataplaſma, *partibus ex frigida cauſa dolentibus adhibendum.*
Vel ℞. *herb. malvæ, biſmalvæ, cereſolii ana m.* j.
farin. ſem. lini, fœnugræci, an. unc.ſ.
medullæ panis candidi ʒij.
Cum lacte vacinno q.ſ. F. Cataplaſma *reſolvens & dolorem ſedans.*

Ad cataplaſmata referri poſſunt *veſicatoria*, ex fermento

to acri cum pulvere vesicantium, inter quæ excellunt cantharides, facta. ut

℞. *fermenti acris* ʒjs.
cantharidum pulv. ʒij.
aceti sclllitici q. s. F. Cataplasma Vesicatorium.
linteo ad magnitudinem volæ inducendum, & posteriori parti cervicis, vel alii, ubi convenit, imponendum.

Sacculi componuntur ex variis simplicibus, scopo Medici convenientibus; eaque, si opus est, conteruntur, sacculoque, cujus figura parti affectæ quadrat, excipiuntur; qui sæpe, ne materia in unum locum coacervetur, acu, in quibusdam locis, intersuitur. *Sacculi.*

Quantitas ingredientium parti affectæ respondere debet.

Sacculus *interdum siccus* & calefactus parti imponitur: *interdum irrigatur* aceto vel vino, & in lapide calido, antequam corpori admoveatur, calefit. ut

℞. *fol. absinthii pont., mentbæ, majoranæ an. m.* j.
flor. betonicæ, rosar. rubr. an. m. s.
cortic. citri, galangæ, garyophyllor. an. ʒij.
calami aromatici, nucis moscatæ,
baccarum lauri an. ʒj.
Fiat omnium pulvis, qui excipiatur cotone, & suatur inter duo linteola rara, ut fiat sacculus, ventriculum calefaciens, in formam scuti, quem ferat supra regionem ventriculi, converso apice versus cartilaginem xiphoidem.

Vel ℞. *cortic. citri siccor.* ʒj.
herb. melissæ, borrag.,
flor. rosar. rubr., stæchados an. ʒiij.
lavendulæ ʒj.
sem. coriandri, melissæ.
ligni aloës.
caryophyllor., macis, cinnamomi,

croci

croci, benjoini an. ℈j.

Omnia redigantur in pulverem, ex quo cotone excepto, cum ſerico rubro interpungendo, F. Sacculus, *ſuper cordis regionem geſtandus.*

Ad ſacculos pertinet *cucupha* & *frontale.* Illa enim eſt ſacculus capitis; hoc frontis.

Cucupha. *Cucupha* fit ex cephalicis magis odoratis; radicibus ſc. ad unc. j; foliis ſiccis ad m. ij, vel iij; floribus ad pug. ij vel iij; aromatibus ad unc. ſ. quibus addi poteſt pulvis violaceus vel cyprius ad unc. ſ; ſtyrax vel benjoin ad dragm. j. ij. vel iij; moſchus ad ſcrup. ſ. ut

℞. *rad. acori, calami aromat., cyperi, irid. florent. an.* ℥ij.
fol. ſiccor. roriſmarini, meliſſæ, ſalviæ, origani an. m. ſ.
flor. ſtæchad. arab., lavendulæ, ſpic. nardi, lilii convall. an. p. ſ.
cinnamomi, nucis moſchat., macis, caryophyll. an. ℈ij.
ſtoracis, benzoin an. dragm. ſ.
Omnia in pulverem redacta excipiantur cotone moſchato, & cum panno ſerico interpuncto, F. Cucupha, *ſuper capite geſtanda, vel pileo aſſuenda.*

Interdum duæ præſcribuntur cucuphæ; una interdiu, altera noctu geſtanda; & tunc pulveris quantitas eſt duplicanda.

Frontale frequentiſſime, ad capitis dolorem & fervorem, fronti adhibetur. ut

℞. *ſem. 4. frigidor. major., papav. albi an.* ℥j.
flor. roſar., violar., nymphææ, an. pug. j.
camomill., meliloti an. p. ſ.
ſpec. diatrium ſantal. ℥j
Omnia in pulverem craſſum redacta includantur duobus pannis lineis, & F. Frontale, *quod vapore aceti irroratum fronti applicetur, horâ ſomni.*

Vel

Vel ℞. *unguenti populeon.* ʒvj.
ol. rosacei ʒij.
albuminis ovi part. med.
Agitentur omnia simul,& excipiantur stupis cannabinis, ac duobus linteis inclusa applicentur fronti.

CAPUT XIII.

De Curatione Intemperiei.

HActenus egimus de *remediis*, eorumque *usu*; in quibus tota *generalis Therapeia* consistit. Sequitur, ut *Curationis Therapeuticæ species* proponamus; quæ *duæ* sunt: *Sanatio* & *Palliatio.*

Sanatio est Therapeia, qua morbi sanabiles ad sanitatem perducuntur. *Sanatio.*

Hæc curat vel morbi *species*, nempe intemperiem & pravam partium conformationem; vel *communes* morborum *differentias.*

Intemperies curatur remediis, contrariis qualitatibus præditis; *iisque* fere solis diæteticis, vel pharmaxeuticis. *Intemperici.*

Interdum tamen etiam chirurgia ad intemperies curandas adhibetur; ut apparet, ubi fonticulis, cauteriis, vel frictionibus, ad intemperiei humidæ cerebri vel alîus partis medelam, utimur.

Estque *hæc* curatio *vel* manifestæ intemperiei, *vel* occultæ.

Manifesta intemperies curatur remediis, contrariis manifestis qualitatibus donatis. Itaque *Manifestæ.*

Intemperies *calida* corrigitur frigidis. *Frigida* calidis. *Humida* siccis. *Sicca* humidis.

Quod *justo tenuius* est, corrigitur incrassantibus; cujusmodi sunt frigida, vel temperata, citra acrimoniam.

Crassum attenuantibus; cujusmodi sunt omnia, quæ sunt tenuium partium.

Durum mollitur iis, quæ molliendi vim habent.

Lentum abstergitur abstergentibus.

Acre mitigatur iis, quæ leniunt, & partes acutas involvunt.

Non solum autem, ut ex ante dictis patet, contrarietas in genere; sed & gradus contrarietatis, quantum fieri potest, observari debet. *Itaque*, qui plurimùm à naturali statu recessit morbus, vehementibus indiget remediis; & *contrà*, qui non multùm à naturali abest, mitiora postulat.

Hinc morbus calidus, in corpore naturâ frigidiori, valentibus est expugnandus frigidis: & morbus frigidus, in corpore naturâ calidiore, calidiora requirit remedia. *Contrà* verò calidus morbus, in corpore naturâ calidiori, frigida mitiora requirit remedia; & frigidus morbus, in corpore frigidiore, calidis debilioribus est debellandus. *Et* ita de cæteris.

Cum autem intemperiebus simplicibus curandis simplicia contraria medicamenta maximè conveniant, si ea semper in promptu non sint, admixtione aliorum qualitas illa, quæ minus convenit aut noxia est, tolli potest: sicut *contrà*, in compositis intemperiebus, si medicamentum, quod compositis contrariis qualitatibus convenit, habere non licet, admixtione aliorum id, quod desideratur, est supplendum.

Capitis. In *capitis affectibus curandis* non facile ultra mediocritatem alterandum est: ne calor ejus nativus debilitetur, vel dissipetur, vel spiritus nimium incalescant. *Tutius* tamen est hîc calefacere, quam refrigerare: quia cerebrum est pars frigida.

Thoracis & pulmonum. In *Thoracis & pulmonum affectibus*, cavenda nimia exsiccatio; ne materia incrassetur, & ad educendum inepta evadat. *Ubi* verò refrigeratione opus est, cavendum ne frigida

gida adstringentia adhibeantur; sed humectantia. *Admodum* etiam frigida pectori sunt inimica; tum foris admota, tum intro assumpta. Idque ob pulmones eo contentos; per quorum angustissimos poros sanguis totius corporis perpetuò transcolatur.

In *cordis curatione*, semper admiscenda sunt medicamenta, quæ habent vim roborandi, ac proinde sunt spirituosa & moderate adstringentia. Atque ideo odorata & bezoartica dicta omnibus, quæ cordi adhibentur, medicamentis admiscenda. *Cavendum* verò à vehementer, tum refrigerantibus, tum calefacientibus. *Cordis.*

Ventriculus tam à calore, quam frigore nimio, facile læditur: atque in calida intemperie cautè, sensim, ac paulatim refrigerandum. In frigida autem cavendum, ne nimium calidis calidum innatum dissipetur: ac proinde adstringentium ac roborantium aliquid addendum; quæ calidi nativi & spirituum dissipationem prohibent. *Ventriculi.*

In *hepate, pancreate, & folliculo fellis* curando, ea sunt seligenda remedia, quæ cum tenuitate partium aliquam adstringendi ac roborandi vim habent; qualia sunt amara, quæ simul adstringunt, & incîdunt ac detergunt, ut absinthium, &c. *Abstinendum* verò a dulcibus, à quibus hepar & splen facile, propter eorum visciditatem, intumescunt. *Hepatis. pancreati. folliculi fellis.*

Lien validissima fert remedia, quæ propterea etiam *extra* adhiberi possunt; ita tamen, ne vel subita refrigeratione humores in eo contenti, ob ejus vasorum angustiam, concrescant; aut exsiccatione indurentur. *Intus* autem, ne alia viscera ab iis lædantur, vix tutò adhibentur, & propterea frequenti & diuturniore usurpatione id, quod vehementiæ deest, compensandum. Et *aceti* usus hic suspectus esse debet; propter effervescentiam, quam hic sæpe facit. *Lienis.*

Ab *aceto* abstinendum *in Uteri morbis*: dulcia verò ipsi *Uteri.*

sunt grata. Est enim uterus exquisito sensu præditus: hinc ab acidorum punctione læditur, & à dulcium lenitate benè afficitur. In *gravidis* tamen è dulcibus abstinendum jubent Medici; ne, à visciditate eorum, vasa uteri obstruantur.

Oculorum. *Oculus*. quia est exquisitissimo sensu præditus, non fert medicamenta acria, aut quæ ipsum constringunt, vel exasperant.

Occultæ. In *morbis occultæ intemperiei* curandis, occulta qualitas maligna contrario alexipharmaco est expugnanda, & venenum per convenientes vias è corpore est tollendum. *Itaque* venenum, ore haustum vel sumptum, vomitorio aut cathartico mox est educendum, & reliquiæ postea alexipharmacis domandæ. *Si* verò aëre sit haustum, & in venosum arteriosumque genus penetraverit, per sudores est expellendum. *Quæ* verò morsu aut ictu venenato, aut per contactum, corpori illata sunt, quam primum educenda & expellenda; omnibusque modis studendum, ne intra corpus serpant. *Præcipuè* autem, unumquodq; venenum remediis, quæ experientia ei adversa esse docuit, est impugnandum, & cardiaca sunt addenda. *In* venenis tamen qualitates manifestæ si observentur, id plurimum ad sanitatem facit.

Hujus curatio est empirica. *Curatio morborum occultorum*, quæ per remedia alexipharmaca, vel aliis occultis qualitatibus prædita, instituitur, mere *est empirica* : cum ea non ratione, sed per solam experientiam peragatur. Nihil enim hic potest ratio; quippe quæ in hac medicatione nec morbum, nec remedium, assequatur. *Interim* fatendum, hic sæpe methodum quandam medendi adhiberi; sed empiricam, seu talem, quam experientia etiam docuit : cum imaginaria, seu rationalis, hic nihil possit.

CA-

CAPUT XIV.

De Curatione Pravæ conformationis.

Curatio morborum conformationis. Numeri.

INter morbos conformationis curandos *primò* se offerunt morbi *quantitatis* : numeri scil. & magnitudinis.

Morbus numeri est *vel* in excessu, *vel* in defectu. *Ille* curatur, dum id, quod abundat, tollitur; *hic* verò, dum illud, quod deest, restituitur: & Medicus naturæ robur tuetur, idoneamque materiam submini strat, atque impedimenta removet, & in curtis cutim aliundè sumptam, si res tanto molimine indigere videatur, suppeditat.

Atquæ *hæc generalis curatio*, pro varietate partium, variatur: nam alio modo proceditur in ossis, alio in nervi, alio in aliarum partium restitutionc.

Cum autem aliæ partes sint simplices, aliæ compositæ: *si compositæ amittantur*, neque eædem specie reparari, neque iis simile facile substitui potest; itaque in iis tertia curatio est, dum aliquid substituimus, quod partis amissæ usum aliquo modo præstare potest.

Excessus remotione curatur. *Sed* cum, res excedentes & superfluæ, quæ tolli debent, sint variæ: aliæ enim in corpus sunt immissæ, aliæ in eo genitæ; idque vel secundum naturam, vel contra naturam: aliæ sunt partes corporis corruptæ; atque ideo singulis peculiaris, pro partium substantiâ, dignitate, situ, figurâ, & aliis conditionibus, debetur curatio. *Semper* autem curandum, ut partes aliæ quam minimum lædantur, & corpus majus damnum ex ablatione non patiatur, quam id ipsum est, quod ex re abundante proficiscitur.

Instrumenta, quibus res abundantes auferuntur, sunt ferrum, ignis, medicamentum cathæreticum, septicum, escaroticum.

Magnitudinis. Auctæ.

Morbus magnitudinis est *vel* auctæ, *vel* diminutæ. *Auctæ magnitudinis curatio* est nimiæ imminutio; sive totum corpus, sive pars aliqua aucta fuerit.

Si cum magnitudine auctâ substantia partis non est salva, ut in vulneribus & ulceribus aliquando contingit; medicamenta eadem adhibentur; quæ numero abundanti conveniunt.

Si totum corpus vel pars aliqua æqualiter augeatur, & per totum nimium incrementum accipiat, tum neque ferrum, neque ignis, neque medicamentum erodens est adhibendum; sed nimium partibus alimentum est subtrahendum, & digerentibus ac discutientibus absumendum; atque ideo tunc conveniunt inedia & victus extenuans & discutiens, & medicamenta ejusdem generis.

Etiam *in tumoribus* est auferendum, quod abundat: *sed*, pro diversitate causarum, diversam singuli curam desiderant.

Imminuta.

Imminuta magnitudo curatur per augmentum: quod fit renutritione, & generatione.

Renutritio fit per bonum & copiosius alimentum, quo totum corpus vel pars majorem molem acquirit.

Generatio convenit, ubi aliquid de substantia partis est deperditum; ut fit in ulceribus excavatis, ubi per carnis generationem cavitas expletur.

Parva figurationis. Superficiei.

Secunda conformationis morbi species est *prava figuratio*, secundum superficiem & cavitatem.

Superficies, si male fuerit figurata, propter inconvenientem *vel* rectitudinem, *vel* curvitatem, *vel* gibbositatem, *vel* planitiem, *vel* prominentiam, *vel* subsidentiam; curatur generaliter per partis in contrarium vitiosæ figuræ mutationem, donec figuram convenientem, quam naturaliter habere debet, acquirat.

Hic autem sciendum, si ossa distorta vel male conformata

mata sint, in his, qui crescunt, curationem esse possibilem; in adultis, qui non crescunt, minimè.

Vitium autem tale *figuræ*, jam commemoratum, duobus specialibus curatur modis: formatione, atque alligatione. *Formatio* est ea figuræ emendatio, quæ manibus vel instrumentis aliis contrectando, ac comprimendo, paulatim & sæpius, perficitur.

Alligatio est ea figuræ correctio, qua fasciis vel aliis instrumentis pars in figuram vitiosæ figuræ contrariam adducitur, & ferulis retinetur, ne in vitiosam figuram iterum deflectat.

Si superficies, quæ naturaliter lævis esse debet, aspera evaserit, iterum est læviganda; & quidem in aspera arteria & lingua, replendo illud, quod est excavatum: vel tollendo, quod exstat. *In* partibus mollibus illud fit per medicamenta humectantia & lentorem quendam habentia; hoc verò adstringentibus. *Si* ossa erosa sint, sive quid superfluum iis sit adnatum, asperitas commodissime radendo tollitur.

Lævitatis præternaturalis curatio est asperitatis naturalis revocatio, per medicamenta abstergentia vel moderate adstringentia; quibus humores glutinosi partium superficiei tenacius adhærentes tolluntur, parteſque nimis laxatæ rursus corrugantur, & parti naturalis asperitas redditur.

Morbus *cavitatis* duas generales curationes habet: *Apertionem* ejus, quod præter naturam est clausum; & *Clausionem* ejus, quod præter naturam est apertum. *Cavitatum.*

Inter morbos in defectu meatuum communissima est *obstructio*, quæ communiter per obstruentis causę ablationem curatur; *sed* quia obstructionis causæ possunt esse variæ, speciales curationes ab iis sunt petendæ. *Itaque* quæ à crassis & viscidis humoribus fit obstructio, attenuantibus, ab-

abſtergentibus, & incidentibus curatur. *Quæ*, pro humoris ipſius naturâ, & pro loci, in quo hæret, conditione, nunc debiliora, nunc valentiora expoſtulat remedia. *Si* verò obſtructio ab humoribus multis fiat, iiſque toto genere præternaturalibus, curatio ejus conſiſtit in commoda eorum evacuatione. *Si* humor non toto genere præter naturam fuerit, ſed ſolum quantitate peccet, curatio ejus fit per imminutionem ejus quantitatis, quæ abundat. *Si* à calculo fiat obſtructio, ille removendus ex meatu per inciſionem vel expulſionem. *Si* vero in inteſtinis fiat obſtructio à fæcibus induratis, hę prius ſunt emolliendę, & deinde expellendæ.

Coaleſcentia curatur remediis rumpentibus, & cicatricem tollentibus.

Conſtipatio curatur per ablationem cauſæ, quæ anguſtiam facit.

Compreſſionis communis curatio eſt, cauſam comprimentem, & meatum claudentem, tollere. *Sed* ſpeciales ejus curationes pro varietate cauſarum ſunt variæ.

Subſidentia ſi fiat à nimia humiditate, curatur per exſiccantia: à nimis adſtringentibus & refrigerantibus ſi fuerit orta, laxantia & humectantia requirit.

Si *meatus & vaſa*, quæ clauſa eſſe debent, *aperiantur*, & humores ex iis effundantur, communis curatio eſt vaſa aperta claudere; quod *in externis* partibus, per appoſita convenientia medicamenta & ligaturam, eſt perficiendum. Si vero *in partibus internis* fiat apertio, modus id præſtandi, pro varietate partium, variat.

Anaſtomoſis, ſeu vaſis orificium apertum, eſt obturandum & adſtringendum.

Diapedeſis denſantia & incraſſantia requirit.

Ruptum vas eſt uniendum & claudendum.

Vas eroſum ſarcotica & conſolidantia poſtulat.

Tertia

Tertia ſpecies morbi conformationis eſt *morbus conſtructionis*; ſecundum ſitum, vel nexum. *Mala conſtructionis.*

Morbi ſitus curatio eſt partis in naturalem locum repoſitio. Eſtque præcipuè *luxationum*, quæ perficitur, dum membrum ad oppoſitam partem ei, quô factus eſt receſſus, intenditur atque impellitur. *Ita* & aliæ partes in locum ſunt reſtituendæ. *In ſitu.*

Morbus nexus eſt prava partium *unio*, vel *prava earum ſolutio. Si partes*, quæ ſecundum naturam ſeparatæ eſſe debent, connectantur, eæ ſunt ſeparandæ & ſolvendæ vel ſcalpelli ferrei ope, aut filo ſerico, aut ſetâ equinâ per chirurgiam adhibitâ, vel medicamento cauſtico vel ſeptico. *In nexu.*

Soluta unitas curatur unitione earum partium, quæ præter naturam ſunt ſejunctæ.

In *hac curatione* præcipua Medici officia ſunt, *ſi quid* in partem affectam, quod glutinationem impediat, inciderit, illud tollere; *extrema* ſeu labia ſoluta conjungere, & ſibi mutuo applicare: *illa* conjuncta ſervare: ipſius *partis* temperamentum tueri: ac glutinationi neceſſaria auxilia præſtare: denique *ſymptomata* arcere & corrigere.

Hæc autem in omnibus partibus non eodem modo peraguntur. In *vulneribus* quidem omne extraneum eſt eximendum; hinc labia ſunt conjungenda & unita ſervanda; illis conjunctis, reliquum opus naturæ committendum. Medicus autem dabit operam, ut ſanguis affluens, nec quantitate, nec qualitate peccet; medicamenta ſarcotica imponat; & tandem cicatricem inducat.

Si tamen *ſymptomata* quædam curationem impedientia *ſuperveniant*, ut hæmorragia, dolor, convulſio; his obviam eſt eundum, & præcipuè inflammatio prȩcavenda.

In *ulceribus*, ſive ſanioſis & purulentis, in partibus mollibus, continui ſolutionibus, ſanies & pus ſunt detergenda & exſiccanda; acrimonia temperanda & corrigenda; de-

inde caro gignenda, & cicatrix inducenda.

Ut autem pus, ſanies, & ſanguis, ex vulneribus & ulceribus, commodius egrediantur, nec noxam pariant; *turundæ* ipſis *inſerendæ*.

In *fracturis curandis* oſſa fracta rectè iterum ſunt conjungenda, & in naturalem figuram & ſitum ſunt reſtituenda: trahendo ſc., & manibus aliiſque inſtrumentis ea recte adaptando. *Deinde* faſciis & ferulis conjuncta ſervanda, & in naturali figura, donec coaleſcant, retinenda.

Calli generatio, quo oſſa inter ſe conglutinantur, à natura, ſeu recta diſpoſitione vicinarum partium, perficitur; Medicus autem naturam juvat, cavendo ne aliqua inflammatio vel ſimile ſymptoma, quod membri temperiem lædat, poſſit ſupervenire; ipſumque alimentum per medicamenta ſiccantia ita diſponendo, ut in callum eo citius convertatur.

CAPUT XV.

De Curatione morbi ſolitarii, & cauſâ foti.

QUantum attinet ad curationem, quæ *communes morborum differentias* ſpectat, *præcipuè* hic habenda eſt ratio curationis morbi ſolitarii & cauſis foti: & *deinde* morbi ſimplicis & compoſiti: *item* implicati, connexi, & disjuncti.

Sanatio morbi ſolitarii. *Affectus ſolitarius* ſolitario remedio, morbum immediate impugnante, eſt curandus. *Hæc* curatio, ut & omnis alia, quæ morbum immediate ſpectat, vulgo appellatur curatio *ſecundum indicationem curatoriam*: ſicut illa, quæ virium rationem habet, curatio *ſecundum indicationem vitalem* dicitur.

Cauſa foti. *Affectus*, *à cauſa foti*, remedium poſtulant, quod, præter morbum ipſum, etiam cauſas foventes extirpat. *Hi* curari

rari dicuntur *secundum indicationem præservatoriam.*

Atque in morbis, qui à causis foventur, extirpandis, à *causis* foventibus initium esto; & qua se intulerint *serie*, si plures sint, eâdem auferantur. *Ordinaria.*

Excipe tamen, si quid gravius urgeat: tunc enim huic prorsus est studendum, cæteris interea haud neglectis. *Urget* autem gravissimè, quod ægrotum in maximum vitæ discrimen adducit; cujusmodi est virium jactura, & harum labentium causæ, ut vigiliæ, dolores, ætas puerilis, vitæ functio præstans læsa. *Extraordinaria.*

Sic in febri, si adsit lipothymia, utimur aquâ cinnamomi, & aliis remediis, ad lipothymiam tollendam aptis; *in paroxysmo hystericæ passionis* adhibemus remedia ad respirationis aliarumque functionum læsionem tollendam; omissâ ad tempus curâ ipsius morbi intemperiei, unde symptomata illa prava oriuntur.

Morborum *causæ necessariæ & contingentes*, quæ sunt diætæ errores, & temere in corpus irruentia, *primo* quoquo tempore sunt auferendæ, *& porro ad causam* antecedentem & continentem, si adsint, veniendum.

Sanguinis itaque *defectus*, cibis euchymis, jusculis, vini potione, moderata exercitatione, & hilaritate, est reparandus. *Reparatio sanguinis deficientis.*

Plethora, pro ratione abundantiæ sanguinis & virium, est imminuenda. *Ablatio plethoræ.*

Levius sanguinem imminuunt frictiones, sudores, balnea, exercitium, inedia. *Validius* hirudines, hæmorrhoidum apertio, mensium provocatio, cucurbitulæ, scarificationes. *Maximè* autem generosum remedium hic est Venæsectio.

Frictiones, sudores, balnea, & exercitia, sanguinem imminuunt, quia motum in corpore excitant, qui poros aperit, spiritus, humores, imo & substantiam corporis nostri solidam dissolvit ac dissipat. *Per frictiones, sudores, balnea, exercitia.*

Inediam. *Inedia* vero corpus & humores imminuit; quia nihil in locum ejus, quod à calore est dissipatum, reponit, & necessarium corpori alimentum denegat.

Hirudines. *Hirudines*, trisulco morsu aperiendo ora aut poros venarum, & sanguinem exsugendo, paulatim & sensim evacuant.

Hæ si ad evacuationem totius corporis adhibeantur, magnis & prominentibus venis in cruribus & brachiis, vel hæmorrhoidibus sunt applicandæ. *In* prægnantibus tamen, ne abortum excitent, solis brachiis sunt adhibendæ. *Ratione* peculiarium affectuum, variis locis, prout hæc vel illa pars afficitur, sunt applicandæ.

Hæmorrhoides. *Hæmorrhoides* fluere solitæ, si aperiantur, Venæsectionis vicem possunt supplere: *alias* vero in non consuetis aperiendis vix cum aliquo commodo laboratur; *nisi* forte hirudinibus appositis aperiantur.

Aperiuntur autem Hæmorrhoides *externæ* frictionibus, cum foliis ficus, pannis asperis, hirudinibus appositis, succo cepæ, felle porcino vel bubulo, aut linteis his succis imbutis. *Internæ* aperiuntur suppositoriis, vel clysteribus acribus.

Menses. *Menses si* supprimantur, fluxus eorum est excitandus sub illud tempus, quo alias fluere solent: alio enim tempore, si quis id tentet, frustra laborabit: quia tum abest peculiaris illa qualitas sanguinis, quæ vasa uteri aperire solet.

Cucurbitas scarificatas. *Cucurbitæ* scarificatæ *interdum* propria ratione adhibentur, ad pravum sanguinis vitium è certâ parte tollendum: *interdum* vero vice phlebotomiæ usurpantur, ob sanguinis vitium vehemens, quod Venæsectionem postulat, quam tamen vires debiles non ferunt; propterea quod hæc sanguinem valdè celeriter educat, nec patiatur spiritus, ob celerem illum effluxum, sufficienter reparari.

Si

Si adhibeantur *ratione totius corporis*, partibus inferioribus sunt applicandæ; *si* autem *ratione alicujus partis*, ei sunt adhibendæ, quæ hoc præsidium postulat. In *gravidis* tamen, brachiis potius quam cruribus.

Scarificatio interdum adhibetur sine cucurbitis, in *cruribus* præcipuè; qua ratione non solum evacuat, sed etiam à capite & partibus superioribus revellere dicitur. *Nonnunquam* brachiis & dorso adhibetur. *Scarificationes.*

Propria verò *ratione* adhibetur scarificatio, ubi ex parte aliquâ materia acris, maligna, & venenata est evacuanda, ne retenta ægrum in periculum conjiciat; quod fit etiam in gangræna, & antiquis callosisque ulceribus.

In *scarificatione vitandi nervi & tendines*; ne dolor, inflammatio, spasmus, vel gangræna inde oriatur.

CAPUT XVI.

De Curatione per Venæ sectionem.

Venæsectio. *Venæsectio* est sanguinis & eorum humorum, qui in vasis continentur, per venam arte sectam, evacuatio.

Quibus morbis conveniat. *Hæc* fere in omnibus morbis *convenit*, modo vires permittant; nec frigus aëris vel corporis, aut frigidi multi humores, aut magnus æstus eam desuadeat.

Hæc est evacuatoria, revulsoria, derivatoria.

Evacuatoria. *Evacuatoria venæ sectio* est, qua sanguis, copiâ vel qualitate peccans, è toto corpore vel parte aliqua, emittitur.

Ubi ea commodissime instituatur. Cum *universalis est plethora*, commodissimè hæc fit in venis majoribus brachii: nisi vitium sanguinis in mulieribus à suppressione menstrua ducat originem; ubi venas in poplite, vel talo incidere magis convenit: ita enim non tantum inutile tollitur, sed etiam consueta evacuatio rursus procuratur; determinando sc. ista venæ sectione sanguinis motum versus uterum. Si *particularis sit*, è vena vicina educendus est sanguis.

Revulsoria. *Revulsoria venæ sectio* est, qua humores in partem aliquam influentes, vel influxuri, in contrarium, per venam, in parte satis remota & opposita incisam, avertuntur.

Ea commode fit in latere partis affectæ. *Itaque* hic non requiritur oppositio secundum longitudinem simul & latitudinem. *Sic* revulsio fit commodissime *in pleuritide dexteri lateris*, apertâ brachii ejusdem lateris venâ: *& inflammato hepate*, per eandem venam apertam commoda fit curatio; & in contraria parte, *ubi laborat lien.*

Ejus rei ratio. Totus enim sanguis, qui in & versus illud latus à corde per arterias propellitur, determinatur magis in omnes istius lateris partes propter similitudinem situs, quam in alias, cum quibus nullam situs similitudinem habet; adhæc via revulsionis faciendæ in eodem latere est multo brevior: atque ideo sanguis ad vicina facilius & citius per ejusdem lateris arteriam, in apèrtam in eodem latere venam, à parte affectâ, sanguine distentâ, atque ideo sanguini, eo impellendo & impulso, magis resistente, repellitur, atque ex ea facilius & citius foras expellitur. *Atque* hinc vulgo dicitur, quod revulsio, κατ' ἴζιν sive εὐθυωρίαν, vel faciliorem rectiorem & compendiosiorem viam, fieri debeat.

Derivatoria. *Derivatoria* est, quâ humores, qui in partem influxerunt, & nondum sunt impacti, per vicinum locum dicuntur educi.

Hæc instituenda est in parte vicina.

Requisita venæ sectionis. *Ad venæ sectionem* rectè instituendam *requiruntur vires* satis fortes, tum præsentes, tum futurę: *dum* enim sanguis evacuatur, effluit caloris & spirituum, in quibus præcipuè vires nostræ consistunt, materia.

Itaque dum *vires sunt debiles ob resolutionem* spirituum, quæ cognoscitur à causis evidentibus, ut evacuatione magna, phthisi, atrophiâ, hecticâ vel malignâ febri, magna cruditate, similique aliâ, abstinendum est à Venæsectione;

ne; *quæ* tamen utilis est, cum *vires sunt oppressæ* à nimiâ sanguinis copiâ, qualis est in synocho, & euexiâ athleticâ.

Ætas, sexus, uteri gestatio, consuetudo, naturæ proprietas, habitus corporis, temperamentum, vitæ genus, aëris constitutio, symptomata nonnulla, ut dolores, vigiliæ; item quidam morbi, ut hydrops, synochus, & similia, venæsectionem permittunt, vel prohibent; quatenus sunt virium firmarum, vel debilium signa.

Atque hinc intelligimus, quæ inter pueritiam & senectutem est ætas media, Venæ sectioni esse aptissimam; *eamque* potius ex viribus, quam annis esse æstimandam: quia alii aliis citius vel tardius adolescunt & senescunt.

Quantitas sanguinis emittendi, ex magnitudine virium & vitii à sanguine dependentis, cognoscitur: nam prout hoc majus vel minus fuerit, ita sanguis pro viribus vel copiosius vel parcius est evacuandus. *Quantitas.*

Atque hinc etiam innotescit, *una*, *an pluribus vicibus* reiterata sanguinis emissio, sit instituenda. *Vices.*

In malo vehementissimo unâ vice; *in mitiori* partitis vicibus sanguis est evacuandus.

Vires fortes unicam & plenam sanguinis evacuationem desiderant; &, ex antiquorum sententia, nonnunquam ad animi deliquium deductam. *Præstat* tamen in nostris corporibus, ob sanguinis nostri frigiditatem, eo rem non deducere: sed potius Venæ sectionem reiterare; *quod* in debilibus viribus etiam semper requiritur.

Nec mutatio sanguinis, è venâ egredientis, pro termino venæ sectionis recte statuitur. Nam sanguis in vasis contentus, in variis corporis partibus, sæpe quam maxime est dissimilis & varius.

Commodissimè Venę sectio instituitur in morbi principio; ubi tamen cibi vel succi non sunt crudi circa ventriculum & mesenterium; ne illi intempestive, ob sanguinis evacuatio- *Tempus.*

ationem, in inanitas venas propellantur, ibique obstructiones & alia mala pariant.

In *morbis, qui paroxysmos & exacerbâtiones* ac intensiones patiuntur, commodissimum Venæ sectionis tempus est paroxysmi intermissio, vel declinatio, vel remissio; *non* autem accessio, vel intensio, ob vires tunc debiliores.

Affectu vehementer urgente, quâvis diei vel noctis horâ, nullâ præparatione præmissâ, nullâque cruditatis ciborum habitâ ratione, sine morâ vena est aperienda; *alias* tempus matutinum, reparatis post somnum viribus, est commodissimum.

Somnus à phlebotomiâ concedi potest; quia nulla causa est, quæ eum prohibet.

Inspectio sanguinis educti. *Postquam sanguis est eductus* & refrigeratus, tum à Medico, secundum consistentiam, colores, odores, aliasque qualitates, est examinandus.

CAPUT XVII.

De Curatione per purgationem.

QUæ vel qualitate vel toto genere peccantia in corpore morbos fovent, apto tempore ex eo sunt educen-
Purgatio. da, quod plerumque fit per *Purgationem*; quæ est cacochymiæ è corpore, per medicamenta, evacuatio.

Universalis. Ea est *universalis*, quâ totum corpus; vel *particularis*, quâ certa aliqua pars expurgatur.

Cacochymia *universaliter purgatur* vel per *alvum*, vel *vomitum*, vel *sudores*, vel *urinam*, vel *menses*, vel *salivationem*.

Per alvum. *Purgatio* cacochymiæ, quæ *per alvum* instituitur, expurgat *vel* eam, quæ circa viscera abdominis hæret, *vel* eam, quæ est ultra eam regionem; nempe vel in vasis majoribus,

vel

vel in habitu corporis. *Prior* evacuatio cum fiat sine magna perturbatione, vires eam facile ferunt: & propterea in quacunque ætate, sexu, & morbi tempore, securè fit: *modo* medicamenti debita quantitas, paulo ante cibum, & in febribus non prope accessiones febriles, exhibeatur.

Ut purgatio humorum excrementitiorum, *qui ultra* primam regionem consistunt, per medicamenta purgantia mediocria & fortiora rectè instituatur, requiritur ut vires sint satis validæ, quæ purgationem ferant, & ut æger sit paratus & aptus ad purgationem; hoc est, ut viæ, per quas materia est educenda, satis pateant, & humores ad evacuationem sint apti.

Si febris absit, viæque pateant, & humores ad motum, sint parati, quovis tempore sunt expurgandi. *Nec obstat Hipp.* 1. *aphor.* 22. ubi jubet cocta purgare, non cruda; ibi enim est sermo de purgatione facienda in febribus, præcipuèque acutis, in quibus humores pravi effervescentes à reliqua massa sanguinis non sunt separati, ac proinde crudi. *Itaque* in scabie, cachexia, dolore capitis, paralysi, dentium dolore, & similibus, in principio purgare licet.

In febribus autem neque in augmento, neque in statu est purgandum: ob cruditatem, & humorum perturbationem. *In principio tamen*, si calidi & acres humores effervescentes hinc inde in corpore divagentur, & anxietates pariant, ita ut metus sit, ne vires ex materiæ agitatione dejiciantur, vel materia impetu concitata in partem aliquam ruat, eamque magnopere lædat; etiam tum purgatio adhiberi potest, ex 4. *Aphor.* 10. Præsertim *cum illa* a reliquis humoribus jam sit separata, & mobilitate sua facile evacuetur. *Alias* coctio humorum est exspectanda in febribus, & Medicus eos ad faciliorem evacuationem præparabit.

Poterit tamen, *per epicrasin* blandis & mediocribus nostri temporis purgantibus institutam, fieri purgatio in febri-

bus, etiam acutissimis, ut felix Medicorum docet experientia.

Præparatio ad purgandum quomodo fiat.

Præparatio autem illa consistit in humorum qualitatibus corrigendis, viis aperiendis, & pravorum humorum ab utilibus separatione.

Itaque *pituita*, quæ est frigida, humida, crassa, & lenta, calefacientibus, exsiccantibus, attenuantibus, incidentibus, & detergentibus, indiget.

Bilis flava refrigerantibus & humectantibus est corrigenda; & interdum etiam mediocriter incrassanda.

Reliquæ *bilis species* attenuantia desiderant.

Humor melancholicus calefacientibus, humectantibus, & attenuantibus est præparandus.

Atra bilis humectantia, attenuantia, & mediocriter refrigerantia requirit.

Meatus, per quos humores sunt expurgandi, si obstructi fuerint, debent reserari.

Separatio pravorum humorum ab utilibus fit per detergentia & incidentia.

Quantitas purgationis.

Purgatio debet esse *magna vel parva*, pro ratione virium, & copiâ, vel paucitate humorum expurgandorum. Si enim materia sit multa, etiamsi vires sint robustæ, præstat purgationem partiri, ne liberaliore purgatione vires temere dejiciantur, vel fiat *hypercatharsis*.

Si vero materia sit pauca & vires robustæ, licet una vice humorem peccantem totum expurgare.

Quod si *vires sint imbecilles*; sive humores evacuandi sint copiosi, sive pauci, partiri evacuationem commodidius est.

Habenda etiam ratio, non tantum temperamenti communis; sed etiam particularis, & consuetudinis, ætatis, & habitus corporis: quibus alii fortiora, alii tantum levia, alii mediocria requirunt & ferunt purgantia.

Si

Si nihil impediat, *purgans dandum* est horâ quartâ, quintâ, vel sextâ matutinâ. *Si vero* quid impediat, ut paroxysmus, aut aliud quid, alia est eligenda hora: Imo tum etiam vesperi exhiberi potest. *Tempus & modus exhibendi purgantia.*

Potulenta purgantia exhibeantur calida, non frigida, aut tepida. *Frigus* enim retardat medicamenti operationem: *tepor* verò excitat vomitum.

A *sumpto medicamento purgante*, quatuor, quinque, vel sex horas à cibo est abstinendum: ne operatio medicamenti impediatur, vel cibus corrumpatur, aut vomitus excitetur. *Regimen eorum, qui purgantia sumserunt.*

Experientia autem *probat*, medicamenta quædam, non valde purgantia, utiliter horam unam vel alteram ante cibum sumi; eaque magis operari, quam longe à cibo sumpta.

Nec omnino *contemnendus ille mos*, quo, post aliquot horas à sumptione purgantis, jusculum abstergens exhibetur; hoc enim modo ingratum medicamentum temperatur & à ventriculo abluitur, ac purgatio, tanquam per additum cremorem tartari, acceleratur & augetur.

A sumpto medicamento purgante fortiori, paululum superdormire conducit; ne nimis vehementer agat: à levi vero, nullo opus est somno.

Parcior evacuatio promovetur motu corporis moderato; *si vero sit nimia*, somno & quiete est utendum.

Hypercatharsis purgationi superveniens inhibetur ligaturis extremarum partium, frictionibus, sudoriferis, cucurbitis umbilico adhibitis, topicis adstringentibus ventriculo admotis, theriacâ recenti assumptâ, aut antiquâ cum gr. opii, item cibo, potu, & medicamentis adstringentibus adhibitis.

Locum, per quem fieri debet purgatio, indicat subsistentia & inclinatio, sive vergentia, humoris: item tempus anni, & vires. *Per quem locum sit purgandum.*

Nam *per vomitum* commodè evacuantur humores ad ſuperiora vergentes, qui ſcilicet in ventriculo gignuntur, aut reſident; ut & ii, qui circa lienem, cava jecoris, & pancreas continentur; item humores tenues, calidi, bilioſi.

Per alvum, qui circa inferiora ſubſiſtunt, & ad inferiora vergunt; tales ſunt humores craſſi, frigidi.

Æſtate ſuperiores potius ventres; hyeme inferiores purgandi. In illa enim bilis flava calidique humores abundant, verſus ſuperiora vergentes. *Hyeme* vero pituita potius ſuperat, quæ deorſum vergit.

Cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, vertigo tenebricoſa, oris amaritudo, purgationem per ſuperiora opus eſſe ſignificant. 4. *Aphor.* 17.

Febris expertibus ſi adſint tormina, genuum gravitas; & dolor lumborum, inferna purgatione eſt opus. 4. *Aphor.* 20.

In vomitu movendo etiam conſiderandum, an æger ad vomitum ſit facilis, nec ne; & an ventriculus aut aliqua pars eorum, quæ vomitu vehementius agitanda ſunt, aliquo affectu laboret; tum enim a vomitu eſt abſtinenduu.

Signa bona purgationis.

Peractâ purgatione, perfectæ purgationis ſigna ſunt æſtimanda, non ex copia excretionum; ſed ſi, qualia oportet, exeant, & æger purgationem bene ferat, ac ſitiat.

Phlebotomia cur & quomodo juſta purgationi ſit præmittenda.

Hic vero ſilentio non eſt prætereundum; *ubi ſimul phlebotomiâ & purgatione eſt opus*, phlebotomiam juſtæ purgationi eſſe præmittendam: quia venæſectio majores deſiderat vires, quam purgatio; & deinde quia præſtat impurum educere ſanguinem, quam purgatione defæcatum. *Si* tamen impuritas ſit circa ventriculum, inteſtina, & vicinam his regionem, primam dictam, clyſter, vel aliud purgans, præmitti poterit; niſi gravior urgeat neceſſitas.

Purgatio per urinas quid faciat.

Per urinam non tantum humor aquoſus, ex potu ſanguini ad-

ni admixtus, evacuatur; sed etiam renes, vesica, & vasa his inservientia, atque etiam reliqui humores attenuati, imprimis serosi, ut pituita tenuior & humor biliosus, ac universum genus venosum & arteriosum per eam expurgari potest.

Hæc purgatio maxime *convenit* iis morbis, in quibus sensim & paulatim materia est evacuanda. *Quibus conveniat.*

Diuretica propriè dicta, seu *calidiora*, conveniunt, quoties in renibus, vesica, & his ministrantibus; item in venis & arteriis, humores crassi evacuandi subsistunt. *In calidis* autem & siccis affectibus, item tabidis & macie confectis; nec non in iis, quibus renes & vesica, aliæque viæ urinariæ sunt exulceratæ vel inflammatæ, hæc diuretica non sunt adhibenda.

Quæ vero *urinam movent, laxando & aquosam* solum *suppeditando materiam*, illa curant affectus ex crassis & adustis humoribus originem ducentes: dum aqueâ suâ substantiâ humores illos reddunt fluidiores, &, vi suâ incidendi & laxandi, poros renum aperiunt.

Vires facile ferunt hanc evacuationem, (quippe quæ paucos spiritus educat,) modò ritè adhibeatur: *ideoque* priusquam diuretica exhibentur, si crassi & pravi humores in corpore hæreant, alvus est movenda; ne diuretica, ante purgationem exhibita, obstructiones in renibus, aliaque mala pariant.

Atque hinc intelligimus *tempus exhibendorum diureticorum* esse morbi declinationem; cum materia morbifica nonnihil est imminuta & extenuata. *Tempus.*

Atque ideo commodissimè ea etiam exhibentur ante cibum & ventriculo vacuo.

Humores vitiosi nostri corporis *per sudores evacuari possunt*, ubi illi existunt in venis & arteriis, aliisque partibus, ex quibus commode ad venas & arterias, atque hinc ad *Purgationis per sudores efficacia.*

ambitum corporis, propelli possunt.

Nam ex cavitatibus ventriculi, intestinorum, uteri, & similibus, satis commodè ad habitum corporis non detruduntut, & sunt aliæ viæ, in ore, utero, & alvo, per quas illi longè facilius evacuantur.

Quibus conducat. Imprimis autem *per sudores utiliter evacuantur* aquosi & seroſi humores in inveteratis & frigidis affectibus, ut & destillationibus diuturnis, paralysi, ischiade, & aliis articulorum doloribus. *Nam* materia morbifica existit in his affectibus, partim in vasis, partim in habitu corporis, unde ea his evacuari commodè potest: & præterea intemperies eorum frigida vi sudoriferorum, quæ calida sunt, corrigitur.

Efficax hoc est remedium, quia spiritus per poros cutis valde dissipat; atque ideo vires robustas requirit. *Calidis* & biliosis minus convenit; item quibus corpus multis humoribus scatet. In illis enim calorem nimis auget, in his verò producit scabiem, alioſque cutaneos affectus.

Ejus cautelæ. *Cavendum* etiam ne sudor fit nimis copiosus, quia corpus exsolvit & tabefacit, qua propter sæpius mediocriter sudores movere est commodius, quam unâ sudatione, modum excedente, vires prosternere.

Tempus. *Aptum sudoribus* provocandis *tempus est*, morbi declinatio, post universalem corporis purgationem, & ubi cibus jam est concoctus.

Imprimis vero adhibentur sudorifera in pestilentibus morbis, & a maligna materia ortis. *Hæc* autem ex eorum numero esse debent, quæ alexipharmaca appellantur: ut simul venenum etiam infringere & debilitare possint. *Atque hæc* etiam in iis *in principio morbi* adhiberi possunt: neque virium debilitas nimium est metuenda.

Usus mensis moventium. *Corpus* etiam *per menses moventia universaliter evacuari* potest. In eorum *usu* ea sunt observanda, quæ superius mo-

monuimus; & præterea cavendum, ne emaciatis exhibeantur.

Per ſalivationem, Mercurio ſeu argento vivo excitatam, potiſſimum curatur lues venerea, & alii morbi maligni; *corpore* tamen prius bene purgato. *Purgatio per ſalivationem*

Atque hæc de purgatione *univerſali*. *Purgatio particularis* inſtituitur per errhina, apophlegmatizantia, bechica, ſternutatoria, & alia ſimilia. *Purgatio particularis.*

Hæc, ſi plethora vel cacochymia univerſalis adſit, non adhibenda, niſi plethoræ evacuatio, vel corporis univerſalis purgatio præceſſerit: *Alioqui* enim, per purgantium particularium calefaciendi attenuandi & aperiendi vim, allicientur & propellentur copioſiores humores ex vicinis locis in partes evacuandas. *Ejus uſus.*

CAPUT XVIII.

De Curatione per repellentia, diſcutientia, & ſuppurantia.

QUando *humor peccat motu*, ruendo ad loca non convenientia remedium eſt vel *revulſio*, quando ille vi ad contraria retrahitur; vel *derivatio*, quando ejus ad propinqua fit averſio; vel *interceptio*, quando humorum fluxibilitas corrigitur, & viæ intercluduntur; vel *repulſio*, quando affluentes humores eo, unde veniunt, retruduntur. *Morbus cum afluxu humorum curatur revulſione, derivatione. interceptione, vel repulſione.*

Repellentia enim humorem influentem aliò propellunt, prohibentque ad partem affectam pervenire; & eum, qui recens influxit, exprimendo, partem affectam ab humoris copia incumbente liberant. *Nam* cum hæc ſint frigida, & interdum etiam adſtringentia, poros vaſorum, per quos materia elabitur, claudunt, quo illa amplius in partem influere non poteſt; & deinde refrigerando efficitur, ut id, quod influxit, ſudſideat, & interdum etiam aliò pellatur, & ita tumor detumeſcat. *Repellentium vis.*

Hæc

Tempus. *Hæc* adhibentur *in principio* fluxionis. Morbo *in augmentum* vergente, admiſcenda ſunt digerentia: *ut* aliqua humorum fiat diſſipatio; & calor nativus non extinguatur.

Intercipientium vis & uſus. *Intercipientia* fere conveniunt cum repellentibus, ſolumque ab iis differunt ratione loci, cui adhibentur,: repellentia enim ipſi loco affecto; intercipientia verò, inter locum defluxionis & ipſam partem affectam, adhiberi ſolent.

Fortioribus intercipientibus utendum eſt in habitu corporis duriore, & ubi vaſa ſunt ampliora, & aër calidior. *Si* contrario modo ſeſe res habeat, mitiora ſunt adhibenda. *Commodiſſimè* etiam adhibentur locis excarnibus; ubi vaſa ſunt evidentiora & patentiora.

Quibus repellentia non conveniant. *Omnibus* tamen fluxionibus repellentia adhibere non licet. *Non* ſunt adhibenda *partibus ignobilibus*, quando parti principi vicina eſt fluxio, ne materia repulſa ad partes principes feratur. *Nec partibus* nimis profundo loco ſitis; nam impediunt tranſpirationem, & ad locum affectum non perveniunt. *Neque, ſi materia ſit venenata* aut maligna, aut vulnus ſit inflictum a venenato animali. *Neque, ſi natura* rectè agens materiam criticè in partem aliquam propellat. *Neque, ſi ſit humor multus*, & corpus adhuc plenum: tum enim aut fruſtra adhibentur, aut gangrænam poſſunt inducere. *Neque ſi* humor jam ſit impactus. *Neque etiam*, ſi vehemens adſit dolor.

Morbus, cum humorum quiete curatur diſcuſſione, & ſuppuratorum eductione. *Quando quiete peccant* humores, ſcilicet in parte aliqua impacti & quaſi infarcti, unde omne tumorum genus originem ducit, *his* duplex *eſt remedium*; *evacuatio* ſcilicet *inſenſibilis* tranſpirationis per diſcutientia, reſolventia, & digerentia: vel *evacuatio manifeſta* per emollientia, & ſuppurantia, quibus materia ad exitum præparatur, & deinde per apertionem ſpontaneam vel chirurgicam emittitur.

Diſcu-

Discutientia medicamenta commodissime adhibentur, cum humor elapsus & impactus est paucus, tenuis, & sub cute molliori hæret, ac tali loco est situs, ad quem vis medicamenti discutientis commode potest pervenire. *Discutientium locus & tempus.*

Tempus horum adhibendorum est status, vel instans morbi declinatio. In augmento tamen etiam locum habent; sed repellentibus mixta: verùm si plenitudo adsit corpus prius evacuandum.

Utendum est his *levioribus* ubi materia est in corporis superficie, vel ubi pars affecta est mollior & laxior. *Fortiora* vero adhibentur, quando materia profundiori loco sita est, aut sub crassa vel densa cute latet; ipsaque est frigidior & crassior.

Suppurantia & emollientia adhibentur, ubi materia impacta nimis est crassa, quam ut possit dissipari per insensibilem transpirationem. *Suppurantium locus, & usus.*

Sanguis quidem facile his in pus convertitur: *at, in* affectibus ex *melancholia & bile* ortis, vix hæc sine periculo adhibentur; *cum* horum usu isti humores sæpe degenerent & corrumpantur in cancrum, & alia maligna ulcera.

Suppuratio in partibus internis non est excitanda; *neque* etiam circa articulos in partibus externis. *Partes* enim internæ a pure valde læduntur, & pus ex iis difficulter, & cum earum læsione educitur. Suppuratio vero circa articulos facta, propter tendines nervos & ligamenta eorum, haud facile sanatur.

CAPUT. XIX.

De Curatione morborum disjunctorum, implicitorum, connexorum, & compositorum.

Morbi disjuncti sigillatim & pariter curari possunt; minimumq; refert, cui primum remedia decernas: *quia* ita *Sanatio morborum disjunctorum.*

Implicitorum, connexorum. & compositorum.

ita sedibus distant, ut unicuique sua possint remedia, cæteris intactis, adhiberi; ut sit in capite laborante catharro frigido, & pede, qui ulcere aut inflammatione est affectus.

At *impliciti, connexi, & compositi morbi* methodo difficiliori curantur: quia unus ad generationem alterius aliquid confert; præsertim cum vel iisdem vel vicinis partibus insident: unde communiter ipsarum functiones se mutuo impediunt.

Consentientium.

Accidit autem aliquando, ut *impliciti & compositi morbi in medendo consentiant*, & sibi mutuo prosint, ubi simul & seorsim curari possunt; *quod* in oculi suffusione & albugine; *item* in jecoris intemperie frigidâ, cum obstructione conjunctâ, est manifestum.

Dissentientium.

Quod si dissentiant, & medelæ eorum sibi mutuò noceant; utrisque mediocri quadam contrariorum permistione succurrendum est: sicut in inflammationis increscentis medicatione; & in ventriculi frigidioris, cum calido jecore concurrentis, curatione apparet, ubi difficultas curationis oritur, utroque affectu admodum excedente.

Partim dissentientium, partim consentientium.

Tandem, ubi in medendo *partim dissentiunt*, sive sibi mutuo nocent, *partim consentiunt*, sive prosunt; ut curatio prioris alteri curando non noceat, *tunc* merito illa præcedit, sine cujus curatione alterius sanatio compleri nequit. *Sicut* ex ophthalmia, cum albugine, & ex ulcere cavo, cum inflammatione conjuncto, patet. *Nam* ophthalmia ante albuginem curari debet, ne acribus medicamentis, quibus albugo detergetur, nova accersatur, fluxio, & oculi inflammatio augeatur; illâ autem curatâ, ad albuginem est perveniendum. *Cum* verò ulcus est cavum, & inflammatione conjunctum, primò inflammatio, quæ carnis generationem impedit, deinde carnis defectus curandus, & cicatrix ultimò inducenda.

At-

Atque hæc de *Sanatione*. *Palliatio*, sive Cura palliativa, est Therapeia, quâ morbi insanabiles, quantum potest, mitigantur. *Palliatio.*

Hæc iisdem, quibus Sanatio, sed mitioribus, peragitur remediis. *Quomodo hæc peragatur.*

Atq; ita universæ Medicinæ *præcepta* proposuimus; quorum *usus* in specialibus exemplis, in *Medicationibus*, à nobis in nostra *Praxi* Medicâ propositis, demonstratur. *Epilogus.*

FINIS.

Errata ita corrigantur.

Pag. 1. *linea* 20. lege *ex. gr. p.* 2. *lin.* 15. leg. *ex. gr. p.* 17. *l.* 7. lege *ob. p.* 19. *l.* 28. lege *obeaginosas. p.* 22. *l. ad margin.* 23 lege *liquores. p.* 30. *l.* 5. leg. *perfectumque sanguinem. p.* 40. *l. penult.* post verbum *vestiti* adde, *Et* denique *quod hi musculi respiratorii, motibus contrariis inspirationis & exspirationis inservientes, habeant poros & valvulas, non tantum superne a parte cerebri in musculorum cavitates; sed etiam lateraliter ab inspiratoriis in exspiratorios, & ab exspiratoriis in inspiratorios musculos, per communes & intermedias membranas & carnes, vicissim spectantes. p.* 42. *lin.* 18. lege *intestinis. ibid. l.* 28. leg. *partium. p.* 54. *l.* 15. & 16. lege *germen. pag.* 62. *l.* 4. post verbum *patentes*, adde, *reliquaque partium, ad respirationem spontaneam necessariarum, debita conformatione, superius, pag.* 40. *descripta, est instructus, p.* 71. *lin.* 13. leg. *auctoritatem. p.* 74. *l.* 21. leg. *imagines. p.* 75. *l.* 23. leg. *phreniticis. p.* 76. *l.* 4. leg. *synecdochicè. p.* 79. *l.* 5. leg. *vehementius. p.* 84. *lin.* 7. leg. *vestigiorum. p.* 99. *l.* 12. lege *ob praestantiam partis affecta. p.* 122. *l.* 7. lege *Depravatur fames. p.* 124. *l.* 4. lege *abolita. p.* 129. *l.* 27. lege *non tantum. ibid. l.* 29. lege *partibus. p.* 130. *lin.* 28. lege *aliisque. p.* 133. *l.* 20. lege *transpirationem. p.* 136. *l. ult.* lege *stimulatio. p.* 166. *l.* 9. lege *calore. p.* 184. *l. penult.* lege *figura. p.* 196. *l.* 8. lege *propior. p.* 206. *l.* 16. lege *Diatheretica. p.* 210. *l. ultim.* lege *satiari. p.* 220. *l.* 2. lege QUARTUS. *ibid. l.* 16. lege *fit, p.* 224. *l.* 12. lege *hydropicorum. p.* 292. *l.* 8. lege *rheo. p.* 300. *l.* 5. lege *magistralis. p.* 301. *l.* 24. lege *peponis. p.* 303. *l.* 10. lege *capiendus. ibid. l. ultim.* lege *Recip. theriacæ androm. dragm. j. extract. card. benedict. scrup. j. croci orient. scrup. s. m. f.* Bolus *cardiacus sudoriferus. p.* 304. *lin.* 1. leg. *Recip. theriacæ scrup. s. laudani opiati gr. iij. requ. nicolai dragm. s. m. f.* Bolus *somniferus. ibid. l.* 24. lege *Galeni. p.* 323. *l. ultim.* lege *ana dragm. s. p.* 324. *l.* 29. lege *de absinthio. p.* 332. *l.* 3. lege *a dulcibus. p.* 342. *l.* 20. lege κατ' ἐξιν. *p.* 62. *l.* 6. leg. *aptam. p.* 70. *l.* 1. post verbum *inadæquatè*, adde, *nec mere positivè, sed maximam partem negativè. Pag.* 69. *lin. in margine* 21. leg. *communes. Pag.* 255. *ad marginem, e regione l n.* 22. adde *Pituitam alterantia.*

HENRICI REGII

ULTRAJECTINI

PRAXIS MEDICA,

Medicationum Exemplis Demonstrata.

EDITIO TERTIA,

Prioribus multò locupletior, & emendatior.

TRAJECTI *ad* RHENUM,
Apud THEODORUM ab ACKERSDYCK,
cIↃ IↃ cLXVIII.

HENRICUS REGIUS
BENEVOLO
LECTORI S.

Omnis recta disciplinarum traditio, præceptis & exemplis, tanquam duobus necessarius procedit cruribus. Horum alterutrum si deficiat, necessariò tota claudicat institutionis ratio. Utrumque verò si exhibeatur; nihil in artis traditione desiderari videtur. Cum itaque universæ Medicinæ præcepta methodicè antehac proposuerimus, obscuraque ejus arcana rectæ rationis face dilucidare conati fuerimus; jam porrò, ne quidquam in artis nostræ rectâ institutione requiratur, usus eorum, qui Praxis Medica vulgò appellari solet, in specialibus Medicationum Exemplis; ut quilibet morbi humanum genus infestantes, ab iis, qui artis nostræ præceptis sunt imbuti, commodè, tutò, & securè curari possint; deinceps est ostendendus. Quamvis enim sub generalibus præceptis specialia comprehendantur, istaque his conveniant; difficile tamen est ex istis hæc elicere, generaliaque individuis applicare. Atque hinc, nisi quis sufficienter in exemplis versatus & exercitatus fuerit; quamvis Medicinæ præcepta rectè sint cognita: attamen, quia morbi sunt varii, & sæpe obscurissimi, & præterea mirâ varietate inter se componi & conjungi solent, remediaque propterea innumeris modis sunt varianda; idcirco, ubi ad ægrum curandum acceditur, necessa-

riò magna Curantem sollicitudo, tum in morborum Cognitione, tum in eorum Curatione, invadit. Hunc itaque scrupulum ut cuivis, animum ad Medicinam exercendam appellenti, eximam, centum & amplius fælices præcipuorum morborum, qui corpus humanum, à capite ad calcem, gravissimè affligere solent, Medicationes, non tantum in ægris exercitas, sed maximam partem in Academia nostra etiam ventilatas, in exemplum proponere, iisque tanquam in rem præsentem Philiatros deducere, decrevi. Sperans fore, ut eâ ratione viam latissimam, ad accuratam quorumvis etiam abditissimorum morborum, eorumque obscurissimarum causarum, & admirandorum ab his proficiscentium symtomatum Cognitionem, felicemque eorum Curationem, sim aperturus. Hoc si contingat, voti mei compos factus, forsan haud inanem, tum Medentibus, tum Medendis, operam impendero. Vale.

INDEX

INDEX MEDICATIONUM

LIBRI I.

Medicatio.

I. Cephalalgiæ. Calidæ. Resp. P. Angillio. 1.

II. Frigidæ. 4.
Resp. Eodem.

III. Lethargi. 8.
Resp. Justo à Wijck.

IV. Apoplexiæ. 13.
Resp. Eodem.

V. Nimiæ Vigiliæ. 18.
Resp. Jacobo Bruningio.

VI. Catalepsios. 20.
Resp. Corn. Godofr. Elbarchs.

VII. Paralysios. 25.
Resp. Eodem.

VIII. Spasmi. 30.
Resp. Francisco Hasbartio.

IX. Epilepsiæ. 36.
Resp. Gulielmo Wenckum.

X. Somnambulationis. 43.
Resp. Joh. Gualtero.

XI. Incubi. 48.
Resp. Joh. Pelt.

XII. Vertiginis. 52.
Resp. Adr. à Beeck.

XIII. Hydrocephali. 57.
Resp. J. à Wijck.

XIV. Melancholiæ. 61.
Resp. Corn. vander Lingen.

XV. Maniæ. 68.

Medicatio.
Resp. J. à Wijck.

XVI. Phrenitidis. 74.
Resp. Joh. Pelt.

XVII. Hydrophobiæ. 78.
Resp. Cornelio à Beest.

XVIII. Comatis Vigilis. 83.

XIX. Auris Dolentis. 85.
Resp. Elb. Goykens.

XX. Surditatis, gravis auditus, & Tinnitus aurium. 89.
Resp. Eodem.

XXI. Hæmorrhagiæ narium. 92.
Resp. Hier. Franck.

XXII. Polypi. 94.

XXIII. Ozænæ. 97.

XXIV. Opthalmiæ. 101.
Resp. Petro Wassenaer.

XXV. Cataractæ. 104.
Resp. Eodem.

XXVI. Amaurosios. 107.

XXVII. Pterygii. 111.

XXVIII. Panni oculorum. 113.
Resp. Petro Wits.

XXIX. Ægilopis. 116.
Resp. Ioh. vander Lucht.

XXX. Fistulæ lacrimalis. 119.
Resp. Benjamin Trezel Zeel.
Resp. Hieron. Franck.

XXXI. Catharri. 123.
Resp. Paulo Chesneau Gallo.

XXXII. *Coryzæ.* 129.
XXXIII. *Odontalgiæ.* 131.
Resp. Ferd. Grujardo
XXXIV. *Ptyalismi.* 133.
Resp. Marco Ruych.
XXXV. *Anginæ.* 135.
Resp. Petro Ormea.
XXXVI. *Aphtharum.* 140.
XXXVII. *Uvulæ Relaxatæ.* 141.

LIBRI II.

Medicatio.
I. *Sputi Sanguinis.* 145.
Resp. Jacobo van Dam.
II. *Phthisis inveteratæ.* 149.
Resp. Paul. Chesneau, Gallo.
III. *Phthisis Incipientis.* 153.
Resp. Eodem.
IV. *Asthmatis.* 154.
Resp. Justo à Wijck.
V. *Palpitationis Cordis.* 161.
Resp. Steph. Nimethi.
VI. *Syncopes.* 163.
Resp. Johanne Pelt.
VII. *Pleuritidis.* 167.
Resp. Christiano Poelhuys.
VIII. *Pleuritidis in puerpera.* 172.
IX. *Peripneumoniæ.* 175
X. *Empyematis.* 178.
Resp. Steph. Schoning.
XI. *Febris Ephemeræ.* 181.
Resp. Steph. Nimethi, *Ungaro.*
Medicatio.
XII. *Synochæ.* 183.
Resp. Marco Ruych.
XIII. *Febris Tertianæ continuæ.* 186.
Resp. Eodem.
XIV. *Quotidianæ.* 190.
Resp. Joh. Doesburch.
XV. *Tertianæ intermittentis.* 193.
Resp. Petr. Pessero van Velsen.
XVI. *Quartanæ.* 298.
Resp. Adr. de Back.
XVII. *Hemitritææ.* 202.
Resp. Eodem.
XVIII. *Pestilentis.* 204.
Resp. Simone vander Voort, *Ultraj.*
XIX. *Hecticæ.* 208.
Resp. Godofrido Bloemaert.
XX. *Aphtharum.* 212.
XXI. *Tussis contumacis.* 214.

LIBRI III.

Medicatio.
I. *Cardialgiæ.* 217.
Resp. Ferd. Gruwardo.
II. *Anorexiæ & cibi fastidii.* 220.
Resp. Eodem.
Medicatio.
III. *Famis caninæ.* 224.
Resp. Godefr. Bloemaert.
IV. *Picæ.* 226.
Resp. Eodem.
V. *Loquelæ & Deglutiendi difficultatis*

tatis. 229.
VI. *Ventriculi Cruditatis midor.* 231.
VII. *Cruditatis acidæ.* 234.
VIII. *Singultus diutini.* 237.
Resp. Hieronymo Franck.
IX. *Diuturni Vomitus.* 239.
Resp. Eodem.
X. *Vomitus sanguinis.* 241.
XI. *Imbecillitatis hepatis serosæ.* 244.
Resp. J. Ingelsen.
XII. *Imbecillitatis hepatis pituitosæ.* 248.
Resp. Eodem.
XIII. *Affectus hypochondriaci.* 251.
Resp. Petro Wassenaer.
XIV. *Inflammationis hepatis.* 256.
Resp. Cornelio Cooper.
XV. *Obstructionis hepatis.* 259.
Resp. Eodem.
XVI. *Scirrhi hepatis.* 264.
Resp. Steph. Schoning.
XVII. *Cachexiæ leucophlegmaticæ.* 267.
Resp. Petro Wassenaer.
XVIII. *Ascitis.* 271.
Resp. Jacobo Bruningio.
XIX. *Inflammationis lienis.* 278.
Resp. Antonio Wassenburch.
XX. *Obstructionis lienis.* 281.
Resp. Eodem.
XXI. *Scirrhi lienis.* 285.
Resp. Godefr. Bloemaert.
XXII. *Lienteria.* 288.
XXIII. *Diarrhæa biliosa.* 291.
Resp. Ludovico Magiro.
XXIV. *Alvi adstrictæ.* 294.
Resp. Eodem.
XXV. *Choleræ.* 296.
Resp. Eodem.
XXVI. *Dysenteriæ.* 299.
Resp. Gulielmo Liebergen.
XXVII. *Choleræ ab arsenico.* 302.
XXVIII. *Doloris Colici ab humoribus frigidis.* 306.
Resp. J. Val. Fissero.
XXIX. *Doloris Colici ab humoribus calidis.* 308.
XXX. *Iliacæ passionis.* 310.
XXXI. *Ilei, ex Bubonocele.* 313.
Resp. Adr. de Back.
XXXII. *Choleræ cum Convulsione.* 315.
Resp. Eodem.
XXXIII. *Lumbricorum.* 318.
Resp. Joh. Doesburch.
XXXIV. *Nephritici doloris.* 321.
Resp. Joh. Valentino Fislero.
XXXV. *Ischuriæ.* 325.
Resp. Eodem,
XXXVI. *Inflammationis renum.* 328.
XXXVII. *Exulcerationis renum.* 332.
XXXVIII. *Exulcerationis Vesicæ.* 336
XXXIX. *Stranguriæ.* 339.
XL. *Suppressionis urinæ.* 341.
XLI. *Diabetis.* 345.
Resp. Arnoldo Wils.
XLII. *Gonorrhææ simplicis.* 347.
Resp. Adr. de Back.
XLIII. *Gonorrhææ virulentæ, & ulceris in meatu urinario.* 351.
XLIV. *Hypersarcosios Venereæ in Urethra*

rethra. 353.
XLV. *Superfluorum mensium.* 357.
Resp. Bernhardo Vastenou.
XLVI. *Obstructionis mensium.* 360.
Resp. Eodem,
XLVII. *Fluoris uterini.* 364.
XLVIII. *Uteri doloris.* 366.
XLIX. *Hysterica passionis.* 370.
Resp. Cornelio van Son.
L. *Fluxus sanguinis ex utero, cum fœtu mortuo.* 375.
LI. *Partus difficilis.* 377.

LIBRI IV.

Medicatio.
I. *Chloroseos, sive morbi Virginei.* 381.
Resp. Bonaventurâ Coegelen à Dortmont.
II. *Icteri flavi.* 385.
Resp. Isbrando Kiest.
III. *Hæmorrhoidum doloris.* 390.
Resp. Isaaco Chombart.
IV. *Arthritidis.* 392.
Resp. Eodem.
V. *Variolarum.* 395.
Resp. Abrahamo Parent.
VI. *Vulneris capitis.* 399.
Resp. Simone vander Voort.
VII. *Punctura tendinis.* 400.
Resp. Bernardo Vastenou.
VIII. *Erysipelatis faciei.* 401.
Resp. Adr. de Back.
IX. *Paronychiæ.* 403.
Resp. Joh. Siko Ung. Transsilvano.
X. *Combusti pedis.* 406.
Medicatio.
Resp. Eodem.
XI. *Aneurismatis vulnerati.* 409.
Resp. Sam. Enyedino Transsilv.
XII. *Gangrænæ.* 412.
Resp. Eodem.
XIII. *Luxationis femoris.* 414.
Resp. Arnoldo Wils.
XIV. *Scorbuti.* 415.
Resp. Gualtero Schagen.
XV. *Arthritidis Vagæ.* 419.
Resp. Johan. Gunesch Transsilv.
XVI. *Luis Venereæ, cum Gonorrhœâ Virulentâ.* 423.
Resp. C. Schagen.
XVII. *Luis Venereæ, cum Ulceribus oris, ani, & pudendi.* 426
XVIII. *Scabiei.* 429.
XIX. *Achoris sive Tineæ capitis.* 432.
Resp. Cornel. Wynant a Resandt.
XX. *Cancri incipientis.* 435.
XXI. *Scirrhi Cancros.* 438.

MEDI-

PRAXEOS MEDICÆ

LIBER PRIMUS.

De Medendis Morbis Capitis.

I.

MEDICATIO FOEMINÆ, CEPHALALGIA, ex causâ calidâ, laborantis.

Fœmina quadraginta annos nata, sanguinea, calidiore diætâ diu usa, incidit in ingentem dolorem punctorium verticis & occipitis, ad cervicem usque desinentem: qui non externo contactu, sed capitis motu exacerbatur, atque ideo immota in lecto jacet. Punctiones, quas in capite sentit, subinde remittuntur, subinde ita ingravescunt, ut ægra animo linquatur. Adest, citra sitim, magnus totius corporis calor, pulsus celer, urina rubicunda. Interdum post somnum quædam præter rationem loquitur.

Jacto hoc *historiæ morbi*, ex diligente ægrotæ hujus examine collectæ, fundamento, medicatio jam porro instituenda per *cognitionem*, tum diagnosticam, tum prognosticam, quâ peractâ, progrediendum erit ad *Curationem*.

Et quantum ad *diagnosin*, quæ in partis affectæ, ipsius morbi, & causæ morbificæ investigatione consistit: afficitur in hac ægra *caput, secundum verticem, occiput, & cervicem*, quod ex dolore illas partes occupante est manifestum; afficitur etiam *cerebrum secundum substantiam & spiritus, item secundum meninges*, quod ex sermonibus præter rationem interdum prolatis, & ex dolore, non externo con-

tactu, sed motu capitis exacerbato, innotescit: item *cor & totum corpus*, quod ex pulsu celeri, urina rubicunda, & totius corporis calore patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies capitis, secundum verticem, occiput, & cervicem, calida & acris, sive biliosa; quæ in illis partibus ingentem dolorem punctorium excitans, *dolor capitis ex causis calidis* ortus, vulgo appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est diæta calida, qua hæc ægra fuit usa. Inde enim, adjuvante temperamento ipsius sanguineo, humores calidi & acres, in ipsius corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam: pars vero ejus in caput, circa meninges in vertice & occipite, ac ad cerebrum, item foris ad cervicem usque delata, ac ad cor & in totius corporis habitum distributa, ibique calorem præter naturam concipiens, partesque illas vehementius alterans & vellicans, *continens* hujus morbi, & symtomatum jam commemoratorum, est causa.

Humores enim calidi & acres, ad meninges circa verticem & occiput, ac ad interiora cervicis subinde delati, vehementiorem iis partibus, quæ acutissimi sunt sensus, intulerunt motum & punctiones, & hinc *punctorium dolorem, subinde remittentem & deinde rursus ingravescentem, ac motu corporis, quo etiam interiora agitantur, non vero externo contactu*, qui tantum exteriora premit, *exacerbationes inferentem;* & interdum etiam *in animi deliquium ægram nostram*, per spiritus animales, in fibras cordis & vasorum ejus constrictorias ex dolore nimis copiose determinatos, *præcipitantem.*

Adest autem calor totius corporis, citra sitim, ac urina rubicunda; quia humores isti in corde vehementius, citra febrim incalescunt, & inde in totum corpus atque in renes impulsi totum corpus valde calefaciunt, urinamque biliosis suis partibus adustis rubore tingunt.

Et

Et quia sanguis & spiritus ille calidus, per somnum non satis discussus ex cerebro, ipsum cerebrum, in eoque sensorium commune vehementius & inordinatius agitat, hinc fit, ut ægra nostra interdum, *post somnum deliros habeat sermones.*

Morbus hic satis est periculosus ob cerebrum affectum, doloris gravitatem, & delirium hic subinde conjunctum post somnum: nam in maniam, vel phrenitidem, vel apoplexiam posset degenerare. Quia tamen nostra ægra est valida, bene sperandum, & ad *curationem* accedendum censeo.

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei per contraria ablatione, & doloris sedatione consistet.

Mox itaque *vena in brachio pertundatur*, sanguisque educatur ad ℥viij.

Sequenti die *purgetur* tali hausto:

℞. *Mannæ calabricæ* ℥j. *syr. ros. sol. cum rheo* ℥ß.
Aq. hordei. q. s. M. F. haustus, *mane exhibendus.*

Postridie, adhibeantur, si dolor etiamnum urgeat, *cucurbitulæ* quatuor vel sex scapulis, cum scarificatione.

Et sub vesperam utatur *lotione pedum*, in decocto camomillæ & fol. salviæ factâ, per horas duas; quæ lotio sequentibus diebus bis quotidie, mane ac vesperi sc. reiterabitur.

Atque *ad somnum conciliandum & doloris sedationem*, sub tempus somni, talem sumat potiunculam somniferam & anodynam:

℞. *aq. lactucæ* ℥j. *betonicæ* ℥ß.
syr. de papav. ℥iij. *de acetositate citri* ℥ß.
Misce. F. potio

Et collo talis sacculus applicetur.

℞. *furfur. triticei p. ij. sem. papav. albi* ℥j. ß.
rosar. rubr. ℥j. *masticbes* ℥iij. *rad. galangæ* ℥j.
conquassata & inclusa sacculo vino irrorentur, & calide applicentur

centur collo, circa nucham.

Ad *corroborationem debilium virium* utatur tali conſervâ:

℞. *conſervæ roſar., majoranæ an.* ℥j.
ſpec. diarrhod. abbâtis ℈iiij.
cum ſyr. de limonibus q. ſ.
miſce ad formam electuarii,

De quo ſumat ægra ſubinde magnitudinum caſtaneæ majoris.

Tandem ſi *gravitas capitis*, uti hic ſæpe fit, poſt punctiones ablatas ægræ *ſit moleſta*, talis capiti imponatur cucupha:

℞. *furfuris tritici p. ij. ſem. papav. alb.* ʒj. ß.
roſar. rubr. ʒj. *maſtiches* ʒiij.
rad. galangæ ʒj. *ireos* ʒij.
ſem. coriandr. ℈iiij.
contundantur & cum linteo & cotone F. Cucupha.

Corpuſque *iterum purgetur* blande, tali purgante medicamento:

℞. *mannæ calabricæ,*
ſyr. roſ. ſol. cum rheo an. ℥j,
aq. hordei q. ſ. m. F. Hauſtus.

In *diæta aër*, in quo ægra degit, ſit frigidus, humidus. *Victu* utatur parco, refrigerante, & humectante, ex lactuca, acetoſa, portulaca, endivia, cichorio, citriis, aurantiis, cerafis, hordeatis. Abſtineat à vino; *potus* ſit cereviſia tenuis. *Somnus* ſit longior. *Perturbationes animi* vehementiores, ut & *inedia*, vitentur.

II.

MEDICATIO FOEMINÆ, DOLORE CAPITIS, ex cauſâ frigidâ, laborantis.

Matrona triginta annorum, pituitoſa, otioſa, alimentis frigidioribus uti ſolita, poſtquam, ineunte hyeme, ſeſe aëri nebu-

nebuloso, frigido, & humido, ac vento, exposuisset, magno dolore correpta est, qui totum caput occupat, illudque gravat. Facies multo pallore est perfusa; in ore pituita abundat; pulsus est parvus, rarus, languidus; urina pallida, crassa.

Afficitur in hac ægra *caput*; idque potissimum *secundum meninges & ipsam cerebri substantiam*, ut patet ex dolore totum caput occupante & gravante.

Morbus, qui ægram affligit, est intemperies meningum & substantiæ cerebri pituitosa & acris, quæ in illis partibus dolorem gravativum excitans, *dolor capitis ex causa frigida* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est usus diutinus alimentorum frigidorum, quo, adjuvante vitâ otiosâ & temperamento ægræ pituitoso, multi frigidi & acres humores in ipsius corpore geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Illi verò ad cerebrum & meninges delati, ibique vi aëris frigidi humidi & ventosi retenti, à reliquo sanguine separati, & in substantiam istarum partium effusi, illasque partes suâ copiâ gravantes & distendentes, & acrimoniâ vellicantes, *continens* hujus morbi, symtomatumque ejus, sunt causa.

Dum enim illas partes vellicando, & distendendo, ac pungendo, vehementius movent, *dolorem in iis* excitant. Dum ad cor feruntur, sua frigiditate faciunt *pulsum tardum, rarum, languidum*. Dum crassa & cruda excrementa ad renes pelluntur, *urina evadit pallida & crassa*. Dum multi pituitosi humores ad faciem deferuntur, *oritur in ea pallor*. Dum illi ad palatum propelluntur, *os pituitâ abundat*.

Morbus hic in corpore, ex pituita debili, est periculosus, minaturque paralysin, apoplexiam, catarrhum, epilepsiam, vel alium gravem affectum.

Ideoque diligenti *curatione* est aggrediendus; quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intem-

periei, ac doloris, per contraria correctione, consistet.

Primo itaque purgetur talibus pilulis:

℞. *pil. cochiarum gr.* xv.
scammonii gr. x
cum syr. ros. sol. q. s. F. pil. N° iv.
mane exhibendæ.

Et utatur tali apozemate:

℞. *rad. fæniculi, petroselini an.* ℥j. *liquirit. rasi.* ʒiij.
herb. betonicæ, hyssopi, calamint., capill. ven.,
melissæ, majoranæ an. m. j.
flor. stæchados p. j.
sem. anisi, fæniculi an. ʒj. ß.
decoq. ex aq. comm. ad lib. j. *Colaturæ*
adde syr. de hyssopo, oxymell. simpl. un. ℥ j.
misce F. Apozema, *de quo sumat bis in die* ʒiij,
pro dosi.

Biduo post primam purgationem iterum purgetur talibus pilulis:

℞. *pilular. de hiera simpl., alephangin. an. gr.* xv.
scammonii gr. viij. *misce F. pilulæ* N° vij. mane exhibendæ.

Postridie in scapulis adhibeantur cucurbitæ sex cum scarificatione, & mediocris sanguinis quantitas educatur.

Et deinde reiteretur apozema prius præscriptum, addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j, & decoquendo ad lib. j. de quo sumat ʒiij semel in die.

Postquam ita aliquoties purgata fuerit universaliter, ad particulares evacuationes erit veniendum; itaque tali utatur apophlegmatismo, longè à pastu:

℞. *uvar. pass.* ʒ iij.
hyssopi. sampsuchi an. ℥ ß.
mastiches ʒij.
cum pauco melle & cera F. globuli masticatorii.

Succo

Succo etiam rutæ, majoranæ, betæ, loco errhini, utatur: uti etiam hoc gargarismo:

℞. *herb. melissæ, betonicæ, salviæ an. m. ß.*
sem. sinapi ʒij. *ficus* N° v. *f. decoctio pro lib.* j.
colaturæ adde mellis ros., oxymell. squill. an. ʒij.
M. F. gargarismus, *quo tepide utatur longe à pastu.*

Frons & tempora tali inungantur linimento:

℞. *unguenti alabastrini.* ʒj.
ol. irini, rutacei an. ʒj. *misce.*

Si dolor perseveret, pilulis ante præscriptis subinde iterum purganda erit.

Interea, ubi ita corpus erit evacuatum, cerebrum etiam erit roborandum tali electuario:

℞. *conserv. flor. anthos* ʒj. ß.
theriacæ ʒij.
rad. acori conditæ ʒiij.
spec. diamusci dulc. ℈iiij.
cum syr. de betonica q. s. F. electuarium,
de quo sumat castaneæ magnitudinem,
post singulos pastus.

Ad roborandum caput F. cucupha *ex flor. stæchad., salviæ, majoranæ, lavendulæ, origani, absinthii an. M. ß.*
nucis muschatæ, macis an. ʒj. *cum panno serico & cotone q. s.*

In *victus ratione aër* sit calidus, siccus. *Cibus* ex carnibus vervecinis, gallinaceis, ovis sorbilibus. Assa hic elixis præferenda. Alimenta condiantur serpillo, majorana, hyssopo. *Potus* sit parcus, ex vino tenui. *Motus* sit mediocris: uti & *somnus*. Alvus debet esse lubrica; vomitus vitandus. Tristitia quoque vitanda.

MEDI-

III.

MEDICATIO VIRI VETERNOSI,

sive Lethargo laborantis.

Vir quadraginta annorum, pituitosus, crassus, pinguis, desès, ebrietati & ingluviei deditus, postquam per aliquot dies de capitis gravitate esset conquestus, in tam inexplebilem dormiendi incidit propensionem, ut, quicquid ageret, dormire cuperet, & in somnum assiduò laberetur. Malum jam ita crevit, ut, magnâ difficultate per clamores & vellicationes excitatus, oculos vix attollat, aliena incondito murmure loquatur, & mox in somnum relabatur. Quandoque expergefactus matulam mingendi causâ postulat: verùm mox ejus oblitus, urinam in lectum inscius effundit. Totum corpus tactu justo calidius sentitur. Calorque sub vesperam quotidie est intensior. Pulsus mollis est, celer, inæqualis, & debilis. Respiratio lenta. Urinæ sunt crassæ & turbidæ.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod docet ingluvies & ebrietas, atque urina crassa & turbida: sed præcipue *cerebrum*, quod probat magna illa somnolentia: & præterea *cor*, ut constat ex febri.

Morbus, qui eum tenet, est *Vetternus*, sive intemperies totius corporis, & præcipue capitis, pituitosa, & nimis gravis, quæ putrescens febrem, & cerebri substantiam suo pondere gravans, somnolentiam talem, qualis in historia hic describitur, inducit, quæ græcè *Lethargus* dicitur.

Causa hujus morbi *procatarctica* est ingluvies & ebrietas, cui nuper æger indulgens magnam pituitosorum humorum copiam in toto corpore collegit; quæ pro *antecedente* ejus causa est habenda. Eaque in corpore putredinem concipiens, ac in corde vehementius incalescens, & deinde

per

per totum corpus, ac præcipue in cerebrum delata, illudque ſuo pondere premens & gravans, *continens* hujus morbi, & ſymtomatum omnium, eſt cauſa.

Nam ſanguis pituitoſus, in venis putreſcens & inæquales partes habens, cum cordi perpetuo novam incendii cauſam ſuppeditet, illudque in totum corpus per arterias ſe diffundat, hinc oritur *febris continua*; quæ calore juſto majore, pulſu celeri & inæquali, ſeſe prodit. Magna vero iſtius pituitoſi ſanguinis portio, in cerebri ſubſtantiam & meningum poros delata induxit, primum *capitis gravitatem*; eaque ibi aucta, cerebri molem ita oneravit, ut ſpiritus animales, qui in ventriculis exiſtunt, illud ſatis attollere, ventriculoſque & nervos ſubjectos ſufficienter diſtendere nequeuntes, *ſomnolentiam magnam*, & poſtea etiam *ſoporem tantum pepererint*, *ex quo vix ullis clamoribus & corporis vellicationibus*, ſpiritus in cerebro dilatantibus, *excitari æger poſſit*; *& ſi aliquantum experge fiat, recte tamen audire, oculos ſatis aperire, & oportuna loqui nequeat, ac proinde inconditum & inconveniens murmur edat, matulæque exhibitæ obliviſcatur, mox in ſomnum, ob cerebri gravitatem, relabatur, & inter dormiendum urinam*, ob nervum, qui veſicam per influentes ſpiritus claudit, affectum, *inſcius in lectum effundat*.

Sub veſperam ingraveſcit quotidie febris; quia materia morbifica, in cerebro exiſtens, quotidie ſub id tempus, propter peculiare ſuum temperamentum, tam matura evadit, ut in venas ſeſe per rarefactionem effundens ad cor deferatur, ibique calorem cordis, & deinde totius corporis, præter naturam augeat.

Nec eſt quod miremur, pituitam putreſcentem poſſe febrim, & hinc dilirium aliquod, hic excitare: nam etiam lactuca & gramen, aliaque ſimilia frigida, per putredinem ſæpe incaleſcunt; dum ſc. per eam inſenſibilium particularum pori ita diſponuntur, ut æther, in iis copioſior exiſtens & ſeſe ve-

hementius movens, calorem, sive varium & vehementem insensibilium partium motum, in illis producat.

Hic affectus, celeriter, nisi celerrimè ei occurratur, occidere solet; ideoque ociſſime illi *medela* adhibenda:

Eaque consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei cerebri per contraria correctione.

Primò itaque educatur sanguis per phlebotomiam è brachio ad uncias octo.

Et deinde mox injiciatur hic clyster:

℞ *rad. altheæ unc.* ij.
herb. malvæ,
bismalvæ,
parietariæ,
betæ,
mercurialis an m. j.
flor. camomill.
meliloti an. m. s.
furfuris macri p. ij.
decoq. in aq. comm. ad lib. 1. *in qua dissolve elect.*
diaphœnici, diacatholici an. dragm vj. *mellis rosati unc. s.*
olei camomill. unc. j. *s. salis dragm.* j.

Misce F. Clyster, mox injiciendus.

Postea hoc utatur oxyrhodino leviter repellente:

℞. *aq. rosar.*
camomillor. an. unc. ij. *s.*
ol. rosacei unc. j. *s.*
camomillor. unc. s.
aceti optimi dragm. vj.

M. F. Oxyrhodinum, tepide cum pannis capiti adhibendum.

Deinceps ad ea remedia deveniendum, quæ ęgrum excitare possunt: qualia sunt, frictiones asperæ dorsi & artuum,

tuum, vinculaque iis injecta ac frequentius soluta; tractio pilorum.

Præterea hoc usurpetur apozema.

℞. *rad. cichorii.*
polypod. q. an. unc. j.
fæniculi, petroselini,
asparagi an. ʒvj.
herb. betonicæ, melissæ, hyssopi,
capilli veneris an. m. j.
flor. anthos.
stœchados.
camomill. an. p. j.
sem. anisi.
fæniculi an. ʒv.
decoq. in aq. comm. ad lib. j s. addendo sub finem decoct. fol. sennæ unc. ij. *salappæ unc. s.*
Colaturæ adde syr. de hyssopo unc. ij.
aq. cinnamomi unc. j.

F. Apozema; de quo sumat quotidie uncias quatuor, semel vel bis in die, pro ratione operationis.

Et adhibeatur tale vesicatorium, post cucurbitas humeris, dorso, & natibus adhibitas:

℞. *pulv. cantharid.* ℈j.
euphorbii ℈ß.
piperis gr. vj.
fermenti acid. vnc. s. aceti q. s.

F. vesicatorium, collo circa nucham adhibendum.

Circa tertium diem præscribatur hoc linimentum:

℞. *unguenti alabastrini unc. s.*
olei liliorum dragm. iij.
de castoreo dragm. ij.

M. F. linimentum; quo caput cum pannis adhi-

bitis illinatur.

Sumatque hunc bolum:

℞. *theriacæ androm.* ℈ iv.
castorei in oxymelite sol. gr. v.

M. F. bolus, sex horis ante pastum exhibendus.

Tandem, ubi vis morbi & febris jam plusculum erit superata, cerebrum tali medicamento erit corroborandum:

℞. *conserv. fl. lavendulæ, salviæ, anthos,*
betonicæ an. ℥ß.
calami aromatici condit.
nucis moschatæ condit. an ℥ij.
spec. aromatici rosati
diambræ an. ℈ij.
theriacæ ℈j
Cum syr. de stæchade. q. s.

F. Electuarium, de quo sumat castaneæ quantitatem, bis in die.

In victus ratione aër sit moderatè calidus, & castoreo, pulegio, hyssopo, origano, & aliis similibus alteratus. *Cibus*, ubi malum nonnihil remiserit, sit paucus, calidus, ad concoquendum & ad distribuendum facilis; uti sunt pulli gallinacei, capi, gallinæ. Alimenta quoque poterunt condiri salvia, thymo, hyssopo, roremarino, majorana. *Potus* sit aqua mulsa; à vino abstineat usque ad declinationem morbi. *Exercitii* loco sint frictiones validæ, vectiones curriculo factę. *Animio somno* arceatur æger; & tantum dormiat, quantum saltem viribus conservandis sufficiat. Et quia præ oblivione aut *stupiditate* excrementa alvi & vesicę deponere negligit, idcirco de excretione est admonendus. Curandumque, ut vel sponte, vel arte *alvum* quotidie *deponat.*

MEDI-

IV.

MEDICATIO VIRI APOPLEXIA CORREPTI.

Vir quadraginta quinque annorum, crapulæ deditus, otiosus, pituitosus, plethoricus, subitò, dum domi suæ cum familiaribus colloquitur, magnâ ruinâ in terram prolapsus, omni sensu & motu est privatus. Restat sola respiratio, quæ tamen satis est difficilis. Ad nullas voces & inclamationes, ad nullas concussiones & vellicationes expergiscitur: sed perpetuò immotus, & nihil percipiens stertit. Pulsus satis adhuc est validus.

Partes affectæ hic sunt cerebrum, & totum corpus. *Cerebrum* affectum esse patet ex sensus & motus privatione: atque hinc *totum corpus* per sympathiam, secundum sensum & motum, etiam læditur.

Morbus, quo hic æger laborat, est intemperies humida & nimis gravis cerebri, cum ventriculorum ejus angustia vel subsidentia, & glandulæ pinealis ac nervorum subjectorum subitanea & valida compressione, conjuncta: quæ, subitam & tam fortem, ut æger nullâ ratione excitari queat, omnis sensus & motus privationem, respirationemque difficilem, inducens, *Apoplexia* dicitur.

Causa procatarctica hujus affectus est crapula, item otium, nec non temperamentum pituitosum nostri ægri. Hinc enim magna copia humorum pituitosorum & sanguineorum, in toto corpore, ac præsertim in capite ejus fuit genita, quæ *antecedens* hujus morbi est causa: Magna verò humorum pars, primum circa internas venas jugulares, ubi eadem cranii foramina cum arteriis carotidibus ex collo in caput transeunt, copiosè effusa, easque arctans; ac eo justam sanguinis ex cerebro versus cor tendentis circulationem impediens; atque hinc deinde in-

ſubſtantiam cerebri, plexum choröidem, & forſan etiam in ventriculos cerebri, ſubitò profuſa, ibique craſſeſcens, & obſtructionem inducens, eſt morbi hujus cauſa *continens*: quæ *ſyntomatum* omnium jam commemoratorum eſt author.

Nam ab humore, in cerebrum ita ſubitò profuſo illudque gravante & ibi traſſeſcente, obſtructionemque inducente, ſubjecti nervi & ſenſorium commune, ſive glandula pinealis, valde permuntur, & ſufficiens ſpirituum animalium generatio impeditur. Hinc motus, ab objectis, ſenſoriis externis impreſſus, nec in cerebrum, nec ad ſenſorium commune deferri poteſt. Atque *hinc jacet ille ſine ſenſu, & quamvis concutiatur, vellicetur, & clamoribus inceſſatur, nil percipit, nec evigilat. Et* quia ventriculi cerebri partim ſunt compreſſi, partim humoribus forſan repleti, vel plexus choröides ſubitò eſt obſtructus; idcirco ſubitò juſta copia ſpirituum ibi non gignitur, quo noſter æger *omni motu, exceptâ reſpiratione*, quæ tamen, propter nervos reſpiratorios, latioribus quidem poris prędítos, ſed hic tamen aliquantum etiam affectos, eſt difficilis, *ſubitò privatus, magnâ ruinâ*, ob magnam ſui corporis molem, ſpiritibus animalibus, eam ſuſtentare ſufficientibus deſtitutam, *in terram repente concidit.*

Sed *reſtat ſola reſpiratio*; quia, quamvis pauci ſint ſpiritus animales, cum illi in alios nervos, ut pote ob pororum ſuorum parvitatem hic valde arcte compreſſos, nec ad recipiendos ſpiritus ita aptos, fluere non poſſint; hinc illi nervis & muſculis reſpiratoriis, majorem pororum magnitudinem habentibus, alternatim qualicunque modo dilatandis, ſufficiunt, in iiſque viam ad influendum ſatis commodam inveniunt; huc accedit quod hi ob motum reſpirationis, jam inde à prima nativitate, & dormienti & vigilanti, ſine ulla intermiſſione, continuatum, magis,

quam

quam reliqui omnes totius corporis nervi & musculi, quippe qui diutine per vices sæpe quiescant, ad spiritus vicissim recipiendos sunt adaptati. *Cumque* hæc causa sit manifesta & sufficiens, *nequaquam, admiram & occultam naturæ providentiam*, respirationis usum, quod ille homini præ reliquis corporis motibus ad vitam maxime sit necessarius, conservantem, *hic confugiendum esse videtur.*

Quoniam autem nihil nos cogitare observamus, nisi, à motu objectorum, vel corporeis rerum imaginibus & notis cerebro impressis, mens nostra ad cogitandum excitetur; cumque illæ hic, ob valide compressum sensorium commune sive conarium & defectum spirituum, à cerebro ad conarii centrum deferri, & in eo animam afficere non possint; *idcirco existimandum, & pro certo habendum, ægrum nostrum, hoc affectu oppressum, nihil imaginari, recordari, vel aliter quicquam cogitare*: Eoque esse manifestissimum, animam, sive mentem humanam, non in cogitando, sive cogitatione, vel actione cogitandi, sed in sola cogitandi facultate consistere: eamque non semper esse actuosam, sed sæpe ab omni cogitatione, sive cogitandi actione, cessare.

Prognoseos loco, dicimus morbum hunc periculosissimum esse; quia est apoplexia satis gravis, quod stertor indicat, quam Hippocrates solvi posse negat: & præterea, si hæc solvatur, metus est, ne in paralysin totius corporis, vel unius lateris, commutetur. Spes tamen omnis non plane decollavit; experientia enim probat multos à tali affectu fuisse restitutos.

Id circo in acutissimo hoc morbo acceleranda est *Curatio*: quæ *consistet* in causæ continentis in capite, & antecedentis in toto corpore existentis, ablatione, & deinde in intemperiei cerebri correctione.

Itaque primo podici inseratur hoc suppositorium:

℞. *pulv. hieræ picræ* ℈ ij.

colo-

Colocynthid., ſcammonii an. gr. iij.
mellis q.ſ. ſalis parum. F. ſuppoſitorium:

Dum talis præparatur clyſter;

℞. *centaurei min, ſalviæ, betonicæ, mercurialis, ivæ arthriticæ an. m.j.*
flor. camomil., ſtæchados an. p. ij.
ſem. aniſi drag. ij. *agarici* ʒj. *ſ.*
pulpæ colocynthid. in pupella ligatæ ʒſ.
Coquantur in aqu. commun. ad lib. j. Colaturæ adde electuari hieræ picræ, diaphœnici, benedictæ laxat. an. ʒ*ſ.*
ol. rutacei, camomillor. an. ʒß *ſacchari rubr.* ʒ. j.
ſalis comm. ʒij. F. Clyſter, mox inijciendus.

Poſt operationem clyſteris, vel poſt unam à clyſteris injectione horam, ſanguis ex brachio per phlebotomiam, tum ad evacuationem, tum ad revulſionem & derivationē, pro ratione virium, eſt educendus, præſertim quia hic adeſt plethora: & clyſter poſt 4. vel 5. horas erit reiterandus.

Interim fiant extremarum partium frictiones cum ſpiritu vini calido: & ligaturę, ſubinde ſolvendæ, iis adhibeantur.

Sternutatoria etiam, alvo depoſitâ, ex pulvere euphorbii, ellebori albi, & tabaci facta, naribus inflentur.

Si his non excitetur, vena ſub lingua vel in fronte erit ſecanda.

Ubi ad ſe redierit æger, ſive paralyſis ſupervenerit, ſive non, tales pilulæ, ad cauſam antecedentem & continentem porro tollendam, præſcribi poſſunt:

℞. *pil. cochiar.* ℈ij. *pil. fætidar. trochiſc. alhandal. an.* ℈ß. *cum ſyr. de ſtæchad.* F. pilulæ. N° ix.

Et utatur hoc decocto quotidie ad ʒiij, vel iiij, ſemel vel bis, pro ratione operationis medicamenti:

℞. *Herb. ſalviæ, majoranæ, betonicæ an. m.ſ.*

flor.

flor. ſtæchad, roriſmarini an. p. j.
ſem. ſileris montani, aniſi, ſeſeleos an. ʒj ß.
Coq. ex aqua comm. ad lib. j. *addendo ſub finem decoctionis*
fol. ſennæ ʒjß. *rabarb., agarici trochiſc. an.* ʒij.
cinnamomi ʒß. *In Colatura diſſolve*
ſyr. de ſtæchad. ʒj ß. F. Apozema.

Tum quoque materia pituitoſa apophlegmatiſmis, ex pipere, pyrethro, ſem. ſynapios, & ſimilibus factis, è capite educatur.

Nucha, & pars, ſi qua fuerit paralytica, inungantur hoc linimento calido:

℞. *ol camomill.* ʒj. *vulpini* ʒß.
de lateribus, caſtoreo an. ʒij.
ceræ parum, F. linimentum.

Omni mane ſumat de ſequenti mixtura, ad intemperiei capitis & partium paralyticarum correctionem:

℞. *conſerv. flor. roriſmarini* ʒiij.
mithridat., theriacæ an. ʒij. *ſp. diambræ* ʒj.
ſyr. de ſtæchade, oxymellis ſcillitici an. q. ſ.
Miſce ad conſiſt. Electuarii.

vel ℞. *conſerv. flor. anthos, cortic. citri condit. an.* ʒj.
rad. acori veri conditæ, ſp. diambræ,
diarod. abbatis an. ʒij.
Cum oxymell. ſcillitico q. ſ. F. Conditum.

In *victus ratione*, *aër* ſit calidus. *Cibus*, ubi morbus nonnihil remiſerit, ſit paucus, calidus, concoctu facilis, & ſalviâ, thymo, hyſſopo, roremarino, & majorana nonnunquam conditus. In *potu* ſumatur aqua mulſa: vitetur cereviſia craſſa & vinum generoſum. *Exercitii* loco adhibeantur frictiones validę, ac partium extremarum ligaturę, & humeris affigantur cucurbitulæ.

V.

MEDICATIO VIRI NIMIA VIGILIA FATIGATI.

VIr 40. annorum, temperamento bilioso & melancholico præditus, cum magnis curis & sollicitudinibus, ob magnum damnum in mercaturâ passum, se aliquamdiu vehementius afflixisset, incidit in insomniam, qua jam noctes multas vigilat, nec interdiu etiam dormire potest.

Afficitur in hoc ægro *cerebrum*; quod ex curis præcedentibus, & insecutâ insomniâ est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies calida & sicca cerebri, nimisque rara plexus choroidis, cum spirituũ animalium motu nimis valido inde orto conjuncta; quæ ventriculos cerebri & nervos nimis diu distendens, & hinc multorum dierum noctiumque vigilias inducens, à præcipuo symtomate inducto, *nimia Vigilia* appellari solet.

Causa, quæ primum huic morbo originem præbuit, fuerunt curæ & sollicitudines, quibus hic vir se diu maceravit, & mentem perturbavit.

Vehementior enim spirituum motus, quem curarum & sollicitudinum cogitationes produxerunt, exsiccavit & calefecit supra modum cerebri substantiam, porosque plexus choroidis nimium aperuit, sanguinemque nimis calidum & melancholicum produxit. Atque hinc jam contingit, ut spiritus animales, per poros illos istius plexus nimis apertos perpetuò & nimis copiosè exhalantes, cerebri nimis exsiccati & calefacti ventriculos, nervosque sensoriorum inde ortos, perpetuo nimiumque distendant; atque ita *perpetuam nimiamque aliquot dierum noctiumque vigiliam inducant.*

Periculum autem est, ne hæc vigilia maniam, phrenitidem, vel melancholiam pariat.

Atque

Atque ideo ejus *curatio*, quæ in intemperiei istius per contraria correctione, pravorum humorum eductione, & pororum istorum nimis apertorum justa arctatione, consistet, haud erit procrastinanda.

Primo itaque purgetur tali purgante hausto:

℞. *cassiæ recens extractæ*
elect. diapruni an. ʒß.
aq. decoct. hordei ʒiij.
syr. ros. solutivi ʒvj. *misce.* F. haustus.

Et utatur bis terve in die de hoc apozemate alterante:

℞. *herbar. violariæ, malvæ, borrag., bugloß., fumariæ,*
scariol. an. m. j.
sem. 4. frig. major. an. ʒj. *papav. albi* ℈iiij.
anisi, fœniculi an. ℈ij.
flor. borrag., bugloſſæ, violar., nymphææ. an. p. ij.
decoq. in s. q. aq. hordei ad lib. j.
In Colatura dissolve syr. violar., nymphææ an. ʒj.
Misce, pro Apozemate.

Vesperi utatur subinde tali emulsione amigdalata:

℞. *amigdal. dulc. excorticatar.* ʒijß.
Contund. in mortario addendo aq. decoct. hord. lib. j.
syr. de papavere ʒvj. *sacchari albi* ʒj.
Misce F. lac amidgalatum, *tribus vicibus unâ nocte sumendum.*

Postea purgari poterit tali hausto:

℞. *rabarbari* ℈iiij.
fol. sennæ ʒiij. *cinnamomi* ℈j.
post levem ebull. infundantur per noctem in aq. hordei ʒiij.
Colaturæ adde syr. de cichor. cum rheo ʒj. *misc.* pro hausto.

Nares, frons, & tempora vesperi illinantur tali linimento:

℞. *ol. nenupharini, unguent. popul. an.* ʒij.
opii thebaici, croci an. gr. iij. *Misce.*

Cubitum iturus sumere etiam potest syr. de papav. ʒvj.

vel ℥j, vel laudani opiati in forma pilulæ gr. iiij.

In diæta aër sit frigidus & humidus; uti & *cibus* & *potus*. Utatur itaque lactucis, malvâ, endiviâ; carne vervecina, agnina; & elixis potius, quam assis. Cerevisiâ potius, quam vino. *Fugiat* vehementiores *motus* ac *sollicitudines*, Versetur in *loco obscuriore*, remoto à strepitu. *Hilaritati* det operam. Excretio *alvi* sit moderata.

VI.

MEDICATIO VIRI, CATALEPSI LABORANTIS.

Vir annos natus quinquaginta, temperamento melancholicus, hyeme asperrimâ, post diuturnos in occipite perceptos dolores sedens in musæo inter libros, quibus studiorum causâ totos dies assidere solebat, subitò omni sensu & motu est orbatus, exceptâ respiratione, quæ ipsi cum pulsu est integra. Manet perpetuò in eodem corporis statu, oculis velut in adstantes defixis, palpebrisque immobilibus & inconniventibus. Compellatus & interrogatus nihil audit, nihil respondet.

Ut ex hac historia *cognitionem* per *diagnosin & prognosin* recte auspicemur, & deinde ad *curationem* perveniamus, investiganda primum *pars affecta*: quam ex omnium actionum animalium læsione, cerebrum esse colligo. Lęditurque illud præcipuè secundum illam particulam, quæ sensui communi inservit; quia æger manet in eodem inter sedendum statu, & oculos servat apertos: quod non fieret, si totum cerebrum graviter esset affectū; ut apparet in apoplexia, paralysi, & similibus aliis gravibus cerebri affectibus.

Morbus, quo affligitur æger, est intemperies melancholica, sive frigida, sicca, & crassa, cerebrum totum leviter, sed sensorium commune, sive conarion, præcipuè graviterque occupans: quæ, salva respiratione & pulsu, omnem

omnem perceptionem judicium & motum tollens, ægrumque in eo ſtatu, in quo erat, cum ab hoc affectu primum corriperetur, ſervans, *Catalepſis* ſive *Catochus* à Medicis appellatur. Iſque ex cauſis & ſymtomatis innoteſcit.

Cauſa procatarctica hujus morbi, eſt perpetuum literarum ſtudium, cui noſter ſenex, totos dies inter libros ſedendo, operam dedit. Hinc enim, adjuvante ſenili ætate, melancholici humores, qui *antecedens* hujus affectus ſunt *cauſa*, in ejus corpore fuerunt geniti. Horum pars in poſteriorem partem capitis delata, dolorem diuturnum ibi excitavit: quæ verò poſtmodùm ſubitò, exiguâ quidem quantitate, in totum cerebrum, ſed copiosè præcipueque in ſenſorium commune, & partes ei vicinas, ob aſperrimum hyemale frigus, & intentiores ęgri cogitationes, erupit, iiſque firmiter inhæſit, ea *cauſam* hujus morbi conſtituit *continentem*: unde omnia *ſymptomata*, in ægro noſtro occurrentia originem ducunt.

Cum enim totum cerebrum multis & copioſis humoribus non ſit oppreſſum, vel repletum, hinc illud non ſubſidit, nec ſubjectos nervos graviter premit; atque ideò ſatis copioſi hic geniti & per nervos diffuſi *ſpiritus, corpus ægri, inter ſedendum, erectum, oculoſque apertos ſervant, & reſpiratorios muſculos perpetua influxus alternatione liberè contrahunt, & dilatant. Manent autem oculi inconniventes, & ad eadem perpetuò defixi, ſituſque corporis ab ipſo non mutatur;* quia ſpiritus, ob ſenſorium commune hic ſatis graviter affectum, ab anima nullius rei hic conſciâ, nihilque percipiente, in alios muſculos non determinantur; ſed in eoſdem, in quos antea erant determinati, perpetuò fluentes, corpus ejus in eodem ſtatu retinent. *Compellatus verò vel interrogatus nihil reſpondet, nec quidquam audit; ſi quid oculis offeratur, non videt*: quia, quamvis per nervos ſatis patentes ſoni & imagines rerum viſibilium in cerebrum, & ad ſenſorium

commune deferantur, ab anima tamen, propter conarion, quod commune & proximum actionum mentis est instrumentum, humore melancholico valde imbutum, ac proinde ab objectis non satis motum, nihil quidquam percipitur.

Alii volunt, hunc affectum a vapore, spiritus in cerebro & toto corpore congelante, vel coagulante, originem ducere. Sed si hæc vera ejus esset causa, respiratio & pulsus, quæ spirituum ope peraguntur, hîc non possent esse integra. Nam coagulatio illa magna, ut spiritus totius corporis, ita etiam respirationi & pulsui inservientes congelaret, vel coagularet: iique condensati, & humoris vel pruinæ specie in ventriculos cerebri decidentes, non possent cerebri molem diutius sustinere, nec spirituum sufficientem copiam musculis thoracis suppeditare; unde primum apoplexia ægrum prosterneret, & deinde, respirationis & pulsus usu ablato, mors necessariò ipsum invaderet.

Nec nobis obsunt ii, qui à fulmine congelati & extincti in eodem corporis statu aliquamdiu permansisse dicuntur: nam illi à fulmine, non tantum spiritus, sed etiam solidas partes indurante, fuerunt occisi: noster verò æger vivit & spirat. *Nec etiam obstat, quod artus in Catalepticis nonnunquam quovis marmore rigidiores apparere dicantur.* Nam rigiditas illa proficiscitur à spiritibus, non congelatis, sed in musculos immissis, & perpetuò influentibus, ibique, ob nullam novam eorumdem insecutam determinationem, retentis, atque ita partes distendentibus. Talis quodammodo rigiditas passim in nobis observatur, dum stantes, & ad rem non attendentes, corpus nostrum erectum tenemus.

Alii vero, qui observant catalepticos quosdam, ab aliis motos, artus suos flectere, & erectos stare, imo propulsos ad passus aliquod progredi, *existimant spiritus imaginationi inservientes in cerebro hic figi, dum reliqui manent integri.* Sed hæc opinio non est admittenda, cum spirituum animalium

lium in cerebro nullum sit discrimen: sed iidem sensationi, imaginationi, motui, aliisque animalibus operationibus inserviant; Ut ex Physicis nostris constat.

Nec mirum à catalepticis, nihil cogitativè, ob sensorium commune affectum, sentientibus, *tales motus peragi, & alimenta, ori inserta, nonnunquam deglutiri*; cum hi, ob spiritus cerebri animales & sensoria singularia, haud graviter hic affecta, tales motus ab objectis possint recipere, quibus spiritus in cerebro ita determinentur, ut certos quosdam nervorum meatus per vices aperiant & claudant, atque in has vel illas partes fluant, easque vicissim, inscio cataleptico, moveant; eo ferè modo, ut in automatis pneumaticis & hydraulicis aliisque contingit.

Periculosissimus hic est morbus: quia humores melancholici sensorio communi firmissimè infixi, dum difficillimè possunt tolli, ægrum necessario alimento sumendo privant; & justum corporis motum impedientes cacochymiam valde augent; atque ideò procul dubio vitam, nisi tempestivè & citò excutiantur, brevi ipsi, per lipothymiam, vel apoplexiam, vel carum, adiment.

Maturanda itaque *Curatio*: quæ perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & deindè per intemperiei cerebri & reliqui corporis, per calefacientia, humectantia ac incidentia, emendationem.

Primò itaque talis injiciatur clyster:

℞. *Mercurialis, betæ, salviæ, rutæ, pulegii, centaur. min. an. M.* j.
flor. meliloti, camomill., stæchados, an. p. j.
rad. polypod. querc. fol. sennæ,
sem. carthami, an. unc. ſ. rad althææ ℥j.
rad. ellebori nigri ʒij. *colocynth.* ʒß.
Decoquantur in aq. com. ad lib. j.
colaturæ adde confect. hamech ℥ß.

hieræ

hieræ logodii ʒvj. *trochiſ. alhandal* ϑj.
ol. rutacei, anethini, an. ʒß. *ſal. com.* ʒj *ſ. F.* clyſter.

Si clyſter injectus, ob nimiam inteſtinorum irritationem, vel aliam cauſam, non retinetur, mox ſequens ſuppoſitorium ano inferatur:

℞. *pulv. hieræ logodii,* ϑij. *trochiſc. alhandal* ϑj.
diagridii gr. iij. *ſal. com., gemmæ an.* ϑß.
mellis cocti & indurati, q. ſ. F. ſuppoſitorium.

Ab alvi eductione, mox hoc ſequens medicamentum, ſi tum deglutire æger aliquid poſſit, ingeratur:

℞. *theriacæ and.* ʒj. *mithrid.* ϑj. *aq. cinnamomi* ℥ß.
aq. beton. ℥iij. *Miſce.*

Tumque adhibeantur artuum & poſterioris partis colli ac ſpinæ dorſi, cum pannis aſperis calidis, frictiones. Et inungatur caput hoc linimento calido:

℞. *ol. anethini, camomill., lilior. an.* ℥j.
His in vaſe dup. incoquatur herb. hyſſopi,
thymi, ſerpilli, an. p. j.
Expreſſioni forti adde caſtorei ʒß.
ceræ parum. F. linimentum.

Naribus etiam infletur ſternutatorium, ex helleboro albo, pyrethro, euphorbio, tabaco confectum.

Ubi ad ſe pluſculum redierit, præſcribatur hoc decoctum:

℞. *rad. bugloſſ., borrag. an.* ℥j *ſ.*
ellebori nigri ʒiij.
herb. card. bened., ſtæchad., epithymi, calamint.,
fumariæ, anethi, an. M. j.
flor. borrag. meliſſæ an. p. ij.
Coq. ex hydromelite ad lib. j., *addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ* ℥j *ſ. rhabarb., agarici an.* ʒiij. *cinnamom., nucis moſcatæ an.* ʒß.
In colatura diſſolve ſyr. de ſtæchade ℥ij. F. Apozema:

de

de quo sumat ʒiiij, semel vel bis in die, pró operationis magnitudine.

Ad intemperiem capitis & totius corporis corrigendam, sumat de hac mistura mane & vesperi, ad quantitatem castaneæ majoris:

℞. *Conserv. flor. borrag., buglossi, anthos an.* ʒvj.
sp. diamusci dulcis, lætificantis Galeni an. ℥iiij.
theriacæ veteris ʒj.
Cum syr. de buglosso q. s. Misceantur ad consist. Electuarii.

In *diæta* aër sit calidus & humidus. Cibus sit panis ex bono frumento, bene fermentatus, & rectè coctus; sumat ova recentia, carnes juniores vervecinas, gallinaceas. Convenit ptisana hordeacea. Ex oleribus conveniunt malva, lactuca, buglossum, borrago. Ex fructibus mala dulcia, uvæ passæ. Legumina, porrum, cæpas, caules, vitet. Cibi quantitas sit moderata. Vinum bibat tenue, & mediocrem cerevisiam bene defæcatam. Exercitium ad excrementa excutienda sufficiat. Quærat lætitiæ occasiones; tristitiæ fugiat. Somnus sit longior. A vigiliis diuturnis abstineat.

VII.

MEDICATIO MULIERIS, EX HEMIPLEGIA PARALYTICÆ.

Mulier annos præter propter quinquàginta sex nata, pituitosa, diu alimentis humectantibus usa, matutino tempore, induculâ linteâ tantum vestita, è lecto, ad nescio quid in cubiculo accersendum, egressa, & ab aëre frigidiore nonnihil refrigerata, in lectum rediit; ibique post somnum per horas aliquot reiteratum evigilans, animadvertit totum suum latus sinistrum sensu & motu esse destitutum. Mens ipsi jam stupidior est, & solito inarticulatius loquitur. Alvum habet adstrictam. Latus

affectum reliquo corpore est frigidius : & pulsus in eo languidior & solito minor.

Partes affectæ in hac ægra sunt *cerebrum*, ut patet ex mentis stupore: & *lingua*, quod indicat loquela inarticulatior: & porro *altera pars medullæ spinalis, cum nervis* inde orientibus, ut totius lateris sinistri affectus probat. Afficiuntur quoque omnes *istius lateris arteriæ*, ut docet pulsus ibi languidior. Atque etiam *intestina*, quia alvus est adstricta. Afficitur autem cerebrum & medulla spinalis *primariò* : secundariò verò, seu *per sympathiam*, reliquæ partes affectæ.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies frigida & humida cerebri, & imprimis sinistræ partis medullæ spinalis; cum valvularum, & pororum, in nervos oppositosque musculos spectantium, nimia flacciditate vel obstructione; & fibrillarum, in nervorum tubulis existentium, pressione vel nimia relaxatione, conjuncta: quæ sensus & motus privationem in toto latere sinistro inducens, *Paralysis* quædam dicitur, quæ *Hemiplegia* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi, est usus diuturnus alimentorum humectantium & refrigerantium; quo in nostra ægra calor nativus, per ætatem ingravescentem per se languens, valde est debilitatus, & magna copia pituitosorum humorum in toto corpore, & præsertim in capite, fuit collecta: quæ *antecedens* hujus morbi est causa. Hæc, ab aëris matutini, in corpore pæne nudo recepti, frigore, in cerebro condensata, & in alteram partem medullæ spinæ ac nervos prolapsa, causa ejus est *continens*, & omnium enumeratorum *symtomatum* scaturigo.

Nam ab intemperie frigida & humida cerebri *mens est stupidior* : quia spiritus hic sunt crassiores, & cerebrum torpidius, quam ut illa recte moveantur, quemadmodum rectus mentis usus desiderat. Pars hujus humoris, ad nervos & musculos linguæ delata, facit *loquelæ inarticulationem*

nem. Ad nervum sextæ conjugationis, intestinis implantatum, devecta, producit *alvum adstrictam.* Hinc enim intestina, quamvis ab excrementis sint stimulata, stimulationis motum in cerebrum deferre, illudque exstimulare; & cerebrum spiritus animales, ab ista stimulatione determinatos, & ad fæcum alvi evacuationem necessarios, in fibras intestinorum immittere, fæcesque exturbare, non possunt. Altera vero spinalis medullæ pars, intemperie humida & frigida: & nervorum inde orientium fibrillæ, pressione vel nimia relaxatione; valvulæque & pori musculorum, nimia flacciditare vel obstructione laborantes, impediunt, quo minus spiritus animales in musculos, ad eos convenienter inflandos & movendos, alternatim à mente vel alia causa determinari, in eosque influere & refluere; ac nervorum fibrillæ motum sensoriis, ab objectis tangibilibus impressum, in cerebrum ad sensationem faciendam transmittere queant. Atque ideo *omnis motus & sensus in sinistro latere hic est ablatus.* Quoniam autem humores multi frigidi, in hoc latus profusi, calorem naturalem ibi imminuunt, & arterias venasque arctant porosque earum claudunt; idcirco *partes ibi sunt frigidiores, ac pulsus minor & languidior.*

Si vero, musculorum valvulis & meatibus sanis, solæ nervorum fibrillæ essent affectæ, ægra nostra *nihil* quidem *tactu sentiret, sed corpus* tamen *pro arbitrio posset movere.* Quemadmodum, nervorum fibrillis bene habentibus, & valvulis meatibusque musculorum affectis, *salvum habens sensum, solo motu esset destituta.*

Neque hæ tres paralyseos species aliter ex aliorum quorundam sententiâ *rectè explicari posse videntur.* Nam quod illi supponunt, nequaquam est admittendum: etenim nulli sunt nervi motui inservientes, qui non etiam sensui alicui ministrant; quod ipsa docet experientia. Nec spiritus alii

sunt sensorii, alii motorii: cum omnes in ventriculis cerebri confundantur, & indiscriminatim in partes diffundantur. Nec sensus in nervorum membranis, motus vero in interiore eorum substantia consistit: hac enim ratione non possent diversæ objectorum impressiones, ad sensationem faciendam, satis commode in cerebrum usque penetrare; cum membranæ nervorum, à meningibus, cerebrum non ingredientibus, sed tantum involventibus, originem ducant.

Morbus hic maximo conjunctus est *periculo*, tum propter magnitudinem causæ, tum propter ætatem ægræ ingravescentem, tum propter nobilitatem & multitudinem partium affectarum. Difficulter itaque curari poterit. Et metus est, ne materia morbifica, in cerebrum copiosius profusa, apoplexiam; vel ne in dextram etiam spinalis medullæ partem prolapsa, paraplegiam inducat. Atque hinc fieri potest, ut ægra vel subitò exstinguatur, vel reliquam vitam miserè traducat.

Sine ulla itaque procrastinatione auspicanda est *Curatio*; quæ causam antecedentem & continentem auferet; intemperiemque cerebri & reliqui corporis, per contraria, corriget.

Ante omnia itaque injiciatur talis Clyster:

℞. *salviæ, majoranæ, hyssopi, calaminthæ, centaurei an. m.* j.
flor. camomill., meliloti, stœchados an. m. s. agarici ʒ *s.*
Coq. in aq. com. ad lib. j. *in qua dissolve*
benedictæ laxat., diaphœnici an. ʒvj.
ol. lilior. ʒj. *salis com.* ʒ*s.*
F. Clyster: qui sæpius reiterari poterit.

Deinde utatur hoc potu per mensem integrum:

℞. *hyssopi m.* iij.
salviæ, majoranæ, rorismarini, an. m. j.
Coq. in aq. com. lib. iij. *ad tert. partis consumt.*

Cola-

Colaturæ adde mellis despumati ℥ij, *eaque aromatisetur cinnamomi, nucis moschatæ an.* ʒ*ſ.*

F. Apozema.

Interea corpus alteretur & purgetur hoc decocto sequenti quotidie:

℞. *rad. angelicæ, acori an.* ℥j.
aristolochiæ rotund. ʒ*ſ.*
herb. majoranæ, salviæ, betonicæ an. m. j. *ſ.*
flor. stæchados, rorismarini, lavendulæ an. p. ij.
Coq. ex aq. com. ad lib. j *ſ. in quibus per noctem infundatur fol. sennæ* ℥j *ſ. agarici* ʒij.
rad. mechoacannæ ʒiiij.
cinnamomi, Zinsib. an. ʒj.
In Col. dissolve syr. de stæchade, de hyssopo an. ℥j.

F. Apozema.

Interdum etiam sumat has pilulas:

℞. *pil. cochiar., aurear. an.* ʒ*ſ.*
scammonii, trochisc. alhandal an. gr. vj.
Cum syr. ros. sol. q. ſ.

F. Pilulæ, N. IX.

Corpore jam sæpius purgato, usurpet jejuna hos trochiscos masticatorios:

℞. *nucis moscatæ, pyrethri, piperis albi an.* ʒj.
fol. hyssopi. ʒ*ſ. uvar. passar.* ʒij.
mastiches & mellis q. ſ.

F. Pastilli Mansiles.

Utatur quoque sternutatorio, ex tabaci, ellebori albi, & pyrethri pulvere, naribus inflato.

Ad cerebri & reliquarum partium intemperiem corrigendam, hæc præscribatur mixtura:

℞. *conſ. flor. salviæ, flor. rorismarin. an.* ℥j.
rad. acori conditæ ℥ß.
nucis moscatæ, piperis, caryophyllor. an. ʒij.

syr. de stœchade q. s.

F. Conditum :

De quo dragmæ quantitatem post cibum sumat.

Partes paralyticæ, & præsertim tota spina dorsi, ubi corpus bene fuerit purgatum, mane fricentur pannis asperis, & deinde liniantur hoc unguento calefacto.

℞. *Unguent. arragon., martiati,*
agrippæ an. ʒj.
ol. lumbricor, camomill. an. ʒiij.
ol. de roremarino, therebinthinæ an. ʒj.

Misce pro Unguento.

Vel solo spiritu vini calente partes perfricari possunt.

In *victus ratione* aër sit calidus & siccus, vel naturâ vel arte. Cibo utatur calefaciente & siccante, ex pullis, caponibus, gallinis, & aviculis assis, ova etiam sumat sorbilia. Abstineat à carne suillâ, piscibus, & sorbitionibus. Ad diem decimum quartum usque, cibus sit valde parcus : siquidem famem & sitim tolerare plurimum in hoc morbo auxilii præbet. Potus sit paucus : utatur aqua mulsa bene defæcata, & subinde etiam aqua cinnamomi & vino Hippocratico. Exerceantur partes resolutæ moderatis frictionibus. Somnus vitetur longus. Alvus mediocriter fluat. Animi perturbationes fugiantur.

VIII.

MEDICATIO VIRI, SPASMO BRACHIORUM ET CRURUM AFFECTI.

Vir agens annum quadragesimum, pituitosus, crassâ cerevisiâ quotidie se inebrians, otiosamque vitam plerumque ducens : tempore hyemali & pluvioso, ab itinere sub vesperam domum

mum redux, repentè in involuntarias, & ſummo dolore excruciantes, crurum brachiorumque contractiones, per frequentia intervalla redeuntes, incidit. Membra, ubi ſunt contracta, vix ullâ vi in priſtinum ſtatum poſſunt reduci. Præ doloris ſæpè redeuntis vehementia, perdius & pernox vigilat. Conqueritur etiam de capitis & dorſi dolore.

Partes affectæ in hoc ægro, ſunt cerebrum & ſpinæ medulla, item brachia & crura: quod eorum dolor & contractio indicant. Per *idiopathiam* afficiuntur cerebrum & ſpinalis medulla; per *ſympathiam*, aliæ partes affectæ: quippe quæ à prioribus cauſam continentem accipiant; uti ex cauſarum explicatione patebit.

Morbus, qui noſtrum ægrum affligit, eſt intemperies frigida, humida, & acris cerebri, & medullæ ſpinalis; cum inordinato ſpirituum animalium, nimis acrium & craſſorum, in muſculos brachiorum & crurum contractorios, copiosè & vehementer fluentium, motu conjuncta, quæ eas partes contra voluntatem ægri magnâ violentiâ contrahens, *ſpaſmus* iſtarum partium, ab iſto convulſionis moleſto ſymtomate, hunc morbum comitante, nuncupatur.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt crapula cereviſiaria, cui hic vir quotidie operam dedit: item otioſa ejus vita. Hinc enim, pituitoſo ejus adjuvante temperamento, pituitoſi & acres humores in toto ejus corpore ſunt collecti; qui *antecedentem* hic conſtituunt cauſam. Hi autem in ſpiritus craſſos & acres converſi, & vi frigoris hnmiditatiſque aëris hyemalis, ac incommodis in itinere toleratis, in corpore retenti, atque hinc inordinatè in cerebro & medullâ ſpinæ moti, parteſque brachiorum & crurum nervoſas vehementer vellicantes; ac poros cerebri, in nervos deſinentes, per motum illum vellicationis, eo delatum, copioſe & vehementer aperientes, talem ſubinde accipiunt

piunt determinationem, ut copioſè & vehementer in partes illas fluant; & poros valvulaſque nervorum, quæ contrahendis brachiorum & crurum muſculis inſerviunt, citra & contra voluntatem noſtri ęgri aperiant; tantâque vi, cum ex cerebro, tum ex oppoſitis lacertis, in muſculos illos fluant, eoſque *cum magno dolore, omnem ſomnum ipſi & noctu & interdiu adimente*, tàm vehementer ſecundum latitudinem & profunditatem diſtendant, ſecundum longitudinem verò contrahant, *ut vix ulla adſtantium vi in priſtinum ſtatum queant reſtitui*; atque ita *continens* hujus intemperiei, & convulſionis eam comitantis, ſint cauſa.

Ut enim pori & valvulæ muſculorum ab ordinato, & naturali ſpirituum & objectorum organorumque motu, (quippe qui ab animâ noſtrâ regi poteſt), pro arbitrio noſtro aperiri & claudi ſolent: ita per inordinatum eorum motum illa inordinatè & præter noſtram voluntatem aperiuntur: tumque iſti quâ data porta magno impetu ruunt, nec ab animâ noſtrâ rectè gubernari vel determinari queunt.

Spiritibus autem his per intervalla inſenſibiliter diſſipatis vel ſopitis, oriuntur in hoc affectu contractionis & doloris induciæ: ij verò, poſtmodùm ex antecedente cauſâ ſatis copiosè regeniti, *exhibent ægro novos alternatoſque convulſionis paroxyſmos*.

Sunt qui exiſtimant, cacochymiam pituitoſam, ex ebrietate & vitâ otiosâ collectam, nervos brachiorum & crurum hîc nimis replere, eoſque ita diſtendere, ut fides teſtudinis ab aëre humido, in illas ſeſe inſinuante, diſtendi & contrahi, immò etiam diſrumpi non rarò ſolent. Sed magna inter hæc intercedit diſſimilitudo: nervi enim teſtudinis ſunt conflati ex inteſtinorum, quorundam animalium, fibrillis inter ſe fortiter contortis, qui idcirco ab aëris humiditate, in interſtitia earum impulſâ, diſten-

distendi, contrahi, & interdum disrumpi possunt. Fibrillæ verò nostrorum nervorum non sunt contortæ, sed laxè inter se cohærent; atque ideò, instar chartæ in aqua maceratæ, ab humoribus illapsis essent potius relaxandæ, quàm contrahendæ. Imò si hic spasmus à tali nervorum repletione oriretur, cavitates eorum ab humoribus, eas replentibus, obstruerentur; atque ita cum hâc convulsione paralysis, sensum & motum tollens, necessariò esset conjuncta: cujus tamen nulla hîc adsunt indicia.

Alii verò, qui credunt motum omnem ab imaginatione vel appetitu proficisci, *putant* imaginationem vel appetitum hîc esse depravatum, eumque, hunc depravatum & involuntarium, musculorum efficere motum, ut imaginatio vel appetitus naturalis motum excitat naturalem. Sed motum corporis sæpissimè citra ullam imaginationem vel appetitum fieri, docet respiratio in somno, & alterna pedum agitatio inter ambulandum, citra ullam de movendo corpore imaginationem vel appetitum, facta. Imò si imaginatio & appetitus hîc quicquam possent; æget noster hunc spasmum adeò dolorificum, quemque adeo est exosus, contraria imaginatione, & diverso appetitu facile sufflaminaret.

Alii asserunt humores, in spasmo laborantibus, peculiarem quandam habere qualitatem molestam, quâ facultatem excretricem nervorum & musculorum naturalem irritant; eamque irritatam, suæque imbecillitatis conscium, facultatem expultricem animalem in auxilium vocare, atque ad violentum hunc motum incitare. Sed neque hæc sententia nodum rectè solvit. Nam nullâ ratione intelligi potest, quomodo facultas expultrix musculorum naturalis, quæ, si detur, nullum intellectum habet, animalem eorundem facultatem in auxilium vocare, atque hæc illi, contra voluntatem ægri, tantâ vi suppetias

petias venire queat. Cum hoc ſine cognitione, quâ ſpiritus & muſculi totius corporis ſunt deſtituti, fieri non poſſit.

Sed hic quæret forſan aliquis: *ſpaſmus fiatne à læsâ facultate animali, an verò naturali?* Reſpondeo ab animali fieri. Oritur enim ille à ſpiritibus animalibus, & muſculis, qui ad facultatem animalem pertinent; quia, cum illi benè ſunt conſtituti, ſubſunt animæ imperio, & actionum animalium proxima ſunt inſtrumenta. Nec obſtat ſpaſmum contra & interdum citra voluntatem ægri fieri: nam ad actiones animales non requiritur, ut ſemper ab animæ imperio ſeu voluntate fiant; cum multæ actiones animales, quas ego automaticas appello, quales e. g. ſunt reſpiratio & corporis volutatio, quæ in ſomno, & inceſſus, qui inter ambulandum & aliud cogitandum ſæpe contingit, citra mentis imperium fiant. Quæ tamen omnes ideo ſunt animales, quia ipſæ, ubi partes, ad hanc facultatem pertinentes, rectè ſe habent, ab animâ ad rem attendente, perfici & dirigi immediatè poſſunt.

Morbus hic valde eſt *periculoſus*, ob ſymptoma doloris & vigiliarum, quod vires ægri valdè proſternere, & mentis alienationem inducere poteſt.

Feſtinè itaque *ad curationem* eſt accedendum: quæ peragetur, primo per antecedentis, & deinde continentis cauſæ ablationem; ac intemperiei cerebri, & medullæ ſpinæ, partiumque dolentium correctionem; nec non doloris mitigationem.

Idcirco omnium primo injiciatur talis clyſter:

℞. *rad. lilior. albor.* ℥j. *ariſtolochiæ rot.* ℥ſ.
herb. malvæ, biſmalvæ, ſalviæ, betonicæ, an. m. j.
flor. camomill., melilot., centaur. min. an. p. ij.
furfuris macri m. ſ. agarici ℥ſ.
Coq: ex aq. com. ad lib. j. *ſ. Colaturæ addantur hieræ*
picræ,

picræ, benedictæ laxat. ana ʒiij. *mel. roſ.* ʒſ.
olei lilior. albor. ʒj *ſ. ſalis* ʒſ. F. Clyſter.

Ad humores & ſpiritus alterandos deinde bibat de hoc decocto:

℞. *ſalviæ, majoranæ, herb. paralyſis, beton., lauri, flor. roriſmarini, ſtæchados an. m.* j. *Decoquantur in hydromelite. q. ſ. ad lib.* j. F. apozema, de quo bibat per intervalla ʒiiij.

Deinde mox purgetur his pilulis:

℞. *pil. cochiar., fœtidar., de agarico an.* ℈j. *ſcammon. gr.* iij. *cum ſyr. betonicæ q. ſ.* F. pilulæ No. IX.

Poſt purgationem detur caſtorei ʒj in aq. ſalviæ diſſoluta. Purgatio etiam aliquoties erit reiteranda, & utendum de hac mixtura:

℞. *conſerv. flor. anthos, beton. an.* ʒj. *rad. acori cond.* ʒj. *confection. anacardinæ, diamuſci an.* ʒij. *mithridat. opt.* ʒj. *ſ.*
Caſtorei ℈ij. *ſyr. de ſtæchad. q. ſ.* F. conditum: de quo ſumat mane & veſperi, caſtaneæ quantitatem.

Caput, poſt evacuationes univerſales, purgetur his paſtillis maſticatoriis:

℞. *pyrethri, ſem. ſtaphid. agriæ an.* ʒj *ſ. nucis muſcat., maceris an.* ʒj.
acori conditi, zinzibe. cond. an. ℈ij *ſ. maſtiches* ʒij.
ſucci betæ. q. ſ. F. paſtilli manſiles.

Pars poſterior capitis, ac tota ſpina dorſi, parteſque ſpaſmo contractæ, ſequenti linimento erunt inungendæ & fovendæ:

℞. *olei lilior. alb., terebinth. an.* ʒj *ſ. irini* ʒiij. *axung. humanæ, vulp., unguenti Agrippæ an.* ʒſ. F. linimentum.

Si dolor & contractio his non cedant, utatur hoc balneo ter aut quater in die, cavendo nimiam ex eo debilitatem:

℞. *rad.*

℞. *rad. malvæ, lilior., narcissi an.* ℥vj.
fol. salviæ m. iij. *malvæ, absinthii, origani an. m.* ij.
flor. camomillorum, meliloti, stæchad. an. m. ij*ſ.*
seminis lini, fæni græci, anisi an. lib. ſ. Coquantur in aq. com. q. ſ. pro Balneo: addendo inter coquendum vulpem, si haberi possit.

A Balneo partes anteà dictæ liniantur hoc unguento:
℞. *flor. roriſm., stæchad., serpill., sampſuchi, hyssopi an. m.* j.
maceris, cinnamomi, nucis muſcatæ, caryophyllor. an. ℥ſ. *castor.* ℈j.
Coquantur in ſufficienti quant. ol. irin. F. unguentum.

Dolor, si his sit implacabilis, poterit ille etiam leniri gr. IV. vel V. laudani opiati, vel ʒj. Philonii Romani, vel gr. vj. aut viij. extracti croci Jac. Bontii, in Med. Indor. descripti.

Interim utatur *diætâ*, in quâ aër sit calidus, & siccus: cibus ex carnibus gallinaceis, ovis sorbilibus: potus, aqua mulsa, pauco cinnamomi vel salviæ condita. Motus vitandus, sed frictiones ejus locum occupent. Alvus respondeat vel naturâ vel arte. Animi pathemata fugiantur.

IX.

MEDICATIO VIRGINIS, à Mensium suppressione EPILEPTICÆ.

ANnus jam ferme ad umbilicum pervenit, ex quo Virgo annorum octodecim, temperamento pituitosa, cui menstrua interdum sunt imminuta, interdum, menses aliquot, supprimuntur; per longa temporis intervalla totius corporis inordinatis convulsionibus, ipsam, cum stertore, aphoniâ, spumâ ex ore effluente, omniumque sensuum & aliarum perceptionum privatione, prosternentibus & vehementer concutientibus, fuit correpta.

repta. Symtomata hæc, per horam integram ante hac durare solita, jam, licet multa & varia remedia sint tentata, frequentius & diutius ipsam infestant. Paroxysmi plerumque cum vomitu incipiunt, & desinunt.

In hac ægra graviter afficitur *cerebrum*, quod graves illæ actionum animalium læsiones testantur: & quidem præcipuè *secundum sensorium commune*, quod nos Conarion esse existimamus: *item secundum spiritus* in ventriculis existentes, unde hic omnium sensuum & motus oritur læsio. Videtur autem cerebrum ab utero, ob menstruorum imminutionem & retentionem, *per consensum* affici.

Morbus, qui ipsam divexat, est intemperies quædam pituitosa, serosa, acris & maligna cerebri: quæ per intervalla quædam spirituum animalium efferveſcentiam vehementem & pravam in ventriculis cerebri inducens; omnemque sensuum aliarumque perceptionum usum, per gravem conarii sive sensorii communis affectionem tollens; ac totum corpus involuntario, inordinato, & vehementissimo motu concutiens; *epilepsia*, sive *morbus caducus* vulgo dicitur.

Causa procatarctica, unde hic morbus originem duxit, est imminutus & suppressus mensium fluxus. Hinc enim, auxiliante pituitoso ægræ nostræ temperamento, cacochymia acris serosa & pituitosa in corpore ejus fuit genita; quæ *antecedentem* huic morbo suppeditat causam: pars verò ejus deinde malignitatem peculiarem ex diutinâ morâ adipiscens, & in cerebrum postea subinde delata, ibique quibusdam intervallis, partim conario vehementius impacta, partim in spiritus pravos copiosius conversa, & cum aliis spiritibus mixta, vehementiusque ibidem, instar olei vitrioli cum oleo tartari mixti, efferveſcens, & agitata, & varie, pro motus sui diversitate, in varias corporis

partes deinde diffusa, *continens* hujus morbi evadit causa; graviaque *symtomata*, illum comitantia, producit.

Nam spiritus isti animales in ventriculis cerebri, ratione jam explicatâ, vehementius dilatati & inordinatè ibidem moti, talem ex illo motu acquirunt determinationem, porosque cerebri ita aperiunt ut inordinate in totius corporis nervos fluant, valvulasque & poros oppositorum musculorum per vices inordinate aperiant & claudant; quo spiritus, ex oppositis in oppositos lacertos vicissim inordinatèque & vehementer transeuntes, ægram prosternunt, totumque ejus *corpus convulsivis, idest, vehementibus alternatis inordinatisque motibus vehementer hac & illac concutiunt.*

Quamvis autem hic tantus adsit spirituum motus, qui ventriculos cerebri sufficienter dilatet, & fibrillas nervorum in eorum tubulis membranaceis, ad sensationem peragendum satis liberas faciat, *nulla* tamen, *in ægrâ nostrâ, est sensatio, nec ulla alia cogitatio, nec etiam loquela;* quia multi humores ad sensorium commune in paroxysmo sunt delati, vel cerebrum & cerebellum, propter spiritus inconvenienter in iis tunc agitatos, illud nimis premunt, atque ita omnem oblatarum imaginum perceptionem, aliamque cogitationem, & loquelam etiam impediunt.

In aliis epilepticis supersunt interdum sensus, imaginatio & reminiscentia, quia conarion in illis, dum spiritus effervescunt non ita graviter, ut in nostra virgine, afficitur. Dum vero humores pituitosi, per vehementem hanc spirituum agitationem, è cerebro in fauces deturbati, viam aëri, inter respirandum ultro citroque commeanti, nimium arctant, à vi aëris, angustias illas transeuntis, *stertor*; ab aëre verò in faucibus, per vehementiores respirationes, cum pituita, eo delapsa, mixto, *spuma oris gignitur.*

Porro quamdiu materia hæc maligna erat pauca, & tardè

dè regenerabatur, *paroxysmi erant breves, & tardi eorum reditus.* Illâ verò jam incrementum sumente, & citius renascente, *frequentioribus & longioribus exacerbationibus torquetur ægra.*

Incipit & desinit paroxysmus cum vomitu, quia materia acris, sub ejus principium & finem ex vicinis locis, per vehementiores corporis concussiones, in ventriculum effusa, eum vellicando, & spiritus animales in cerebro in illum determinando, excretionem per superiora stimulat.

Denique ubi illa acris tenuis & spirituosa materia tandem est discussa, tum *ægra ad se redit*, &, omnibus symtomatis liberata, actiones omnes tamdiu rectè perficit, donec illa, satis copiosè ex antecedente causa regenita, novo paroxysmo virginem nostram excruciet.

Nonnulli existimant, cerebrum, à materia acri & maligna irritatum, acrimoniam & malignitatem illam sentire, atque ideo sese contrahere, & ad eam expellendam insurgere: illud porro contractum omnes nervos, tanquam lora sibi alligata, variis motibus contrahere & agitare, & hinc omnes istos violentos inordinatosque variarum partium motus, in epilepticis observatos, originem ducere. Verùm cum in hac virgine epileptica, ut multis aliis eodem affectu laborantibus, tempore paroxysmi nullus sit sensus, nec ulla alia cognitio, idcirco cerebrum, in illa exacerbatione nihil quicquam sentiens & cognoscens, atque hinc nihil quicquam expellere appetens, perperam acrimoniam & malignitatem materiæ sentire, & ad eam expellendam insurgere, seseque contrahere, & alias sibi alligatas partes suâ contractione agitare dicitur. Huc accedit, quod cerebrum nullum motum per se, sed omnem à spiritibus animalibus habeat. *Quod autem* spiritus variè moti varieque determinati, citra ullum sensum, appetitum, vel voluntatem, varias admirandasque agitationes in corpore organico producere,

ducere, parteſque ejus varie vehementerque movere poſſint, cuivis eſt manifeſtum, qui machinas hydraulicas, pneumaticas, aliaſque, tum naturales, tum artificiales, diligentius eſt contemplatus.

Nec eſt, quod quiſquam hic nobis objiciat motum perpetuum cerebri, quo illud ad oculum perpetuo alternatimque dilatatur & contrahitur, *vel illum, quo per ſternutationem hoc vehementius movetur*: atque hinc inferat, cerebro ſenſum & cognitionem naturalem, qua citra hominis cognitionem, aliquid ſibi utile eſſe ſentiat, & cognoſcat, attrahat vel expellat, neceſſariò eſſe adſcribendam. Motus enim iſti non fiunt à facultate cerebri ſentiente, vel vi movente ipſi propriâ, non aliunde ortâ. Nam diaſtole cerebri fit à ſpiritibus in cavitates ventriculorum è plexu choroide, in cordis dilatatione, exhalantibus, & cerebrum attollentibus, ſyſtole vero à ſubſidentia cerebri ſpontanea, ex novorum ſpirituum, per ſyſtolen cordis in ventriculos cerebri tum non exhalantium, defectu, & ſpirituum, in ventriculis jam exiſtentium, refrigeratione profecta: quod ex cordis & cerebri motu, eodem momento in utriſque contingente, eſt manifeſtum. Sternutatio vero non fit à motu cerebri contractorio; ſed à re cerebrum ſtimulante, & ſpiritus animales in ventriculis cerebri ita determinante, & tales cerebri poros aperiente, ut illi, in muſculos reſpiratorios abdominis, thoracis, faciei & narium vehementius fluentes, aërem è naribus magna cum vehementia expellant, cerebrum concutiant, & quælibet obvia ejiciant.

Morbus hic, cum jam diu duraverit, & per ſe ſit malignus, & magnus, ac quamvis bona adhibita ſint remedia, nihilominus ſit auctus, valde *difficulter curari poterit*. Quia tamen eſt per ſympathiam, & auxilium ab ætatis mutatione hic ſæpe oriri ſolet: etiamnum ſpes curationis affulget. Atque ideo eam tentandam cenſeo.

Curatio

Curatio autem adhibenda erit in paroxysmo, & extra illum. *In paroxysmo* curandum, ut ille quam brevissime solvatur, nec ægra se ullo incommodo afficiat. Itaque primò ipsa collocanda capite sublimi, & ore per lignum insertum patente. Ita enim excrementis spumosis liber ex ore dabitur egressus, nec ægra sibi linguam mordicus lædet. Et membra, quantum potest, bono situ sunt collocanda & extendenda. Deinde causa continens, maligna, cerebrum stimulans, & spirituum effervescentiam excitans, à cerebro revellenda & discutienda ligaturis & frictionibus extremorum, sæpius laxatis & iterum adstrictis: item rutâ, castoreo, asâ fætidâ, vel oleo succini naribus admoto: nec non sternutatoriis ex helleboro albo vel nigro; præterea vomitorio, ex antimonii præp. gr. 4. vel 6, ori aperto pennâ indendo: præsertim cum paroxysmus à vomitu solvi soleat.

Curatio, quæ *extra paroxysmum* adhibebitur, causam procatarcticam & antecedentem; & tandem etiam pravam cerebri, sanguinis, & spirituum intemperiem tollet.

Primò itaque sumat hunc pulverem purgatorium:

℞. *spec. diaturbith cum rabarb.* ℈ij.
cremor. tartari ℈j, *scammonii gr.* x.

F. pulvis: exhibendus cum cerevisię vel aq. artemisię q. s.

Vena deinde secanda circa talum, sanguisque educendus ad uncias octo.

Postea humores alterandi & evacuandi hoc decocto:

℞. *rad. pæoniæ maris, aristolochiæ rotund. an.* ℥j.
angelicæ. polypod. q. an. ℥ß.
Herb. melissæ, pulegii, salviæ, betonicæ, sabinæ, rutæ, an. m. j. *artemisiæ m.* ij.
sem. pæoniæ mar. ℥ß. *anisi, fæniculi an.* ʒij.
flor. anthos p. ij.
decoq. in aq. com. ad lib. jß. *in Colat. infunde per*

noctem fol. sennæ ℥j *s. agarici, turbit., rabarb.* ʒj *s. Expressioni forti adde syr. ros. sol.* ℥ij. F. Apozema: de quo sumat quotidie hausstum ℥iiij.

Corpore ita alterato & expurgato, sub tempus, quo menstrua ipsi fluere solebant, utatur hoc balneo vel semicupio:

℞. *artemisiæ, majoranæ, melissæ, nepitæ, lauri, thymi, lavendulæ, rorismarini, chamædryos, chamæpiteos an. m.* iij.
flor. chamæmeli, meliloti, anthos, sambuci an. m. s. baccar, juniperi, lauri an p. ij.
farin. sem. lini, fœnigræci an. ℥j.

Coq. in aq. com. q. s. pro Balneo; in quo umbilico tenus per horam sedeat, & reliquias decoctarum herbarum, sacculo inclusas, circa pectinem detineat. Illud continuetur mane per quinque vel sex dies, in eoque calefacto moretur per horam unam.

A balneo, vesperi ad somnum in lecto composita, per horas quatuor vel quinque, uno ex his utatur pessariis, vel nodulis:

℞. *salviæ, majoranæ, absinthii, galbani, agarici an.* ʒs. *aloës, colocynthidis, ellebori nigr. an.* ʒj. *mellis despumati q. s. F.* Noduli vel pessaria. N. ij. panno serico tenui involvenda, & filis longis alliganda.

Postea particularis evacuatio fiat cerebri per errhina, masticatoria, apoplegmatismos.

Posthac denique exhibendum hoc Electuarium, quod peculiari proprietate malignam qualitatem cerebri & sanguinis corrigere potest:

℞. *conserv. flor. rorismarin.* ℥j *s. conf. fl. bugloß.* ℥s. *spec. diamusci. dulc.* ʒj *s., pul. rad. pæoniæ, sem. pæoniæ, juniperi, cranii humani, visci quercini an.* ʒj., *spir. vitriol. gut. xv.*
Cum syr. de stæchade q. s. F. Conditum: de quo omni mane sumat castaneæ quantitatem. To-

Tota curatione durante *aër* sit purus, moderate calidus. Vitetur vorticum & præcipitiorum aſſpectus. *Cibi* sint euchymi & eupepti, conditi cephalicis & antepilepticis. Allia, cæpe, caro hædina, porcina, & anſerina, fugiantur. *Potus* sit moderatus. Vitentur animi vehementiora *pathemata*, & imprimis terror. *Alvus* sit laxa. *Exercitia* sint *mediocria*.

X.

MEDICATIO JUVENCULÆ, SOMNAMBULONIS.

Juvencula viginti annorum & temperamenti calidioris, decimâ à puerperio nocte, domeſtica quædam negotia ſibi peragenda ſomnians; è lecto ſine ullis veſtibus, inter ſæviſſima hyemis frigora ſurrexit: & cum è thalamo hac imaginatione ducta in partes domus inferiores deſcendere vellet, ſtrepitu januæ, quam aperiebat, matrem, eodem cum ipſa decumbentem lecto, expergefecit. Hæc novitatem rei admirans, filiam altâ voce increpuit & ad ſe revocavit: quo illa expergefacta ad lectum rediit, dicens ſe, niſi clamoribus iſtis è ſomno fuiſſet excitata, domo exituram fuiſſe. Vigeſimo quarto poſt die, cum marito dormiens, circa noctis gallicinium ſubitò è lecto exiliit & ad januam cubiculi properavit. Verum à marito evigilante, & ſtentoreâ voce eam inclamante, excitata, fleus & tremens ad lectum revertit; narrans ſe è lecto voluiſſe fugere, ad evitandam vim, quam virum quendam ſibi inferre velle ſomniabat. Poſtea ſimilia inſomnia, eam ad ſomnambulandum cogentia, ſæpius eſt paſſa, in quibus ſine ulla noxa tam periculoſa adiit loca, quæ vigilans nulla ratione adire auderet.

Afficitur in hac fœmina *cerebrum*, ſecundum ſubſtantiam, & ſpiritus, ventriculis cerebri contentos; quod probat imaginatio, in ſomno ipſam adeo inquietans. Afficitur etiam *totius corporis ſanguis*, unde fervidi iſti ſpiritus gignuntur.

Morbus qui eam infestat, est *Somnambulatio*; sive intemperies spirituum, in ventriculis cerebri nimis copiosè inter dormiendum existentium, justo calidior & fervidior, cum intemperie viscidiorum quorundam vaporum, cerebri substantiam, longius à nervorum principio, occupantium, conjuncta; quâ illa, per insomnia nocturna è lecto interdum exsurgens, ad ambulandum in somno impellitur.

Causa hujus morbi *antecedens* est sanguis fervidior & viscosior ac crassior, in toto ejus corpore redundans, qui viscidioribus & crassioribus quibusdam partibus in cerebri substantiam vaporis specie delatus, & subtilioribus in copiosos spiritus animales conversus, hujus morbi, dum ægra interdum vehementius somniat, *continens* est causa.

Dum enim isti spiritus ipsi in insomnio, quod de re cupidius prosequenda vel fugienda, ob imagines, ex quibusdam expansis cerebri poris, menti in sensorio communi, à pressione vicinarum partium tum temporis libero, oblatas, habet, vehementius in ventriculis cerebri moventur, determinantur illi in illos membrorum nervos & musculos, in quos similis cogitatio eos in vigilia determinare solebat. Iique in musculos illos copiosius & vehementius fluendo *eam dormientem erigunt, & in varia loca*, quamdiu hoc insomnium durat, *deferunt*. *Nec tamen ipsa* ex hoc vehementiore spirituum motu *evigilat*; quia reliquum cerebrum, ubi imagines sive notæ decori, honesti, utilis, aliæque sunt pictæ, à viscido & crassiore vapore occupatum, propterea expandi non potest. Atque ideo *vagatur* illa *in somno*, quo ipsam imaginatio ducit, *donec*, vehementiore matris vel mariti, vel alius eam increpantis, *clamore*, viscidiores & crassiores isti vapores è cerebro discussi vel dissoluti, cerebrum à spiritibus expandi, & rerum omnium imagines menti offerri patiantur, atque illa ita *expergiscatur*.

Quod

Quod verò fieri poſſit, ut in una dormientium cerebri parte ſpiritus vehementius, in alia tardius eodem tempore moveanter, & nervis poriſque cerebri unis per ſomnum clauſis, alii pateant; prętер inſomnia vulgaria, manifeſtum eſt ex medicamentis quibuſdam ſomniferis, inquietiſſima inſomnia cum profundiſſimo ſomno excitantibus; atque ex ſpontanea dormientium, & reliquo corpore quieſcentium, reſpiratione. Nam ſomnifera illa hoc aliâ ratione non faciunt, quam quod peculiari ſuo temperamento cerebrum aliqua parte gravent, & in aliâ ſpirituum vehementem motum excitent, ac quoſdam cerebri poros, imagines quarundam rerum continentes, aperiant, eaſque menti in ſomno offerant. Et ne quis contrarias has ſomniferorum in cerebro dormientium operationes miretur, conſideranda eſt aqua communis, quæ in ignem flammantem injecta ardorem extinguit: in calcem verò vivam, ardorem excitat. Reſpirationem dormientium ſpontaneam quod attinet, illa nullâ aliâ ratione fieri poteſt, quam quod, reliquis nervis clauſis, reſpiratorii perpetuò pateant, in eoſque ſpiritus ex cerebro continuo fluentes, modò inſpiratorios, modò exſpiratorios muſculos, diſtendant, atque ita aërem viciſſim in pulmones & ex pulmonibus pellant.

Hæc juvencula ſomnians, tam *periculoſa*, *citra noxam*, *adit loca*; quia, ob pleroſque cerebri poros per ſomnum clauſos, notæ periculorum antea perceptorum menti ejus non offeruntur; atque ideo nullo terrore perculſa, intrepidos & firmos in illis periculis figit greſſus, atque ita feliciter ex iis ſeſe expedit.

Non omnes autem dormientes ſunt ſomnambulones, neque etiam hæc fœmina ſingulis noctibus patitur ſomnambulationem; quia non omnes homines, nec etiam hæc fœmina ſemper ſpiritus in cerebro tam vehemen-

ter habent motos, qui nervos & musculos tantopere distendere queant, ut corpus eorum inter somniandum erigatur, & de loco in locum ambulando transferatur.

Somnambulatio licet sæpe nullum nocumentum inferat; quia tamen multi somnambulones in vitæ periculum, imò in ipsam mortem se incautè conjecerunt; idcirco *curationem* instituendam censeo: *tum in paroxysmo; tum extra illum*: præsertim, cum in epilepsiam hoc malum nonnunquam degenerare nonnulli ferant.

In paroxysmo somnambulationis deprehensa, si in periculoso loco fuerit, cavendum ne excitetur, quia talis excitatio posset illam perdere; sed permittendum, ut ex eo sua sponte sese expediat, & in tutum perveniat. In tuto ubi fuerit, erit excitanda & acriter increpanda, &, si hoc non sufficiat, eriam castiganda. Ut, notis istis objurgationis & castigationis cerebro profundius impressis, à somnambulatione tam periculosa postea deterreatur.

Extra paroxysmum causa antecedens erit alteranda & è corpore educenda, & intemperies capitis contrariis corrigenda.

Primo itaque purgetur pilulis:

℞. *aloes gr.* xij.
scammonii gr. viij. *vel* x.
cum syr. rosat. solutivo q. s.
F. pilulæ No. III.

Postridie educatur sanguis è brachio dextro ad uncias octo, vel decem.

Et deinde hoc utatur apozemate

℞. *rad. cichorii* ℥ij.
pæoniæ maris, fæniculi, petroselini an. ℥ *ſ.*
ellebori nigr. ʒiij.
herb. cichorii, lactucæ, endiviæ, agrimoniæ, chamædrios,
car-

carduibenedicti, *betonicæ an. m.* j.
ſem. quatuor frigid. major. an ʒ iij.
aniſi, *fæniculi an.* ʒj.
amigdalar. dulc. paria. viij.
tamarindor. ℥j.
decoquantur in aq. comm. ad lib. j *ſ.*

F. Apozema, de quo quotidie ter quaterve bibat hauſtum quatuor unciarum.

Dum utitur hoc apozemate, quarto quoquo die purgabitur pilulis ante præſcriptis.

Lavetur deinde ſępe in balneo aquæ dulcis: & ſubinde ſub ſomnum ſumat emulſionis amigdalatæ ℥vj.

Perſeverante affectu, amigdalato conficiendo addi poterunt ſeminis papaveris albi ʒij. vel iij.

Ad vehementiora ſomnifera vel ſtupefacientia non eſt progrediendum; quia illa, inſomnia quidem ſomnambulatoria impedirent; ſed metus eſt, ne, cerebrum nimium gravando, coma vel carum accerſerent.

Poteſt etiam uti lotionibus caput mediocriter refrigerantibus, caput deinde bene exſiccando.

Ad cerebri corroborationem utatur hoc medicamento:

℞. *conſervæ roſar.* ℥j *ſ.*
fl. borraginis ℥ſ.
pulv. ſem. pæoniæ maris ʒij.
ſp. diarhod. abbat. ℈iiij.
cremor. tartari ʒj.
cum ſyr. condituræ citri q. ſ.

F. Conditum, de quo nonnunquam ſumat dragmæ quantitatem.

In *victus ratione* aër ſit purus, & inter dormiendum caveantur radii lunæ, quibus in hoc malo augendo magna efficacia adſcribitur. Cibi ſint boni ſucci, non flatulenti, vitentur itaque fabæ & lentes & ſimilia. Somnus non in-

eatur

eatur mox à cœna; eaque sit parcior. Imaginationis & affectus non sint fortes, sed mites: ne iis imagines cerebro fortius imprimantur, eæque, postea menti vehementius in somno oblatę, paroxysmum somnambulatorium accersant. In primis autem opera est danda, ut dormiat in cubiculo exactissimè clauso; ut, quamvis ex lecto surgat, ulterius tamen progredi nequeat, & præcipitia aliaque loca periculosa adire non possit.

XI.

MEDICATIO VIRI,

INCUBO DIVEXATI.

Vir quadragenarius, boni habitus, qui diu ingluviei & ebrietati indulsit, interdiu bene se habens, & mente ac sensibus integer, ubi sub noctem se ad quietem componit, frequentissime nocturno quodam ludibrio afficitur. Putat enim se in somno interdum vi ad venerem sollicitari; interdum à magna mole vel homine incumbente suffocari, adeo ut vix loqui aut respirare queat; sensibus stupescentibus, non tamen ademtis. Cùm se movere cupit, maxima accedit anxietudo: qua summopere perturbatus, tandem evigilat. De capitis gravitate interdum etiam conqueritur.

In hoc ægro *afficitur* cerebrum secundum illam partem, unde nervi respiratorii originem ducunt; & hinc etiam afficiuntur musculi thoracis ac pulmo: quod ex læsa respiratione, & capitis gravitate est manifestum.

Morbus, qui ipsum divexat, est *incubus*; sive intemperies sanguinea & pituitosa cerebri, quæ meatus ejus, in nervos respiratorios desinentes, in somno frequentissime angustans, insomnium excitat, quo ægro, ab incumbente vel strangulante aliquo corpore, respiratio & vox præcludi videntur.

Causa

Causa procatarctica, unde hic morbus primò originem duxit, est ingluvies & ebrietas, quibus æger noster diu frena laxavit. Hinc magna copia humorum sanguineorum & pituitosorum in ejus corpore fuit genita : quæ *antecedens* hujus morbi est causa. Eaque in vapores soluta, ac in cerebrum copiosius delata, illudque in somno nimis gravans, & meatus nervorum respiratoriorum angustans, spirituumque justam in eos reciprocationem impediens, *continentem*, ejus, & symtomatum, constituit causam.

Dum enim ab humore vaporoso, meatus nervorum respiratoriorum in somnis occupante, respirationis difficultas, & inde magna molestia, ægro nostro oboritur: hinc spiritus animales in ventriculis cerebri fortius dilatati, & sensorium commune à superioris cerebri pressione, omnia insomnia omnesque cogitationes alioqui impediente, liberantes, ipsi imaginationem excitant; quâ, quia veram molestæ istius respirationis causam in somno excogitare non potest, *ab invadente aliquo sibi fauces ac thoracem magna vi comprimi, spiritumque sibi præcludi, imaginatur*. Ille autem magno conatu, ab opprimente pondere vel homine invadente, se, ut putat, in insomnio expedire laborans, præ imaginarii periculi timore magnopere angitur; & quia nervi tactorii, per somnum à subsidentis cerebri mole compressi, propter hujus insomnii inquietudinem parum tantum patent, idcirco *tactus ipsi*, in isto agitandi corporis conatu, *stupet*. Conamine verò isto laborioso diutiuscule perseverante, spiritus animales in ventriculis cerebri vehementius dilatantur, & novi è corde tam copiosè eo propelluntur, ut non tantum sensorium commune, sed etiam ventriculi cerebri & nervi cerebro subjecti, à pressione & subsidentia liberentur, ac humores vaporosi, qui nervos respiratorios angustabant, discutiantur; atque ita *æger noster*, magnopere insomnii

istius ludibrio turbatus, tandem *evigilet*, & *ab ista respirationis difficultate liberetur.*

Et quoniam semen copiosum in partibus genitalibus, ex copioso sanguine ab ingluvie & ebrietate natum, quod venereorum insomniorum cogitationes, suo peculiaris temperamenti motu, sæpè excitare solet, nonnunquam in ipso redundat; ideoque molestiam respirationis in somnio percipiens, interdum ab invadente quapiam *se vi ad venerem sollicitari & cogi somniat.*

Metus est, ne hoc malum ingravescens in ipso paroxysmo ipsum suffocet, vel sanguinem in ventriculos cerebri aut ejus substantiam effundendo, vel carotidas arterias vel plexum choroidem aut eorum poros obstruendo, apoplexiam, vel carum, vel alium simílem gravem cerebri morbum ægro nostro accersat: ideoque tempestiva *Curatione*, hujusmodi mala sunt præcavenda.

Eaque tota in causa procatarctica, antecedente, & continente tollendâ, & intemperie corrigendâ, versabitur.

Primo itaque talem sumat hausturn jejunus:

℞. *spec. diaturbith cum rhabarb.*,
diacarthami, an ʒs.
cremor. tartari ℈j.
scammonii gr. xij.
cerevisiæ tenuis q.s.
m. f. Potio.

Prostridie aperiatur ipsi vena in brachio dextro, & sanguis educatur ad uncias decem.

Postea præscribatur hoc medicamentum:

℞. *rad. acori, angelicæ, pæoniæ an.* ʒs.
fœniculi, petroselini an. ʒj.
fol betonicæ, fumariæ, cuscutæ,
scolopendriæ, acetosæ an. m. j.

hyssopi,

hyſſopi, endiviæ, borragin. an. m. ſ.
ſem. aniſi, fæniculi, an. ʒiij. cymini an. ʒj.
decoquantur in aq. communi ab lib. j ſ.
addendo ſub finem decoctionis fol ſennæ ℥j ſ.
rabarb., agarici, ſalappæ an. ʒiij.
cremor. tartari ℈iiij.
Colaturæ adde ſyr. de cichorio comp. cum rheo ℥j ſ.
F. Apozema, de quo ſumat quotidie ℥iv.

Corpore his univerſaliter purgato, utatur errhinis & apophlegmatiſmis, & ſternutatoriis, jejunus, ad particularem capitis evacuationem inſtituendam.

In nucha, vel alterutro brachio, excitetur fonticulus, diuque apertus ſervetur.

Interim hoc utatur medicamento:

℞. *ſpec. diarhod. abbatis, aromatici roſati,*
diambræ, diamuſci dulc. an. ʒj.
diſſolutis in aq. betonicæ adde ſacchari albiſſ. ℥ij.
& F, Confectio in tabulis, de quibus ſumat ʒij. vel iij poſt ſingulos paſtus.

Et per plures dies ſumat pæoniæ maris ſemina xv. pulveriſata, & aquâ betonicæ mixta.

Nocturno tempore hanc cucupham geſtet, capitis tegumento incluſam:

℞. *cortic. citri ſicc.* ℥ſ.
rad. cyperi ʒiij.
fol. roriſmarini, majoranæ, betonicæ an. m. ſ.
fl. lavendulæ, roriſmarin., ſalviæ, ſtœchad. arab. an. p. j.
cinnamomi, cariophyllor., maceris an. ʒſ.
F. pulvis, qui excipiatur cotone moſchato, & cum panno ſerico interpuncto formetur *Cucupha*.

Singulis ſeptimanis his utatur pilulis, mane jejuno ventriculo:

℞. *pil. cochiarum* ʒſ.

extracti catholici gr. xij.
ſcammonii gr. iv.
Cum ſyr. de ſtœchad. q. ſ.
F. Pilulæ No. vii.

Veſperi, ab iſtâ purgatione, ſumat theriacæ dragmam unam, cubitum iturus.

In *victus ratione* aër ſit moderate calidus, purus. Cibus ſit facilis concoctionis, bonique ſucci; non flatulentus; hyſſopo, ſerpillo, ſatureia, aliiſque attenuantibus conditus. Potus ſit cereviſia tenuis, vinum tenue & parcius ſumtum. Cæna ſit valde frugalis. Vitet omnem crapulam & ebrietatem. Corpus tempeſtivè & moderate exerceatur. Inter cænam & ſomnum tres ad minimum intercurrant horæ. Decubitus fiat in alterutro latere; nunquam ſit ſupinus. Noctu fidum adjunctum habeat hominem, qui lamentantem & queritantem mox expergefaciat. Alvus reſpondeat naturâ vel arte. Affectus animi ſint pacati.

XII.

MEDICATIO SENIS VERTIGINOSI.

Senex quinquagenario major, craſſus, obeſus, pituitoſus, in otio vivens, ſomnolentus, victu pituitoſo & craſſa cereviſia diu uſus, cum nuper ambulandi cauſâ foras eſſet egreſſus, viſus eſt ſibi videre res omnes objectas, ut homines, arbores, domos, celeriter in gyrum agi. Malo, paulò poſt, ingraveſcente, cum ſeſe erectum ſuſtinere non poſſet, in terram eſt prolapſus. Ubi aliquamdiu jacuit, donec paroxyſmus eſſet finitus; qui ab eo tempore jam ſæpius, per intervalla quædam temporis, rediit. Adeſt capitis gravitas, facies inflata & decolor; per os & nares multum pituitæ excernit. Ex intuitu rerum

rum profundarum, vel in orbem actarum, facile novum paroxysmum incurrit.

In hoc ægro afficitur *cerebrum*: cum visio, citra oculi, medii, vel objecti vitium, hic lædatur. Afficitur autem, tum *secundum* ejus *substantiam*, quod probant excrementa pituitosa ex ore & *naribus* copiose excreta, item capitis gravitas: tum secundum *spiritus* in ventriculis cerebri existentes, quod, ex symtomate præcipuo ægrum nostrum infestante, vertiginoso sc., est manifestum.

Morbus, qui eum molestat, est *Vertigo*; sive intemperies frigida & humida cerebri, spirituumque animalium in ventriculis cerebri motus vorticosus; quæ visus fallaciam, sive depravatam visionem, quâ omnia objecta visibilia circumgyrari ipsi videntur, inducunt.

Procatarctica hujus affectus *causa*, est otiosa ægri vita, & diuturnus ciborum pituitosorum & crassæ cerevisiæ usus, quibus, adjuvante temperamento ejus pituitoso & senili ætate, magna pituitosorum humorum copia in toto ejus corpore est genita: quæ *antecedentem* hic constituit causam. Ea vero in cerebrum delata, ibidemque per circuitus quosdam temporis in spiritus crassos ac vorticosos conversa, *continentem* huic morbo, & symtomatis, suppeditat causam.

Etenim imagines rerum visibilium, ex oculis ad spiritus animales, in ventriculis cerebri in vorticem actos, delatæ, & cum circumgyratione sensorio communi oblatæ, visus illam fallaciam pariunt, quâ omnia *objecta visibilia* eodem modo *in orbem agi videntur*; quo imagines rerum visibilium, quæ per fumos in aëre circumgyratos oculis offeruntur, speciem objectorum circumactorum exhibent. Eodem enim, ad circumgyrationis visionem in sensorio communi faciendam, redit, sive imagines in aëre ante oculos, sive in spiritibus animalibus, in ventriculis cerebri existentibus, ante sensorium commune, circumagantur. Cum utrâque

ratione imagines, ad ſenſorium commune, circumgyratæ perveniant, & ibidem ab anima circumrotatæ percipiantur.

Circumgyrantur autem *ſpiritus animales, per certos temporis circuitus, in cerebri ventriculis* noſtri ægri: quia per certa temporis intervalla, cerebrum & ſanguis in cerebro, ac præcipuè in plexu choroide, exiſtens, talem acquirunt intemperiem, ut tam craſſi per exhalationem in ventriculis gignantur ſpiritus, qui, quia ſatis commodè & copioſè per nervos in totum corpus diſtribui, atque ideo ad lineam rectam tendere non poſſunt, in gyrum, propter novos ſpiritus ibi perpetuo ſupervenientes & vehementius ibidem motos, eodem modo aguntur, ut ventus in angulum aliquem, ubi tranſitus non datur, delatus, ab inſequente vento in vorticem rotari ſolet. Spiritus autem iſti, præterquam quod ſint craſſi, non poſſunt, ob iſtam circumrotationem, nervos ſatis copioſè ingredi, nec muſculos ad corporis ſuſtentationem ſufficienter inflare, atque ideo in vertiginoſo hoc paroxyſmo, ob ſpirituum animalium in muſculis defectum, *prolabitur noſter æger in terram, ibidemque* tam *diu jacet*, donec, vertigine ceſſante, ſpiritus animales officium rurſus faciant.

A conſpectu rerum valde profundarum oritur novus vertiginis paroxyſmus; quia conſpectus ille, terrorem ægro incutiens, cerebri & nervorum poros anguſtat, quo ſpiritus, in nervos ſufficienter fluere & ad lineam rectam tendere nequeuntes, in ventriculis cerebri in gyrum aguntur. Idem *ſpirituum vortex etiam ab aſſpectu rerum circumrotatarum oritur*; quia ipſa imago rei circumrotatæ, ad ſpiritus ventriculorum delata, etiam circumrotatur; atque ideo ſpiritus noſtri ægri animales, ad circumrotationem vehementiorem, ob cauſas jam dictas, valde apti, ab illa imaginum circumgyratione, facile in gyrum moventur.

Sunt

Sunt qui existimant, imaginationem hic esse læsam. Sed quia hic nulla imaginum antea perceptarum fit prava conjunctio, separatio, vel detorsio, in quibus solis imaginatio depravata consistit; ast tantummodo rei visibilis præsentis prava perceptio, sequitur non imaginationem, sed visionem tantum esse depravatam. *Nec obest*, quod forsan nonnulli, hoc affectu laborantes, res objectas revera circumrotari putent. In illis enim non imaginatio, sed præter visum, etiam judicium officio non fungitur.

Nisi morbus hic tempestivè curetur, *metus est*, ne in hoc sene in apoplexiam, carum, vel alium similem cerebri gravem affectum, degeneret.

Curatio itaque primo quoquo tempore est auspicanda: *eaque* circa causæ procatarcticæ, antecedentis, & deinde continentis ablationem; ac denique circa intemperiem cerebri spirituumque corrigendam, per contraria remedia, versabitur.

Sumat igitur omnium primo tales pilulas, mane jejuno ventriculo:

℞. *pil. cochiarum, de hiera simpl. an.* ʒs.
scammonii gr. vj. *cum syr. ros. sol. q. s.*
F. pilulæ No. IX.

Postea utatur hoc decocto alterante & purgante:

℞. *rad. enulæ campan., pæoniæ maris an.* ℥ss.
fol. majoranæ, hyssopi, salviæ, lauri, betonicæ an. m. j.
rutæ, summitat. centaurei minor. an. m. s.
flor. anthos, stæchados, sambuci an. p. j.
sem. anisi, fæniculi, carui, sileris montan. an. ʒj.
decoq. in aqu. com. ad lib. j s.
in Colat. infunde per noctem fol. sennæ ℥j.
agarici ℥ss. *rabarb., salappæ an.* ʒij.
cinnamomi ʒj.
expressioni forti adde syr. de stæchade, mellis scyllitici an. ℥j.

an. ℥j. F. Apozema: de quo ſumat, pro ratione operationis, quotidie, vel alternis diebus ℥iv.

Corpore jam aliquoties expurgato, utatur hoc maſticatorio medicamento:

℞. *uvar. paſſar. enucleatar.* ℥j.
hyſſopi, origani an. ℈iiij.
rad. acori conditæ, ſem. ſynapi an. ʒj.
piperis, maſtiches an. ℈ij. *mellis q. ſ.*

F. globuli maſticatorii, quibus utatur jejuno ventriculo, & à prandio circa horam quartam pomeridianam.

Interea utatur hoc electuario:

℞. *rad. zinzib. conditæ* ℥j.
conſerv: fl. roriſmarini, roſar. rubr. an ℥ſ.
ſp diarhod. abbatis, aromatici roſ. an. ℈ij.
ſyr de ſtæchade q. ſ. F. Conditum:

De quo ſumat, ante cibi ſumtionem, dragmę quantitatem.

Et *fonticulus* cauterio aperiatur, in cervicis parte poſteriore, vel, ſi ibi moleſtior ſit futurus, in alterutro ſaltem brachio, diuque apertus ſervetur.

Geſtet quoque in capitè hoc tegumentum pileo includendum:

℞. *fol. betonicæ, flor. camomill., roſar. an. m.* j.
ſem. nigellæ unc. ſ. coriandri præpar. ʒiij.
exſiccata & leviter contuſa conſuantur ſ. art. cum cotone in panno ſerico, & F. Cucupha.

Totâ Curatione *aër* ſit temperatus, purus; *cibus* parcus, eupeptus, nec flatuoſus: *potus*, vinum & cereviſia mediocrium virium, & parce ſumtus. Corporis *exercitium* ſit temperatum; ſed capiti magis convenit *quies*. *Somnus* ſit mediocris. *Alvus* reſpondeat arte vel naturâ. Inter *animi pathemata* vitet potiſſimum iram & triſtitiam.

MEDI-

XIII.

MEDICATIO INFANTIS HYDROCEPHALI.

PUer triennis jam à duobus annis ingenti conspicitur capite; quod contactum molle sentitur; & digitis fortius pressum in fossulas subsidit; radiisque solis vel candelæ expositum pellucet. Sensibus est stupidioribus, & somnolentus. Quamvis bene edat & bibat, reliquo tamen corpore est macilento & pallido. Pulsus pro ratione ætatis debilior est.

Afficitur in hoc infante *caput*, secundum partes externas, ut docet tactus: atque etiam secundum substantiam cerebri, quod sensus stupidiores & somnolentia indicant: & forsan etiam secundum ipsos cerebri ventriculos; cum experientia doceat in hoc affectu sæpè magnam seroſæ materiæ copiam iis contineri. Afficitur etiam *cor* & *totum* reliquum *corpus*, quod pulsus debilis & macies totius corporis indicant.

Morbus hujus infantis est *Hydrocephalon, seu hydrops capitis*; qui est intemperies capitis seroſa, illud in magnum tumorem, mollem, & perspicuum, attollens.

Causa hujus morbi *prima* est intemperies frigida & humida cordis & reliquorum viscerum; uti ex pulsu debili, & totius corporis colore pallido colligitur. Atque inde seroſa materia, cum sanguine copiosior in visceribus sanguificationis genita, & per reliquum corpus diffusa, *antecedentem* huic morbo dedit causam; quæ propter nimis magnam vasorum capitis mollitiem, poros ibi copiosius aperuit, & per diapedesin ac evaparationem extra vasa, partim intra cranium & cutim, partim in substantiam, & forsan etiam in ventriculos cerebri, paulatim sese effundens, causam *continentem* huic morbo suppeditat: *eaque* cere-

brum ſuo pondere gravando, nervoſque ſubjectos premendo, *inducit ſomnolentiam*; ſenſoria vera ſenſationi ineptiora faciendo, producit *ſenſuum ſtuporem*.

Nec eſt, quod quis miretur, ſeroſos humores in ipſis ventriculis cerebri, ſalvis vel obtuſis exiſtentibus ſenſibus, copioſiſſimos poſſe contineri: Cum frequenti conſtet experientiâ aquas quam maxime copioſas ibi fuiſſe inventas, & ſubſtantiam cerebri ac ejus ventriculos in maximam capacitatem fuiſſe expanſos, quod certè ſubitò, ante hydrocephalorum mortem, fieri non potuit.

Senſus autem hic ſunt ſuperſtites, licet obtuſi; quia aquæ ibi contentæ, valde ſunt tenues & ſpirituoſæ, ita ut magna illa ſpirituum, aquis iſtis miſtorum, copia, cerebrum illud ingens, & tanto onere gravatum, poſſit attollere, cranium ipſum diſtendere, & nervos cerebro ſubjectos à nimia preſſione vindicare, eoſque ita aperire, ut ſpiritus per aquas iſtas, in nervos fluentes, illos ſenſationi & motui qualicunque faciant aptos.

Quod verò per medias aquas motus objectorum ad ſenſationem faciendam poſſint tranſire, patet in piſcibus, qui per medias aquas olfaciunt, audiunt, & vident: unde intelligimus, etiam per aquas cerebro contentas, motus objectorum ſenſoriis externis impreſſos, & in cerebrum delatos, ad ſenſorium commune, pro ſenſatione qualicunque modo facienda, poſſe deferri.

Nec obſtat, multos, ex ſubito humorum in ventriculos illapſu, in apoplexiam, omnem ſenſum & motum adimentem, mortemque accerſentem, *incidiſſe*. Nam humores illi apoplecticorum non erant tenues & ſpiritibus multis perfuſi; ſed craſſi & tenaces, qui, principia nervorum & poros cerebri ſua craſſitie & tenacitate obturantes, perniciem ægris accerſiverunt. Et deinde magna eſt differentia inter humores ſubitò in ventriculos vaſa aut ſubſtantiam cerebri collapſos

lapsos, & paulatim sive lentè ibidem collectos: nam humores apoplecticorum, subitò in istas cerebri partes profusi, non expandunt cerebri poros, sed eos sua copia & crassitie ac tenacitate obturant. Contra verò, humores lente ibi collecti, præsertim si valde tenues fuerint, laxant paulatim vasorum & cerebri poros, eosque ad spiritus transmittendum, aptos reddunt.

Atque ex his jam constat, aquas istas hydrocephalorum, in ventriculis cerebri existentes, nihil obstare, quo minus spiritus animales in istis ventriculis, ad functiones animales peragendas, perpetuo gignantur. Illæ enim non impediunt, quo minus subtilissimi sanguinis halitus, qui spiritus istos constituunt, ex plexu choroide ibi existente, in ventriculorum cavitatem copiose exhalent, & ita novos spiritus ibidem perpetuo producant.

Morbus hic est periculosissimus; tum propter ejus magnitudinem; tum propter principem partem, quam occupat; tum propter teneram infantis ætatem, quæ generosa remedia, hic necessaria, ferre non potest. Nec tamen plane deserendus æger; sed *Curatio* tentanda. Præstat enim eam, licet incertam, aggredi, quam certo exitio ægrum exponere.

Curatio consistet in aquarum è capite evacuatione, & intemperiei capitis, & reliqui corporis, per contraria correctione.

Primò itaque præscribatur tale purgans:

℞. *Syr. rosati solutivi cum fol. sennæ* ℥ij.
cremoris tartari ℈j.
scammonii ℈ij. *misce* F. Syrupus.

De quo exhibeatur infanti cochleare unum, semel vel bis in die, pro operationis magnitudine.

Et subinde ipsi porrigatur cochlear vini Hippocratici.

Deinde foveatur caput hoc fomento:

℞. *herb. calaminthæ,*
origani,
pulegii,
ſerpilli,
ſalviæ,
betonicæ,
ſabinæ an. m. j.
flor. camomill.,
meliloti,
ſtæchados,
anthos,
anethi an. p. j.
roſar. rubrarum,
furfuris macri, an. p. ij.
nucum cypreſſi ʒij.

Decoquantur in lixivii, ex cineribus ſarmentorum vitis confecti, & vini auſteri partibus æqualibus, ad ℔ij. F. Decoctum: quo, cum pannis laneis, vel ſpongiis intinctis, foveatur caput infantis mane & veſperi.

Poſtea capiti exſiccato ſequens linimentum illinatur tepidum:

℞. *pulv. abſinthii,*
chamæmeli,
meliloti an. ʒij.
butyri majalis,
olei camomillor., anethi an. ʒiiij.
ceræ parum. Miſce pro Linimento.

vel. ℞. *mellis vulg. lib. ſ.*
pulv. origani m. j ſ.
ſalis comm. ʒſ.

Miſce, in formam Cataplaſmatis, capiti adhibendi.

Deinde caput roboretur hoc pomo odorato, naribus infantis frequenter adhibito:

℞. *caſtorei,*

℞. *castorei, benjoini,*
pulv. rutæ, cyperi, galangæ, nucis muscatæ an. ʒij.
styracis liquidæ ʒiij.
subigantur cum s. q. aquæ rosar., in qua gummi tragacanthum & arabicum maduerint, & fiat massa, guttis aliquot olei cinnamomi & cariophyllorum imbuenda: quæ in formam Pomi odorati *concinnanda.*

Si hæc morbo superando non suffecerint, *cutis capitis erit aperienda, & sensim ex eo ducenda est aqua*: quod ut tutò fiat, parvum vulnus cuti erit infligendum, eique cannula argentea, vulnusculo tam exactè respondens, est inserenda, ut aqua ex vulnere egredi non possit, nisi inserta cannula prius fuerit aperta. *Alioqui* enim, si aqua confertim educeretur, certa pernicies, ob spiritus copiosos cum multis illis aquis evacuatos, infanti immineret.

Atque hinc jam patet, quam pernicioſum illorum sit consilium, qui ipsum cranium in hoc affectu perforari volunt.

Quantum ad *diætam* attinet; infans in aëre versetur calido. Nutriatur pane bene fermentato; ovis sorbilibus; carnibus pullorum gallinaceorum assis; jusculis, roremarino & salvia alteratis; Cerevisiâ, cum vino temperatâ. Motus, pro ratione tolerantiæ infantis, sit moderatus. A fletibus quantum fieri potest, arceatur, & blanditiis demulceatur. A somno nimio impediatur.

XIV.

MEDICATIO VIRI,

MELANCHOLICI.

Mercator opulentus, quadragenarius, temperamento melancholicus, ex magnæ pecuniæ jacturâ, ante aliquot menses

factâ, in magnum mœrorem & perpetuam ſollicitudinem, pene omnem ſomnum ipſi adimentem, incidit. Menſem hoc affectu tortus, ſolitudinem quærere, abſurda cogitare, & præſentem egeſtatem, per quam ſibi & familiæ ſuæ præ fame ſit moriendum, imaginari cœpit. Huc acceſſit, quod, malo paulatim ingraveſcente, æternis inferni cruciatibus à Deo ſe adjudicatum jam credat, monſtroſiſque ſpectris, quæ diabolos appellat, ſe frequenter infeſtari vigilans & ſomnians putet. Quamvis ipſi mens officio ſuo in reliquis ſatis bene fungatur, nulla tamen ratione, hæc non vera, ſed imaginaria eſſe, perſuaderi à quoquam poteſt. Atque ideo, perpetuo angore ſe miſerrime excrucians, vitam, cum morte commutare exoptat. Ab alimentis & medicamentis eſt alienior.

Afficiuntur, in hoc ægro, præcipue *cerebrum & cor.* Cerebrum, uti ex prava imaginatione, & judicii vitio; & cor, ſicut ex perpetuo timore & triſtitia eſt manifeſtum.

Morbus qui eum torquet, eſt *melancholia*; ſive intemperies quædam cerebri melancholica maligna, quæ depravatam præſentis egeſtatis, & æternæ damnationis, præſentiumque interdum monſtroſorum ſpectrorum imaginationem & perſuaſionem, nec non timorem & triſtitiam, citra juſtam cauſam, ipſi exhibet.

Cauſa hujus affectus *prima*, eſt magna illa pecuniarum jactura, quæ ægrum noſtrum, naturâ melancholicum, valde perturbavit. Hinc enim, magnopere contriſtatus, intentius de hoc damno dies noctesque cogitare cœpit; quo ſpiritus animales, naturâ ſuâ jam ante ad hanc malignitatem in ipſo proni, vehementius & inordinate in ventriculis cerebri agitati, *ſomnum ipſi diu ademerunt*; pravamque intemperiem *eo* contrahentes, eam cerebro communicarunt, quod eam perpetuo ipſis ſpiritibus in ventriculis cerebri naſcentibus, & ſanguini in cerebrum & deinde in reliquum corpus, per circularem ejus motum, delato, vi-

ciſſim

ciſſim communicat. Atque *hinc* non tantum *intemperies illa cerebri* & totius corporis, ſed *etiam triſtitia illa, & horrendæ cogitationes*, reliquaque ſymtomata in hoc ægro originem ducunt.

Cum enim, ut in Phyſicis & Medicina ante hac fuit demonſtratum, ita nati ſimus, ut ex vario cerebri & ſpirituum temperamento varii eorum motus, & ex variis motibus variæ in nobis cogitationes, ſeu perceptiones & judicia ac voluntates, oriantur: ideo æger poſtquam, per continuas & immoderatas ſollicitudines, temperamentum cerebri & ſpirituum graviter læſiſſet, propter pecuniæ jacturam de pauperie & rerum neceſſariarum egeſtate, ex magno damno aliis aliquando exortâ, forte fortunâ cogitans, ipſe de propria inopia cogitare, & eam, ob malignum cerebri & ſpirituum temperamentum, ſibi attribuere cæpit, eamque cogitationem ſæpius repetendo, & captatâ ſolitudine corrigere conando, ejus imagines cerebro ita infixit, ut illæ propter ſuam evidentiam menti ipſius nunc perpetuò obverſantes, *ipſum cum familia præ fame moriturum* jam certò ipſi *perſuadeant*. Cumque illi deinde, ex peccatorum ſuorum recordatione, de impiis, ob peccata æternis inferni cruciatibus adjudicatis, cogitatio oboriretur, *cæpit etiam* talem *damnationem ſibi ipſi*, ob pravam illam ſpirituum & cerebri diſpoſitionem, *attribuere*, eamque cogitationem ſæpius reiterare; quo etiam illa imago cerebro firmius fuit impreſſa; eaque, animo ipſius jam perpetuo obverſans, ipſum maximo angore afficit, *mortemque*, in moleſtiæ iſtius levamen, *exoptare* cogit. Cumque illi, ob æternæ damnationis cogitationem, etiam de diabolis, æternum damnatos cruciantibus, in mentem veniret, & ipſe eorum imagines attentius conſideraret, eorum notæ tam profunde fuerunt cerebro impreſſæ, ut illæ, ex levi cerebri vel ſpirituum motu, ſenſorio com-

communi & ibidem animæ tam evidenter jam offerantur, ut ipſe, & vigilans, & dormiens, *ſe diabolos videre* ſæpe *exiſtimet*. Et quoniam omnibus his imaginationibus magna, ex cerebri & ſpirituum motu & imaginum impreſſione & oblatione, adeſt apparentiæ evidentia, hinc tam magna in ipſo, de earum veritate, eſt perſuaſio, ut *à nemine de ſuâ* circa illas *opinione* hactenus *dimoveri queat.*

Quamvis autem in his cogitationibus, ob imagines iſtas cerebro tam firmiter impreſſas, deliret: attamen, quia aliarum rerum perceptio & judicium ab illis non impeditur, idcirco *mens ipſi in reliquis* ſic ſatis bene *officium facit.*

Quod autem occaſio de his vel illis rebus cogitandi, melancholicis oblata, ipſis ſæpe ſit cauſa, ut illas ſibi cum firma perſuaſione attribuant, frequens docet experientia; quæ teſtatur melancholicos, alios de gravibus quibuſdam morbis & eorum ſignis in medicorum libris attentius legentes: alios de ſceleribus vel turpibus peccatis ex aliis affectuoſius audientes; alios de monſtris horrendis referri intelligentes, de iis propterea ita fuerunt imaginati, ut tam certò ſe talibus morbis laborare, vel ſcelera illa perpetraſſe, vel in talia monſtra ſe eſſe converſos, ſibi perſuaderent, ut nullis deinde rationibus hujuſmodi opiniones ex ipſorum animis deleri, vel cogitationes eorum ad alia converti poſſent.

Atque hinc jam intelligimus, cur nonnulli melancholici, de magno naſo fortè intentius cogitantes, *ſibi perſuaſerint ſe naſum* tam *longum habere*, in quem omnes occurrentes impingerent: *& cur alii*, occaſione intentioris cogitationis de butyro, vitro, vel frumento oblatâ, *ſe butyraceos, vitreos, vel frumentaceos eſſe* tam firmiter *crediderint*, ut ad ignem, alios homines, & gallinas, tanquam ſi ab illis eſſent perdendi, propius accedere non auderent. *Et* quare *alii*, de rege & regno fortius cogitantes, *ſe reges eſſe*, &

munia

munia regibus digna sibi incumbere, persuasum haberent. Et cur alii de urina tam copiosa, quæ multis hominibus submergendis sufficeret, forte fortunà ridiculè imaginantes, sibi persuaserint *se* tam *immensam urinæ copiam in corpore habere*, ac propterea, metuentes ne multos illâ urinæ suæ copiâ emissâ suffocarent, meiere non fuerint ausi. *Et* cur *alii* de mortuis, & de eorum necessaria à cibis abstinentia recordantes, *se vitâ jam defunctos crediderint, nec* postea *ullo cibo vesci voluerint.* Nam in omnibus his & aliis similibus contingit melancholicis, ut, propter ipsorum peculiarem cerebri intemperiem, rerum cogitatarum & ipsis applicatarum imagines tam firmiter ipsorum cerebro imprimantur, ut de iis postea recordantes, eas sibi convenire, easque non imaginarias, sed veras esse credant.

Ex his etiam ratio reddi potest, *cur melancholici nonnulli sint tristes, & alii læti.* Nam, præterquam quod hoc sæpe ex eo oriatur, quod spiritus per se apti sunt, tristes vel lætas, per peculiare suum temperamentum, primas excitare cogitationes; frequentissime tamen hoc in illis, ex occasione objectorum fortuitò oblatorum, originem ducit, ac tum, si illi forte fortunà de rebus lætis cogitare incipiant, imagines istæ cerebro impressæ lætas cogitationes postea excitant, ipsosque gaudio & risu exhilarant. Si vero cogitationes tristes ipsorum menti primò offerantur, tristes istæ imagines cerebro deinde fortius infixæ & animo oblatæ, mentem ipsorum deinceps perpetuâ tristitiâ misere torquent.

Atque ita peculiaris illa cerebri & spirituum intemperies, absurdas has cogitationes eo, quo dixi, modo excitans, quam melancholicam cum aliis ex consuetudine appellamus, jam nobis satis nota & perspecta esse videtur. Quod vero nonnulli eam in spirituum tenebricositate, impuritate, frigiditate, & siccitate consistere ajunt; illi meo judi-

cio, hic nihil agunt. Nullum enim lumen in cerebro ad cogitandum requiritur; cum anima ibi nullos oculos habeat; & deinde ſpirituum impuritas, frigiditas, & ſiccitas, potius ingenii torporem, quam adeo multas, varias, & abſurdas cogitationes excitarent.

Graviſſimus & *periculoſiſſimus hic eſt affectus*: metus enim eſt, ne æger vel ad maniam redigatur; vel mærore aut inedia conficiatur; vel ſibi ipſi vim inferat.

Curatio itaque ſollicitè, per falſarum iſtarum cogitationum & malignæ cerebri & reliqui corporis intemperiei correctionem, pravæque materiæ evacuationem, erit inſtituenda.

Ac inprimis danda opera, ut, quibuſcunque fieri poteſt perſuaſionibus, æger ab horrendis iſtis cogitationibus abducatur, & earum falſitas ipſi prudenter demonſtretur; atque ita his notæ aliæ cogitationum, ſanarum ſc., cerebro ipſius imprimantur.

Medicamenta quod attinet; præſcribatur primo tale decoctum:

℞. *rad. polypod. q.* ℥j. *ſ. hellebor. nigri.* ʒij.
gramin., fæniculi an. ℥j.
cort. rad. tamariſci, cappar. an. ʒvj.
herb. adianthi, thymi, epithymi, chamædrios, cuſcutæ, fumariæ, borrag., bugloſſ. an. m. j.
ſem. fæniculi, petroſelini, aniſi, 4. ſem. frigid. major an. ʒj.
flor. borrag., violar. an. p. iij.
prunor. acidior., paßular. mundat. an. ℥ſ.
decoquantur in aqu. com. ad lib. j. *Colaturæ adde ſyr. de pomis redol., violacei an.* ℥j. F. Apozema.

de quo æger quotidie ter quaterve ℥iiij. bibat.

Ubi biduum hoc remedio fuerit uſus, ex vena in brachio apertâ ſanguis largè, pro ratione virium, ipſi educatur.

Poſtri-

Postridie hoc utatur purgante:

℞. *syr. rosar. sol. cum fol. sennæ* ℥ij.
cremor. tartari ℈iiij.
scammonii gr. x. aq. carduibenedicti q. s.
F. haustus, aliquoties reiterandus.

Vel sumat subinde has pilulas.

℞. *extracti catholici* ℈j.
scammonii gr. vj. F. pilulæ No. iij.

Post purgationes factas, balneo aquæ dulcis sæpe utendum, in quo malva, violaria, & flores chamæmeli incoqui poterunt.

Somnus etiam exhibitis gr. iij. vel iiij. laudani opiati, vel tali amigdalato erit excitandus:

℞. *amigdalarum. dul decorticat.* ℥ij.
sem. papaveris albi, lactucæ an. ʒij.
Contundantur in mortario marmoreo affundendo
aq. cichorii lib. s. Colaturæ adde sacchari ℥ij.
syr. de papavere ʒiij. F. Amigdalatum, quo utatur vesperi cubitum iturus.

Utatur etiam hoc electuario:

℞. *conservæ fl. bugloßi* ℥j *s.*
spec. lætificant. Galeni ʒj.
diarhodon abbatis sine musco ʒ*s.*
sem. citri, cinnamomi electi an. gr. xij.
syr. violar., bugloßæ an. q. s. F. Electuarium, de quo æger sumat bis terve in die castaneæ quantitatem.

In *victus ratione* aër sit lucidus, bene olens, temperatus. Cibus, corpus mediocriter humectans, boni succi, eupeptus, ex carnibus gallinaceis, vervecinis, uvis passis, petroselino, endivia, borragine, bugloßa, lactuca, malva. Potus sit cerevisia mediocris, vinum album tenue. Exercitii loco deambulet per loca amæna. Somnus sit longior, & omni ratione provocetur, cum in eo potissima curatio consi-

stat. Omnia, quæ metum & tristitiam conciliare possunt, vitentur. Animus contra, quibus potest modis, ad hilaritatem componatur.

XV.

MEDICATIO JUVENIS MANIACI.

Juvenis robustus, viginti quatuor annos natus, biliosus, & poculis largioribus quotidie indulgens, nuper magnâ contumeliâ fuit affectus, quæ ipsum, hinc irâ valde perturbatum, diu de vindicta magnopere habuit sollicitum. Post aliquot dies cæpit ferocior videri, & cum quovis de rebus leviculis rixari, noctes pæne totas insomnes ducere, & miris imaginationibus infestari. Cumque malum deinde ingravesceret, diluculo quodam evigilans, è lecto nudus exsiliit, indusium & lodices diffregit, clamoribus furiosis totam domum replevit, & in occurrentes domesticos tantum impetum fecit, ut uni, renitentibus aliis, gulam manibus fortissime comprehensam, pene totam confregerit. A pluribus itaque viris robustis, in auxilium vocatis, magna cum difficultate, tandem fuit comprehensus, & vinculis in lecto detentus: ubi jam per biduum clamans, absurda loquens, cantillans, ridens, dejerans, torvum videns, perpetuo vigilat. Nulla ipsi adest febris. Cibos oblatos satis avide ingerit. Potum ore haustum, in adstantium vultum, si non attendant, labris in fistulæ modum arctatis, impudenter nonnunquam ejaculatur. Sæpissime nudo jacet corpore, nec ullum frigus sentit, nec ab illo læditur. Nullis blandimentis, nullis objurgationibus, nec ullis admonitionibus ejus ferocia frænari vel leniri hactenus potest. Habitu corporis est eusarco.

Cerebrum in hoc juvene graviter esse affectum, probat ferox illud delirium. *Cordis & totius corporis* affecti argumen-

mentum est iracundia, & frigoris supra naturalem modum tolerantia.

Morbus, qui ipsum vexat, est *Mania*; sive peculiaris quædam intemperies cerebri & spirituum biliosa & fervens, quæ à febri immunis, imaginationem & judicium ejus, cum excandescentia, in quoslibet ferociente, depravat.

Causa, quæ huic affectui primo originem præbuit, est magna illa contumelia, qua juvenis iste affectus, in tantum excanduit, ut noctes diesque de vindicta cogitans, & omnem pæne somnum sibi adimens, spiritibus animalibus, in ventriculis cerebri existentibus, qui, ex nativo ejus temperamento & præcedente ebriositate, ad hanc pravitatem jam ante erant proclives, per vehementiores illas & iracundas cogitationes intemperiem nimis fervidam, & mentem peculiariter perturbantem, conciliaverit; quæ deinde cerebro communicata, & ab illo sanguini impressa, & inde ad Cor delata, totum corpus hac pravæ intemperiei labe infecit; eaque jam cum sanguine à membris ad cor, & à corde in cerebrum perpetuo rediens, ibique mentem suo peculiari fervore & pravitate exagitans, est perpetua horum furiosorum *symptomatum causa*.

Primo enim fervidi isti spiritus, vehementiori suo motu cerebri ventriculos distendentes, & nervorum principia aperientes, *perpetuas* ipsi *faciunt vigilias*. Iique porro, in sensorium commune vehementius & inordinatius impingentes, *turbant ferocibus*, *truculentis*, violentissimamque vindictam spirantibus *cogitationibus ejus mentem*. Ut enim blandus & lenis bene temperatorum spirituum motus blandas, jucundas, lenes & prudentes, ex eo quod ita à naturâ comparati simus, solet excitare cogitationes; ita fervidi, pungentes & maligni spiritus, data occasione vehementius moti, solent hominem, haud aliter, quam si stimulis esset concitatus, facere ferocem, iracundum, temerarium,

rarium, impudentem, & de vi inferenda cogitantem. Huc accedit, quod noſter æger, per diuturnas illas & intentiores de injuria illata & vindicta ſumenda ſæpius reiteratas cogitationes, earum imagines cerebro tam copioſas & firmas impreſſerit, ut eæ fere perpetuò ejus animo turbato evidentiſſime obverſantes, eum ad omnem violentam ferociam impulerint. Atque *hinc factum, ut ille è turbulento inſomnio evigilans*, quo ille fortè de adverſario ſuo ſomniabat, *in furorem fuerit actus*, & *jam*, pro variis imaginibus animo ejus magnâ evidentiâ oblatis, *ita ferociter inverecunde & impudenter, modò cum clamoribus, modò cum riſu, modò cum dejerationibus, modò cum turpibus dicteriis, deliret.* Et quoniam non tantum fervidiſſimos, ſed etiam copioſiſſimos habet ſpiritus animales, quos vehementiſſime in muſculos pro arbitrio determinat, idcirco *corpus ejus veſtibus denudatum ab aëris frigore non læditur: vireſque ejus*, in rebus apprehendendis, depellendis, & retinendis, plurium hominum, adverſus ipſum ſimul agentium, robur longe ſuperantes, *jam nonnullis ab ipſo comprehenſis perniciem pæne attulerunt.* Quia vero malignitas illa, quæ in febribus ſanguinem & habitum corporis nutritioni ineptiorem reddit, à fervidiſſimo ejus abeſt ſanguine, ideoque hic *ejus fervor, ab omni febri hactenus liber, ipſum bene nutriri patitur.* Quia denique hæc cerebri & ſpirituum intemperies ipſi tam evidentes excitat imaginationes, & ſimul judicium ejus pervertit; idcirco *deliria ſua rationi conſentanea, aliorum vero admonitiones & objurgationes contemnendas, exiſtimat.*

Quod autem *ad hunc furorem excitandum peculiaris cerebri intemperies & ſpirituum fervor requiratur*, manifeſte ex febribus ardentibus & vehementiſſimis corporis exercitiis, ſæpiſſime nullum furorem excitantibus, patere videtur.

Et quamvis hæc intemperies peculiaris nondum ulterius

rius innotuerit; hinc tamen nulla in furore, ex ea explicando, oritur difficultas. Nam etsi ejus natura secundum particularum insensibilium motum figuram & magnitudinem exquisite & perfecte esset cognita; hinc tamen nihil aliud innotesceret, quam quod talis specifica cerebri intemperies talem mentis turbandæ habeat potestatem: idq; non aliam ob causam, quam quod ita à natura facti simus, quod talis spirituum cerebrique motus tales in mente excitent cogitationes. Atque hoc ex aciculis cutim pungentibus, quæ dolorem; & digitis, plantam pedis fricantibus, qui molestam titillationem excitant, manifestum evadit. Quamvis enim istorum figura & temperies hic satis sint notæ; cur tamen hi in illis partibus titillationem, istæ in aliis dolorem excitent, nulla alia ratio, quam nos ita à natura esse factos, sive nos tali facultate innatâ passivâ esse præditos, ut hinc tales titillationum vel dolorum sensationes in mente nostra excitentur, ulterius dari potest.

Morbus hic, ubi temporis longitudine altas radices egit, nulla ratione curari potest, hominemque sæpe, inter fœtidissimas sordes & summas miserias, ad extremam senectutem deducit; ideoque curatio, licet ob gravitatem morbi & inobedientiam ægri valde sit difficilis, haud perfunctorie erit tentanda.

Causa vero, ob quam maniaci inter maximos & miserrimos diætæ errores tamdiu vivere queant, consistit in ipsorum corporis temperamento, quod quamvis rectis mentis actionibus adversetur; nutritioni tamen corporis est convenientissimum.

Curatio consistet in pravi sanguinis evacuatione, & intemperiei, tum cerebri, tum reliqui corporis, correctione.

Primo itaque exhibeatur cum potu vel jusculo hic pulvis insipidus:

℞. *rad.*

℞. *rad. mechoacannæ* ℈ij. *ſ.*
ſcammonii gr. xv. F. pulvis ſubtilis.

Poſtridie educatur ſanguis per phlebotomiam è brachio dextro ad lib. 1. Eaque poſtea ſæpius in variis corporis partibus, pro ratione virium, eſt repetenda. Docet enim experientia venæ ſectiones largas & frequentes plurimum auxilii hic præbere.

Veſperi ad ſomnum conciliandum exhibeantur ipſi in potu laudani opiati grana v, cum pauxillo ſyr. de papavere diſſoluta: vel lac amigdalatum, cum ſyrupo papaveris, ad lib. ſ. Vel talis præſcribatur hauſtus ſomniferus:

℞. *ſyr. violac., papaverini, diacodii an.* ℥ſ.
aq. ſtillat. lactucæ ℥iij. *M.* F. hauſtus.

Poſtea præſcribatur ipſi hoc medicamentum alterans & purgans:

℞. *rad. bugloſſi* ℥j. *ſ. ellebori nigri* ʒiij.
Polypod querc. ʒvj.
fol. endiviæ, cichorii, fumariæ,
epithymi an. m. j.
flor. borrag., bugloſſ., violar. an. p. iij.
ſem. melonum, cucumeris, cucurbitæ an. ʒiij.
liquiritiæ raſæ ʒij.
tamarindorum ℥j.
decoquantur in aq. commun. ad lib. j. *ſ. addendo*
ſub finem decoctionis fol. ſennæ ℥j. *ſ.*
cinnamomi ℈ij.
colat. adde ſyr. roſati ſol., violacei an. ℥j.

F. Apozema, de quo bis in die ſumat uncias quatuor.

Si hujus uſum detrectet, ſæpius ipſi præbeatur ſerum lactis, in quo epithymus, & anagallis flore purpureo, ſint cocta.

Et frequenter ipſi in potu exhibeatur ſal prunellæ dragmæ pondere; quod peculiarem vim habet maniacum illum

lum ſpirituum fervorem compeſcendi.

Ac poſtea ſubinde purgetur dragmis ſex vel octo confectionis hamech, vel extracti hellebori nigri dragmis duabus, quibus aliquot grana ſcammonii ſunt addita. Et, ſi hæc propter ingratum ſaporem reſpuat, purgetur ſubinde juſta doſi diacydonii purgantis.

Poſt purgationes reiteratas hoc linimento tempora ejus oblinantur:

℞. *olei violar.*, *mandragoræ*, *ſucci ſempervivi an.* ʒiij. *ſalis prunellæ* ʒj. Miſce pro linimento, cum linteis adhibendo

Et tale electuarium aſſumat:

℞. *conſervæ roſar.*, *violarum*, *borrag.*, *bugloſſ.*, *meliſſæ an.* ℥ſ.
cort. citri conditi ʒij.
ſpec. diamargariti frigid. diarhod. abbatis an. ʒj.
confect. alkermes ℥ſ.
ſyr. de limonibus q. ſ.

F. Electuarium, de quo dragmæ duæ bis quotidie, cum potu mixtæ, ipſi præbeantur.

Verùm his non juvantibus, tentari poterit Curatio hujus morbi *per tranſfuſionem ſanguinis* vitulini, ex arteria vituli crurali, in venam aliquam brachialem maniaci; qualis nuper Pariſiis in maniaco, ope tubuli, unâ parte arteriæ vituli, & alterâ venæ maniaci accuratè inſertæ, feliciter fuit facta. Hæc chirurgia etiam in aliis morbis curandis jam ſatis frequenter adhiberi fertur.

In *diæta* aër ſit temperatus. Cibus ſit liquidus, ſorbilis, & humectans, ex endivia, hordeo, rapis, carnibus vervecinis. Potus cereviſia tenuis. Somnus ſit longior: iſque omni ratione provocandus. Alvus ſit lubrica vel naturâ vel arte. Amicorum moderata admittatur præſentia: inimici & ignoti excludantur. Et denique vinculis, admonitionibus, prudenter, pro re nata, erit regendus & compeſcendus.

XVI.

MEDICATIO VIRI,

PHRENITICI.

VIr triginta quinque annorum, craſſus, obeſus, ſanguineus, poſtquam per continuos aliquot dies & noctes vino & cereviſia generoſiore ſeſe impleviſſet, inſomniâ aliquamdiu fatigatus eſt; &, ſiquando in ſomnum incidiſſet, moleſtis & horrendis ſomniis fuit turbatus. Tandem poſt aliquot dies cœpit vociferari, torvum tueri, abſurda loqui. Iam, niſi à robuſtiſſimis viris vel vinculis in lecto retineatur, ex eo nudus exſilit, & quemvis obvium ferociter aggreditur. Subinde floccos & feſtucas in ſtragulis quærit. Oculos habet rubentes, & lemis ſquallidos. Plus ſolito & indecenter loquitur. Perpetuò vigilat. Oculi ipſi nonnunquam lacrimantur. Os ipſi eſt aridum. Valde ſitit. Pulſus perpetuò eſt magnus, celer, creber, & inæqualis. Urina pallida.

Afficitur in hoc ægro *cerebrum*, quod ex vigilia & delirio eſt manifeſtum. Afficitur etiam *totum corpus*, ut conſtat ex ebrioſa intemperantia, quæ præceſſit; nec non ex febre præſente.

Morbus, qui eum affligit, eſt peculiaris quædam intemperies bilioſa & ſanguinea cerebri & ſpirituum; ferox delirium, & febrim continuam producens: quæ à Medicis *phrenitis* dicitur.

Cauſa procatarctica morbi eſt intemperantia illa ebrioſa, per plures dies & noctes continuata; qua magna copia ſanguineorum & bilioſorum humorum in corpore ægri genita, cauſam *antecedentem*, ac inſomniam & ſomnum turbatum, morbi hujus præludia, produxit: eaque in cerebrum & membranas ejus delata, ibique in ventriculos exhalans, & in ſubſtantiam membranarum & cerebri profuſa, ac

sa, ac vehementius incalescens, malignitatemque peculiarem adipiscens, morbi hujus & symtomatum ejus *continentem* causam constituit.

Materia enim biliosa & sanguinea in cerebrum & membranas provecta, ibique incalescens, & putrescens, *facit eorum inflammationem*. Dum verò ea partem quandam in venas perpetuò ex cerebro inflammato pellit, quæ deinde per eas ad cor defertur, ibique vehementius incalescit, & ex eo per arterias in totum corpus distribuitur, facit *febrim pulsumque magnum, celerem, crebrum, &*, propter inæquales sanguinis partes, *inæqualem*. Ad *oculos* vero delata facit eos *rubicundos*, & è poris vasorum, quæ sunt in oculis, egressa, ibique incrassata, *tegit extremas palpebras lemis*. Spiritus, ex fervido illo sanguine in ventriculos cerebri exhalantes, cum sint nimis copiosi, & quasi ardentes, attollunt perpetuo cerebrum, nervosque subjectos distendunt, atque ita *perpetuas vigilias* gignunt. Dum vero illi vehementius in sensorium commune impingunt, faciunt peculiari impulsu (quia ita à natura comparati sumus) *feroces de rebus objectis cogitationes*. Atque hinc fit, ut ejus perceptio & judicium ita depraventur, ut ille nihil nisi de litibus, pugnis, vulneribus, & vindicta cogitans, *perpetuo* de iis rebus *inepta & ferocia loquatur*; *& quemvis obvium invaderet, eumque læderet*, nisi manibus ab adstantibus, vel vinculis injectis, cohiberetur.

Et quia crassæ quædam particulæ spiritibus in cerebro mixtæ, & vehementius in ventriculis agitatæ, in sensorium commune ita impingunt, uti flocci ante oculos volantes in illud mediante lumine impingere solent, idcirco *videtur sibi* noster æger, se *floccos ante oculos volitantes conspicere, eosque in lecti stragulis, dum eas intuetur, manibus captat*. Præ febris ardore, æsophagum & os perpetuo exsiccante, *os ipsi perpetuo aret, & continua torquetur siti*. Ma-

teria bilioſa, quæ aliàs urinam tingere ſolebat, in cerebrum delata, ibi, propter peculiarem cerebri ex hoc morbo diſpoſitionem, manet, atque ideo *urina*, ſufficiente copiâ bilis deſtituta, *pallet*: & quia hæc intemperies cerebri, lacrimalium caruncularum poros plus ſatis aperit, idcirco *ſerum*, quod cum ſanguine per arterias eo defertur, ibi ab eo ſeparatum, per illas carunculas *ex oculis*, *lacrimarum ſpecie*, *erumpit*.

Morbus hic valde *periculoſus* eſt ob perpetuas vigilias, quæ ægrum valde fatigant, & ſpiritus magis incendunt; ac præterea quia princeps pars à bilioſo ſanguine laborat; & hoc delirium non cum riſu, ſed feroce ſtudio, eſt comitatum. Itaque generoſiſſima hic adhibenda *medela*.

Quæ conſiſtet in cauſæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei, per contraria, correctione.

Primò itaque hic injiciatur clyſter:

℞. *hordei mundati p.* j.
fol. lactucæ, violariæ, malvæ, betæ an. m. j.
ſem. 4. frigidor. major. an. ʒij.
prunor. acidor. ℥j.
Coquantur in aq. comm. ad ℔j. *in qua diſſolve:*
caſſiæ pro clyſteribus, *diapruni an.* ʒvj.
ſalis ʒj. *Miſce.* F. Clyſter, mox injiciendus, & quotidie, niſi aliud purgans exhibeatur, repetendus.

Fæcibus alvi per clyſterem hunc vel ſuppoſitorium eductis, aperiatur vena in cubito, vel, ſi hoc admittere æger nolit, in fronte, & ſanguis large educatur: præſentiſſimum enim in hoc malo remedium eſt ſanguinis detractio. Atque ideo ſi venæ ſectio ab ægro non admittatur, fiat ſcariſicatio profunda in cruribus & dorſo cum cucurbitulis. Venæſectio hic reiteranda quoque erit.

Capiti adhibeatur hoc oxyrhodinum:

℞. *olei*

℞. *olei rosacei* ℥ij. *ſ.*
ſucci lactucæ, portulacæ, ſolani an. ℥ij.
aceti roſac. ℥j.

F. oxyrhodinum, cum linteis capiti tepide adhibendum.

Sub noctem exhibeatur hic hauſtus hypnoticus:

℞. *ſyr. papav. errat.* ℥j.
laudani opiat. gr. iij.
aq. lactucæ ℥ſ. Miſce.

Poſtridie exhibeatur hoc purgans:

℞. *ſpec. diaturbith cum rabarb.* ʒj.
ſcammonii gr. vj. *aq. carduibenedicti* ℥iij.
Miſce. F. Hauſtus mane propinandus.

Pedibus, ad diverſionem materiæ morbificæ, adhibeantur columbæ vivæ diſſectæ.

Interius uſurpetur ſerum lactis & tenuis cereviſia pro potu, & talem ſubinde ſumat julepum, vel apozema potius:

℞. *fol. lactucæ, portulacæ, plantag. an. m.* j.
flor. nymphææ, violar. an. p. j.
Coq. ex aq. hord. ad lib. j. *adde ſyr. violacei* ℥iij.
ſalis prunellæ ʒiij. *M.* F. Julapium pro iij. doſibus.

Magnus cordis calor hoc epithemate temperetur:

℞. *aq. roſaceæ lib. ſ.*
nymphææ, bugloſſ., violar., an. ℥j *ſ.*
ſantali rubr., & citrin. an. ʒij.
camphoræ gr. iij. *aceti* ʒiij.
croci ℈ß. F. epithema, cum linteis intinctis cordi tepidè adhibendum. Idem etiam teſtibus adhiberi poterit.

Ubi malum nonnihil miteſcere inceperit, capiti adhibeatur gallina viva diſſecta, vel pulmo vervecis à mactatione calens.

Pro potu etiam utatur hoc infuſo:

℞. *aq. fontis lib.* ij.
fol. acetosæ, papaveris rhæados an. m. ſ.
flor. borrag., nymphææ, violariæ an. p. ſ.
ſpirit. vitrioli ʒj. *ſantali rubr. limati* ℈ij.
Stent in infuſo per horas aliquot: frigidè colentur per chartam emporeticam, & adde ſacchari q. ſ. ad ſaporis gratiam.

Urina hic ſæpe ſubſiſtit, atque ideo monendus æger, ut mingat: quod ſi hoc non ſufficiat, fiat hæc fomentatio ſupra pectinem:

℞. *fol. parietariæ, m.* ij.
petroſelini cum radice m. j.
ſem. ſeſelios, petroſelini, apii an. ʒij.
fiat decoctio in ſ. q. aq. comm. In colatura diſſolve olei ſcorpionum ℥iij. *pro* fotu, *pectini cum linteis adhibendo.*

Hujus decocti reſidentia frigatur in ſartagine cum oleo ſcorpionum q. ſ., & poſt fotum applicetur pectini.

In *diæta* aër ſit temperatus, mediocriter luminoſus. Abſint ab oculis picturæ. Cibus ſit parcus, ex lactuca, intubo, piſcibus ſaxatilibus. Potus ſit cereviſia tenuis. Quies hic conducit. Somnus omni ratione conciliandus. Excrementa alvi & veſicæ bene reſpondeant. Affectus animi, quantum fieri poteſt, ſint blandi.

XVII.

MEDICATIO ADOLESCENTIS, à rabidi canis morſu HYDROPHOBI.

ADoleſcens, annos natus plus minus ſeptendecim, ruri iter pedes faciens, in digito annulari ſiniſtræ manus à cane ra-

nè rabido, insiliente, fuit commorsus. Vulnus, quia erat exiguum, nec ulla de caninâ rabie suspicio, brevi à chirurgo fuit consolidatum. Trigesimo à morsu die cœpit de brachii sinistri dolore conqueri, & aquam metuere. Postero die vinum, cervisiam, & omnia liquida ac fulgida abhorruit. Tertio die nec sonitum, imo nec nomen liquidorum ferre potens, insigniter febricitavit. Pulsus jam est concitatus; multi adsunt sudores. Mens ipsi in reliquis etiamnum sic satis constat.

Partes affectæ hic sunt variæ: *cerebrum*, quod ex aquæ & omnium liquidorum metu: *brachium sinistrum*, quod ex dolore; & *cor*, *ac totum corpus*, quod ex febri, & pulsu concitato, ac sudore innotescit.

Morbus est *Hydrophobia*; sive intemperies venenata, contagiosa, & calida totius corporis, ac præcipue cerebri; aquæ, omniumque liquidorum, & splendentium timorem inducens. Quod causæ & symptomata testantur.

Causa procatarctica hujus affectus est morsus canis rabidi, qui ægrum nostrum in digito annulari mordicus vulneravit. Hinc enim, per contagium, venenum istud rabiosum ipsi, in digito vulnerato, fuit communicatum: quod, è vulnere per venas ad cor, & hinc in cerebrum & totum reliquum corpus, cum sanguine arterioso, distributum, totum sanguinem paulatim infecit. Isque majorem corruptelam indies contrahens, tandem ad tantam pervenit pravitatem, ut *antecedens* hujus morbi evaserit causa. Sanguis autem ille ad cor delatus, ibique præter naturam incensus, per corpus deinde distributus, & in cerebro in pravos spiritus animales conversus, ac perceptionem ibi vitians, *continens* hujus morbi omniumque *symptomatum* est causa.

Nam malignus ille sanguis cor ingressus, ibique, ob nimiam suam dilatabilitatem, supra naturæ modum excalefactus, & in arterias & venas totius corporis propulsus, *febrim, & pulsum concitatum*, febris indicem, *sudoresque copiosos*

pioſos producit. In cerebro verò in ſpiritus commutatus, propter peculiarem ſuæ intemperiei malignitatem, cerebrum ita diſponit, ut *imago lucis, aquæ & cujuſvis alius liquoris*, ſenſibus, remiſcentiâ, vel imaginatione percepti, ingratiſſimum motum ipſi imprimat; atque hinc eæ res *magnum timorem & horrorem noſtro adoleſcenti incutiant.*

Ita enim à natura facti ſumus, ut diverſi motus diverſas in noſtrâ mente excitent cogitationes; ut ex frictione laterum & plantæ pedis, titillationem; punctură nervi, dolorem; & ex omnibus reliquis ſenſibus, per ſolam motus varietatem, varias ſenſationum cogitationes in nobis excitantibus, eſt manifeſtum. Cum autem omnis motus ſive impreſſionis varietas, vel ab objectis, vel medio, vel ſenſoriis, vel omnibus ſimul oriatur, neque hic in objectis liquoribus vel luce, nec in medio, ullum ſit vitium, quod per ſe tales motus producere poſſit; ſequitur motum illum, ſive motus iſtius modificationem, quæ ægro noſtro liquidorum & lucis timorem incutit, à peculiari temperie ſenſoriorum, ſive ſpirituum, cerebri, & reliquorum talium organorum, ubi ab his objectis moventur, originem ducere.

Hinc jam patet hydrophobiam non magis eſſe occultam, quam eſt dolor acutus, qui ex nervi punctura: vel ſcintillatio, quæ ex oculi percuſſione; vel moleſta illa titillatio, quæ ex ſubita lateralium pectoris muſculorum vel, plantæ pedis frictione, percipitur. Nam omnia iſta proficiſcuntur à varia motarum partium temperie; quæ propter inſenſibiles partium particulas incognitas, noſtro quidem judicio, non magis in uno, quam in alio, ſpecificè explicari poteſt.

Atque ex his generaliter maniacorum, phreniticorum, melancholicorum, à tarantula demorſorum, & aliorum delirantium deliria ſatis commode explicari poſſe videntur.

Cum

Cum enim ex vario ſpirituum & cerebri temperamento varii motus, & ex variis motibus variæ oriantur cogitationes; hinc jam facile intelligimus, ſi motus eorum ſecundum naturam fuerint, cogitationes etiam eſſe ſanas; contra vero, ubi illi à convenientibus noſtræ naturæ legibus recedunt, eſſe inſanas; &, pro varietatis ſuæ ratione, varia etiam inſaniarum ſeu deliriorum producere genera.

Morbus hic cum ſit venenatus, & aquæ aliorumque liquidorum timorem, quibus ægri ſitis eſt mitiganda, jam induxerit: cumque hactenus nulla fere eorum ſuppetant exempla, in quibus hic morbus, ubi ad aquæ timorem eſt perventum, remediorum hactenus inventorum ope, ſit ſuperatus: huc accedit, quod ægri in hoc affectu fere nulla aſſumere velint remedia. Itaque *ſpes hic in anguſto eſt.* Imo metuendum, ne ante mortem in caninam rabiem agatur. Attamen non plane hic deſerendus æger: præſertim cum mens ipſi etiamnum conſtet; quo rationibus eo forſan poterit adduci, ut formidatis liquoribus in medelam utatur.

Tentanda igitur *Curatio*: quæ cauſam antecedentem, & continentem; ac malignam illam venenatamque intemperiem corporis, contrariis remediis impugnabit.

Primo itaque talis injiciatur clyſter:

℞. *rad. ellebori nigri* ℥ſ.
fol. malvæ, lactuc., violariæ, borraginis,
endiviæ an. m. j.
Hordei ℥j. *prunor. acidor. par.* viij.
agarici trochiſcati ʒiij.
Coquantur in jure carnium ad lib. j. *ſ.*
Colaturæ addatur hieræ diacolocynthidis ℥j.
ol. violar. ℥j. *ſ. miſce* F. Clyſter mox injiciendus, & alternis diebus, ſi alimenta admittat, reiterandus.

Deinde vena brachii aperiatur, & ſanguis pro ratione virium educatur.

Postea tale fiat vesicatorium:

℞. *cantharid.* ʒvj.
sem. synapi, rad. ellebori albi an. ʒij.
fermenti acidi ʒiiij.
aceti scillit. q. s. misce F. Massa; de qua portiones, linteis illitæ, brachiis, femoribus, & tibiis apponantur, ibique diutius relinquantur. Ulceraque excitata emplastro diachylo diu aperta serventur.

Interim, corpore evacuato, de Palmarii celebratissimo hoc antidoto justa dosis ab ægro quotidie est sumenda:

℞. *fol. rutæ, verbenæ, salviæ, plantaginis,*
polypod., absinthii vulg., artemisiæ.
menthæ, melyssophyll., betonicæ,
hyperici, centaurei minor. an. m. j.

Hæc omnia, justo tempore collecta & exsiccata, redigantur in pulverem subtilem: de quo exhibeantur ægro, cum saccharo, dragmæ tres, mane jejuno ventriculo; & tantundem à prandio, circa horam quartam vel quintam pomeridianam. Vel, si per os recipere recuset, duplum mane & vesperi, cum apto & sufficienti liquore, injiciatur per anum.

Magnopore etiam in hoc affectu commendatur pulvis factus è vulgaribus serpentibus, capite & cauda truncatis, evisceratis, cute nudatis, & in olla vitrata super lento igne perpetuo agitando, exsiccatis. Hujus pulveris sumatur mane à jejuno quotidie dragma una, cum syr. de limonibus, in pilulas redacta; & similis dosis circa vesperam reiteretur. Utilissimum quoque, est antidotum illud illustre Æschionis, ex cancrinorum cinerum partib. x, gentianæ part. v, & thuris part. j. paratum, & duorum cochlearium quantitate quotidie bis exhibitum.

Celsus unicum ait hydrophobiâ oppressis remedium esse non opinantem ægrum in piscinam, non ante ei prævisam,

sam, projicere, ac, si natandi peritiam non habeat, modo mersum bibere pati, modo attollere; si habet, interdum deprimere, ut invitus aquâ satietur. Imo passim observatur, quod demorsi à cane rabido, si ante hydrophobiam in mari ter quaterve sub aquis fortiter demergantur, ab omni rabie & aquarum metu maneant immunes: *propterea quod* aqua ita adhibita vim habeat, ad venenum istud ita figendum, ut postea nunquam ullam efferveſcentiam, rabiem vel hydrophobiam efficientem, excitare possit. Potest itaque etiam hoc remedium in ægro nostro tentari eo modo, quo præscribit Celsus; vel, more nostratibus solito, poterit mari immergi.

In *Victus ratione*, aër sit temperatus. Potus sit cerevisia tenuis; ad cujus usum omni ratione est adigendus. Cibus sit humectans & refrigerans, ex jusculis vel carnibus cancrorum, vervecum, & pullorum gallinaceorum, asparagis, acetosâ, endiviâ, & cichorio alteratis, & parce exhibitis. Somnus omni studio promovendus. Affectus animum perturbantes fugiendi; omnibus ad gratiam ægri, quoad licet, comparatis.

XVIII.

MEDICATIO ADOLESCENTIS, COMATE VIGILI LABORANTIS.

ADolescens quindecim annorum, febri continua, eâque satis fervidâ, laborans, sæpe ex lecto prosilit mutus ac oculis clausis, dormienti similis; quamvis perfecte non dormiat; tumque caput reliquumque corpus in parietes illidit, tanquam exitum quærens. In lectum relatus, corpus varie jactat, oculosque clausos vel conniventes habet. Si quis ipsum alloquatur, vel

attingat, nihil articulatè respondet: sed inconditum sonum, instar mugitus, edit.

Afficitur in hoc ægro, præter *cor*, cujus affectio ex febri est manifesta, etiam *cerebrum*; quod ex mentis stupore, oculis instar dormientium clausis vel conniventibus, & corporis illo inconcinno & inconveniente motu & jactatione, patet.

Morbus, qui ipsum, cum febri continuâ, affligit, est intemperies pituitosa cerebri, cum magno spirituum animalium, in cerebro & ejus ventriculis existentium, fervore conjuncta; quæ somnolentiam, vereque dormiendi impotentiam, simul inducens, *coma vigil* appellari solet.

Causa *antecedens* hujus morbi est congeries pituitosorum, biliosorum, ac putridorum humorum, in toto corpore existens. Pars verò ejus pituitosa in cerebrum copiosius delata, illudque gravans; & biliosa in spiritus fervidos conversa, & ventriculos cerebri distendens, inordinateque movens, *continens* hujus morbi, symtomatumque in historia commemoratorum est causa.

Morbus hic, propter cerebrum & cor tam graviter affectum, maximum vitæ periculum; & præterea phrenitidis vel lethargi metum inducit.

Curatio itaque diligentissima adhibeatur. *Eaque* in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

Mox itaque vena secetur, sanguisque pro ratione virium, ad revulsionem & evacuationem, educatur.

Talisque clyster injiciatur:

℞. *decocti emollientis lib.* j.
in qua dissolve el. diaphœnici, diapruni an. ℥vj.
ol. violacei, camomill. an. ℥j. *salis* ʒj.
Misce. F. Clyster, *aliquoties iterandus.*

Vel

Vel subinde purgari etiam poterit tali haustu, si eum admittat:

℞. *diaphœnici, diapruni an.* ℥ß.
aq. decoct. hordei q. s. Misce. F. Haustus.

Oxyrhodinum etiam capiti ex aceto acerrimo, ol. rosar. & camomillino, tepide, per triduum adhibeatur.

Postea, pro cerebri corroboratione & materiæ discussione, fiat oxyrhodinum vel capitis inunctio ol. camomillino, costino, irino, cum aceto, in quo pulegium est incoctum vel maceratum.

Corpore evacuato, cucurbitæ cum scarificatione collo & dorso etiam sunt adhibendæ.

Ad sitim & ardorem detur tale julapium:

℞. *aq. decoct. hordei lib. s.*
syr. violacei, de succ. limonum an. ℥j.
rob. de ribes ℥ß. Misce.

vel ℞. *rob. de ribes* ℥j.
syr. violacei, de limon. an. ℥ß. F. Mixturâ:
de qua subinde aliquid detur ex cochleari.

Versetur in aëre temperato. Nutriatur jusculis vervecinis & gallinaceis, alteratis endiviâ, acetosâ, lactucâ, item lacte amigdalato cum decocto hordei facto. Potus sit cerevisia tenuis. Teneatur quietus; à turba remotus.

XIX.

MEDICATIO JUVENIS, AURIS DOLORE LABORANTIS,

Juvenis 28 annorum, robustus, plethoricus, intensissimo afficitur dolore dextræ auris, quo pene ad delirium adigitur. Adest febricula continua; distensionemque, gravitatem, ac calo-

rem, pulsationemque, non tantum foris, sed etiã intus in aure percipit. Rubor & calor ad tempora & malam usque portenditur. Interiora quoque auris aliquomodo tumere & rubere conspiciuntur.

Afficitur in hoc ægro *auris dextra* secundum partes internas & externas; quod ex querela ægri, item ex rubore, tumore, pulsatione, & calore, circa aurem & in aure perceptis, est manifestum. Afficitur etiam *cor* & *totum corpus*; ut ex febricula colligitur.

Morbus, qui ægrum affligit, est intemperies sanguinea & biliosa auris dextræ; quæ dolorem, calorem, tumorem, pulsationem, gravitatem, & tensionem, in ea & vicinis partibus, item febrim continuam producens, à potiore symtomate *otalgia* græcè, & *dolor auris* latine appellari solet.

Causã antecedens hujus morbi est plethora nostri ægri; pars verò ejus ad aures à corde propulsa, & ibidem, propter poros ibi justo magis patentes, auris partibus internis & externis insinuata, ibique corrupta, & inde cum fervore ad cor delata, *continens* hujus morbi & symptomatum ejus est causa.

Dum enim humor sanguineus biliosus, partibus istis insinuatus, nimiâ suâ quantitate partes auris & vicinorum membrorum replet & expandit, *facit in iis tumorem, roborem, gravitatem & distentionem*; & ob *arteriarum* ex quantitate ista nimia allapsorum humorum pressionem, eorum *pulsationem*. Dum verò vehementi suo fervore, quem ab ætherea materia, vehementius in poris ejus se agitante, accipit, membranas, nervos, aliasque acutissimo sensu præditas auris, temporum, & malæ partes, vehementissime agitat, eumque motum ad cerebrum defert, *intensissimum in iis partibus excitat dolorem*, qui, ob suam vehementiam, *ægrum nostrum ad insaniam pene redigit*.

Morbus hic, ob doloris vehementiam, & acutum partium affectarum sensum, & cerebri sympathiam, periculosissimus

simus est. Metus enim est, ne dilirium, lipothymiam, cerebri inflammationem, & convulsionem, aliaque gravissima inducat symtomata.

Celeri itaque & accuratissima *curatione* hic morbus est impugnandus; quæ in intemperiei & tumoris, per contraria, ablatione, & doloris sedatione, consistet.

Primò itaque tali clystere emolliente, refrigerante, & laxante, fiat corporis evacuatio:

℞. *rad. althææ, lilior. alb. an.* ℥j.
herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ, lactucæ an. m. j.
sem. lini, fænigræci an. ℥ß.
coq. ex aq. com. ad lib. j.
Colaturæ adde el. diaphænici, diapruni an. ʒvj.
ol. violacei, camomillor. an. ℥j. *salis comm.* ʒj.
M. F. Clyster, *mox injiciendus.*

Corpore expurgato, & horâ unâ atque alterâ intermissâ, vena, in dextro brachio, aperiatur, sanguisque liberaliter, ad uncias decem præter propter, educatur: & clyster atque venæsectio sequenti die reiterentur.

Interea temporis ad revulsionem humorum, ac intemperiem corrigendam, doloremque sedandum, tale medicamentum auribus instilletur:

℞. *lactis muliebris recenter emulcti* ℥ij.
albuminis ovi in liquorem agitati ℥ß.
Misce, & instilletur in aurem tepide.
citra vehementem auris contactum.

Oleum etiam rosarum cum succo plantag. & solani, si ardor ingens sit, instillari potest, præsertim si ei aselli vivi incocti & expressi fuerint: dolorem enim valde sedant.

Tali etiam utatur fotu:

℞. *malvæ, bismalvæ, violariæ, lactucæ, an. m.* j.
sem. cydonior., malvæ an. ʒj. ß.
flor. camomill., meliloti an. p. j. *flor. ros. rub. p.* ß.

F. deco-

F. Decoctio, *qua pars affecta leviter & tepidè, cum ſpongia madefacta & expreſſa, foveatur.*

Et poſt fotum tale imponatur cataplaſma:

℞. *herb. malvæ, biſmalvæ, chærefolii an. m.j.*
farin. ſem. lini, fænigræci an. ℥ß.
medullæ panis candidi ℥ij.
cum lacte vaccino F. Cataplaſma, *tepide cum linteis applicandum.*

Hoc cataplaſma reſolvit, & ſi materia reſolvi non poteſt, etiam ſuppurationem procurat.

Si doloris ſumma vehementia urgeat, tale narcoticum adhiberi poterit:

℞. *opii thebaici gr.* iiij.
caſtorei, croci an. gr. j. *ſ.*
cum lacte muliebri q. ſ. ſubigantur, & in aurem inſtillentur.

Et ſub tempus ſomni exhibeatur philonii perſic. ℈j. vel laudani opiati gr. iij.

Ad ſuppurationem maxime commendatur tale cataplaſma ex cæpa factum:

℞. *cæpam majorem N.* j.
butiri recent. ℥ij.
ol. camomill., roſac. an. ℥j. *croci* ℈j.
F. cataplaſma, *quod moderate calidum parti adhibeatur.*

Factâ ſuppuratione, æger in partem affectam decumbat, ut pus commode effluat; & eluatur auris tali remedio:

℞. *decocti hordei* ℥iiij. *mell., roſar.* ℥j.
Miſce; & inſtilletur in aurem tepide.

In *diæta Aër* ſit temperatus. *Cibus* parcus, refrigerans. *Potus* cereviſia tenuis, & julapium ex ſyr. de limonibus & aqua hordei. *Motus* vitetur; concilietur omni ratione *ſomnus*; atque ideo utatur lacte amigdalato cum ſyr. & ſem. paveris

paveris albi. *Alvus* quotidie respondeat naturâ vel arte. Vitet omnia vehementiora animi pathemata.

XX.

MEDICATIO VIRI,

Surditate, Tinnitu aurium, & Gravitate auditus LABORANTIS.

VIr triginta duos annos natus, postquam diu crapulâ se fatigasset, incidit in tinnitum aurium, quem postea, jam à sex mensibus, insecutus est sinistræ auris, primò gravis auditus, & deinde surditas. Huc jam accessit tinnitus & gravitas auditus auris dextræ.

Afficitur in hoc ægro *utraque auris* secundum nervos auditorios; quod ex surditate, gravitate auditus, & tinnitu aurium est manifestum.

Morbus sinistræ auris est obstructio vel compressio nervi auditorii, ab humore pituitoso facta; quæ auditûs privationem ibi inducens, *surditas* dicitur. Dextræ verò auris morbus est intemperies humida crassa & flatulenta nervi auditorii; quæ imminutum auditum, & tinnitus sonum, in ea excitans, *gravis auditus & tinnitus aurium* nuncupatur.

Causa procatarctica horum morborum est crapula, quâ hic vir se diu fatigavit. Inde enim curditas, & deinde pituitosi in toto corpore humores ex cruditate fuerunt geniti qui invasis cerebri contenti, causam *antecedentem*; ex vasis vero in nervos & vicinas aurium partes postea effusi, *continentem* horum morborum, & symtomatum, constituunt causam.

Dum enim humores isti propter crassitiem suam, & debili-

tatum cerebri calorem, in flatus circa nervum auditorium convertebantur, impingebant illi vehementius in nervi istius fibrillas, atque etiam in tympanum, atque hinc motu suo excitabant *tinnitus sensationem*: ii vero postea leviter circa aurem sinistram incrassati, & in nervorum sinistræauris cavitates impacti, primum nervorum fibrillas leviter ibi compresserunt, & obturarunt; atque hinc ortus est *gravis sinistræ auris auditus*: ab iis verò, postea ibidem magis auctis & incrassatis, tanta nervi auditorii compressio & obstructio est orta, quæ motum omnem, à sono nervis impressum, ad cerebrum deferri impediens, *surditatem in ista aure excitavit*. Humoribus verò ad nervum auditorium dextræ auris delatis, ibique partim in flatus conversis, & in nervi istius fibrillas vehementius impingentibus, *tinnitus*; in nervum verò nonnihil impactis, & fibrillis nervi iis nonnihil compressis vel obstructis, *gravis auditus dextræ auris* etiam *supervenit*.

Quoniam hic affectus jam sex duravit menses, & paulatim incrementum sumsit, *metus est*, ne ob diutinam illam moram, materia ita nervo auditorio sinistro sit affixa, ut nunquam inde tolli possit, & surditas ibi maneat perpetua. Et quia cerebrum hic valde est affectum, metuendum ne auctis humoribus, surditas etiam dextram aurem occupet.

Quia tamen hæc predictio non est necessaria; ideoque *Curationem* inchoandam existimo. *Eaque consistet* in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, intemperieique per contraria correctione.

Primo itaque purgetur æger bis terve his pilulis:

℞. *pil. cochiar., sine quibus esse nolo an.* ℈ß.
scammonii gr. xij. *cum syr. ros. sol. q. s.*
F. pilulæ N°. *v, mane sumendæ,*
& singulis septimanis bis repetendæ.

Singulis

Singulis etiam menſibus admoveantur tribus diebus continuis cucurbitulæ ſine ſcarificatione poſt aures, & utrinque in ſcapulis, & humeris : ut hac ratione humores ab auribus revellantur, & ex iis educantur.

Utatur etiam mane & veſperi lotionibus pedum, cum camomillor., meliloti, majoranæ, hyſſopi, & roriſmarini decocto inſtitutis. Nocturno verò tempore talem cucupham capiti imponat:

℞. *rad. iridis florent.* ℥ſ.
calami aromat., cyperi, acori an. ʒj.
fol. ſiccor. majoranæ, meliſſæ, ſalviæ,
roriſmarini an. m. ſ.
flor. ſtæchad. arab., ſpicæ nardi an. p. j.
cinnamomi, macis, cariophyl., benzoini an. ʒſ.
Omnia in pulverem redacta excipiantur cotone moſchato,
& cum panno ſerico interpuncto,
F. Cucupha, *noctu geſtanda.*

Interdiu ſub pileo in capite gerat cucupham ex corio hiſpanico ; quales jam in frequenti uſu eſſe inter juvenes & ſenes obſervamus.

Mane jejunus, & veſperi ſub horam quartam, hoc utatur maſticatorio:

℞. *rad. pyrethri, angelicæ, zedoariæ, an.* ʒj.
ſem. ſtaphid. agriæ, ſynapi,
nucis moſchatæ, fol ſennæ an. ʒſ.
Pulveriſentur, & addatur parum maſtiches, ac cum ceræ q. ſ. formentur Globuli maſticatorii:
de quibus maſticetur unus prono capite,
frequenter exſpuendo.

Noctu dormitum iturus auribus hanc aquam indat:

℞. *aq. fæniculi,*
ſem. carui poſt olei extractionem remanentis an. ℥j.
ſpiritus juniperi ℥ſ.

Miſce, & de hoc liquore inſtillet aliquantulum in aures, addendo ſemper guttam fellis carpionum; & poſtea ſinat effluere, ac deinde indat auribus cotonem, in quo moſchus fuit ſervatus, vel in quo moſchi pulvis eſt diſperſus.

Mane ſuffitum etiam auribus excipiat per infundibulum, ex hoc calido decocto:

℞. *fol. lauri, rutæ, origani, hyſſopi, majoranæ an. m.* j.
abſinthii, mentaſtri an. m. ſ.
flor. ſtæchad. celticæ. m. j.
baccar. lauri, juniperi an. ℥ſ.
ſem. aniſi, fæniculi, carui, cymini an. ʒj.
Decoquantur in vino albo q. ſ. ad tert. part. conſumtionem, & halitus calidus aure per infundibulum excipiatur.

In *aëre* verſetur calido & ſicco. *Victus* ſit tenuis, & paucus: & famem aliquando ſuſtineat. Vitet repletionem, & omnes cibos craſſos & tenaces, qualis caſeus & legumina. Cibi condiantur ſemine aniſi, fæniculi, cymini, petroſelini. *Potus* ſit vinum & cereviſia mediocris. *Exercitium* ſit moderatum. *Alvus* ſit ſoluta arte vel naturâ.

XXI.

MEDICATIO JUVENIS,

Hæmorrhagiâ Narium

LABORANTIS.

JUvenis robuſtus, viginti duos annos natus, ex intemperantiore diæta incidit in febrim ſynocham, ardore febrili continuo, ſed blandiore, ſeſe manifeſtantem. Hic poſtquam aliquoties poſt venæ ſectionem eſſet purgatus, & julapiis convenientibus alteratus. ex mulierculârum conſilio ſumſit medicamentum, neſcio quod, vomitum ingentem, cum roſione ventriculi, excitans;

tans; quem insecuta est tanta narium hæmorrhagia, ut plus quam 4 libræ sanguinis ex iis jam sit evacuatum; eâque vires ita sunt debilitatæ, ut jam animam agere videatur.

Præterquam quod in hoc ægro à febri afficitur *cor & totum corpus*, afficiuntur etiam ejus *ventriculus & nares*; quod ex vomitu, & sanguine è naribus tam copiosè fluente, est manifestum.

Morbus præcipuus, qui ipsum jam potissimum affligit, est diæresis & diapedesis vasorum narium; quæ, copiosum sanguinem ex iis emittentes, *Hæmorrhagia narium* appellantur.

Causa procatarctica hujus morbi est intemperantior illa diæta, qua copiosus sanguis in corpore genitus, corruptelamque certam febrilem contrahens, ac synocham febrim producens, *antecedentem* hujus morbi constituit causam. Is vero vomitorio assumto vehementius agitatus, & in naribus vasorum diæresin & diapedesin excitans, copiosissimumque illum sanguinem ex iis effundens, eoque vires ægri summopere prosternens *continens*, hujus morbi & symtomatum est causa.

Morbus hic, propter prostratas ægri vires, est *periculosissimus*. Ideoque neglectâ ad tempus febri synochâ, quæ forsan hoc sanguinis fluxu cessabit, *Curatio* ejus protinus est aggredienda.

Eaque in humorum ventriculi acrium attemperatione, solutionis continui vasorum narium unione, & nimii sanguinis fervoris & motus temperatione & moderatione, consistet.

Itaque primò sumat dragm. jß. salis prunellæ, quod in vnc. ij. aq. plantaginis sit dissolutum: & porro præscribatur tale lac amigdalatum, ad acrimoniam humorum temperandam; & vires restaurandas:

℞. *amigdalar. dulc.* ℥j. *ß.*

ſem. 4. friz. major. an. ʒj.
papaveris albi ʒiij.
cum aq. decoct. hord. q. ſ. F. Lac amigdalatum *ad lib.* j. *de quo ſubinde ſumat* ℥ij. *vel* ℥ iv. *quantitatem.*

Et mox in nares inſerantur turundæ ex cotone factæ, & atramento, fuligine fumarii, & aceto roſaceo, imbutæ.

Ac præterea acetum roſaceum in aures inſtilletur.

Item linteum, in aceto madefactum, collo frigidè erit obvolvendum, & teſtibus adhibendum aliud linteum, aquâ plantaginis frigidiſſimâ imbutum.

Ac ligaturæ arctiores brachiis & cruribus erunt injiciendæ.

Cucurbitæ quoque hypochrondriis & ſcapulis ſunt adhibendæ; venæ ſectio vero, ob magnam ſanguinis emiſſi copiam, hic prætermittenda.

Victus ſit reſumtivus ex ovis ſorbilibus, juſculis gallinaceis & vervecinis, cum pane candido, & vino tenui oligophoro. Motus corporis, & vehementiora vitentur animi pathemata. Somnus ſit paulo longior. Alvus ſit arte vel natura laxior.

XXII.

MEDICATIO VIRI, POLYPO LABORANTIS.

Vir quidam craſſus & obeſus, ex lapſu vehementiore, in naſum aliquando facto, jam in ſiniſtra nare carnem habet mollem, ſubrubram, totamque narem adimplentem, eamque valde dilatantem, & ex ea aliquantum propendentem. Hæc brevi crevit, indieſque valde augetur. Adnata eſt narium interſtitio. Reliqua

liqua vero istius cavitatis interior superficies, à connexione fere libera, stylum immissum facile transmittit. Quando hæc caro fortius stylo premitur, sanguinem copiosum profundit.

Afficitur in hoc ægro *narium sinistra*; quod ex carne, ejus cavitatem replente, & interstitio narium ibi adhærente, patet.

Morbus, qui eum affligit, est tuberculum quoddam carnosum, molle, subrubum, quod radicibus, sive pediculis quibusdam, interstitio narium, in sinistra nare, adhærens, cavitatemque ejus adimplens, & distendens, foriſque ex ea aliquantum propendens, à similitudine cujusdam piscis marini, vel à pedum suorum multitudine, *Polypus* vulgo nominari solet.

Morbus hic ex vehementiore nostri ægri, in nasum lapsu, *originem primam* duxit. Hinc enim pori vasorum, & partium circa interstitium narium, in sinistra nare existentium ita aperti & male figurati fuerunt, ut inde primum à pauco humorum allapsu nascerentur hujus Polypi pedicili, sive radices; in quas, cum, propter earum certam conformationem, humores sanguinei copiose influerent, illi ita fuerunt dispositi, ut ibi *caruncula quædam mollis & subrubra*, primum exigua, & deinde ex copiosioribus, non tantum à capite, sed etiam à reliquo corpore, eò affluentibus humoribus, *grandior; narem replens, eamque distendens, & ex ea nonnihil propendens, ac passim magis magisque augescens, stylumque immissum per naris sinistræ interiorem superficiem ubique, excepto eo loco, ubi ejus pediculi interstitio narium adhærent, facile transmittens, & stylo fortius pressa, sanguinem copiosum profundens, fuerit nata.*

Morbus hic *periculosus* est, quia in cancrum aliquando degenerare solet; & in fauces usque progrediens, suffocationis periculum inducit; & quia, difficulter remedia ad radices hujus excrescentiæ pervenire possunt, *difficilis* ejus

sæpe

sæpe solet esse *Curatio.*

Eaque in humorum allapsu impediendo, & carnis istius exstirpatione, & pororum vitiatorum correctione consistet.

Primum itaque corpus universaliter purgetur tali medicamento catharctico; ubi venæsectio in brachio sinistro pridie præcessit:

℞. *Pil. Coch., de Hierâ an.* ℈ j.
Scammon. opt gr. vij.
Cum syr. ros. sol. q. s. F. Pilulæ No. vij.
Mane jejuno ventriculo exhibendæ.

Deinde cucurbitulæ sex vel octo, cum scarificatione, scapulis & summo humero adhibeantur.

Postea forcipe apprehendatur polypus, & satis validâ tractione tentetur ejus, cum radicibus, eductio; quæ in multis ægris satis feliciter cessit.

Si huic chirurgiæ Polypus, propter nimis fortem suam adhæsionem, non cedat, ad Pharmaciam erit deveniendum.

Polypo itaque oleum vitrioli, cum stylo panno involuto, in eoque intincto, erit adhibendum; & indies bis terve polypus eo erit obiter madefaciendus vel tangendus.

Et deinde quotiescunque polypus oleo vitrioli ita tactus fuerit, in narem, illic ubi patet, intrudatur exiguum linteolum inunctum unguento Ægyptiaco, cui pulvis tenuissimus corticum granatorum est admixtus, & parum olei vitrioli est additum; idque ita adhibeatur, ut pars lintei inuncta polypum tangat.

Horum usu polypus denigrari & putrescere incipiet: tumque portio corrupta à chirurgo, ope penicilli indies erit eximenda: eâque exemtâ repetendumerit oleum, & unguentum jam commemoratum: quo sanguinis profusio quæ hanc corruptæ carnis exemtionem sequi solet, mox sistetur. Ubi

Ubi radix Polypi hac ratione fuerit ablata; ne recrescat, sed integre consolidetur, turundulæ fiant, ex unguento tutiæ, adeo spisso, ut in formam turundæ vel suppositorii, formari possit; talisque una, sequenti aquæ viridi bene intincta, & nari inserta, ab ægro aliquandiu gestetur:

℞. *Æruginis æris* ʒ. j.
Auripigmenti ʒ j ß.
Terantur subtilißime, & coquantur in vini ʒiij.
ad mediæ partis consumptionem: ubi refrixerint, adde aq. rosar. & solani an. ʒ i ß.

Si polypus postea rursum pullulet, oleo vitrioli rursus erit tingendus.

Victus ratio hic exsiccans est adhibenda.

XXIII.

MEDICATIO VIRI, OZÆNA LABORANTIS.

Vir 32 annorum, postquam antea diu defluxionibus acribus, ad nares & fauces delabentibus, laborasset; incidit in narium & palati erosionem; osficulumque quoddam putridum, cum fætido pure & sanie, postea excrevit, aliaque deinde osficula illud sunt secuta. Malum hoc paulatim ita incrementum sumsit, ut jam in naribus, circa earum interstitium, quod ex parte est exesum, atque etiam in palato, solutio continui satis magna & profunda appareat; fætidaque sanies frequenter inde exstillet.

Affectum fuit in hoc ægro *cerebrum*; quod destillationes diuturnæ, quas noster æger est passus, arguunt. Afficiuntur etiam *nares & earum interstitium, item palatum*: quod eorum erosiones, & exulcerationes satis clare demonstrant.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est Ulcus narium & palati fætidum, putridum & sanioſum, item latum & profundum; quod à Græco verbo ὄζω, id est, oleo, sive fæteo, deductum, vulgo *Ozæna* dicitur.

Isque ab acribus humoribus ex toto corpore, sed præcipue ex superioribus capitis partibus, tum in nares, tum in palatum decumbentibus, easque partes primum acrimoniâ suâ erodentibus, ac deinde diuturnitate defluxûs, etiam exulcerantibus & exedentibus, & putredinem iis inducentibus, originem duxit.

Morbus hic *periculoſiſſimus* est, primum ob diuturnas fluxiones, quæ hunc morbum produxerunt: & deinde propter eroſionem, non tantum partium mollium, sed etiam ossium, & putredinem eorum:

Curatio in humoris generatione, & illapsu impediendo; & ulceris consolidatione, consistet.

Primum itaque utatur talibus pilulis:

℞. *Aloes roſatæ gr.* xij.
Scammonii ϑ ß.
Olei cariophyll. gut. j.
F. Pilulæ N°: iv. *mane ſumendæ.*

Postridie venæsectio adhibeatur in brachio dextro, pro ratione virium, ad ℥ vj. vel viij.

Deinde per quatriduum utatur sequenti Apozemate; sumendo ℥ iij. vel iv. pro dosi:

℞. *rad. Cichor., fænic.,*
graminis an. ℥ j.
Polypod. querc. ℥ ij.
Herb. beton., primul. veris, ſcabioſ.,
ceterach, veronicæ, agrimoniæ an. m j.
Sem. fænic., aniſ. an. ʒ ij.
Liquirit. raſ. ℥ ß *Paſſular.* ℥ j.
Decoq. in aq. hord. q. ſ. ad ℔. i ß. *addendo.*

ſub

sub finem decoctionis, fol. sennæ ℥ iß
Mechoacan. ʒ iij. *In Colatura dessolve*
Syr. de cichor. cum rheo ℥ iß.
Misce F. Apozema.

Corpore ita expurgato, sequenti decocto sudorifero, prout vires ferent, utetur:

℞. *Scobis ligni guajaci* ℥ vj. *cort. ejusd.* ℥ij.
Aq. communis ℔. viij. *Macerentur in*
loco calido per 24. horas. Postea lento
igne decoquantur ad dimidiæ partis con-
sumtionem. Et colaturæ ℥ vj. *dentur mane,*
corpore bene tecto, ad proliciendos sudores.

Et ℞. *residen. prior. decoct., eique adde scobis*
lign. guajaci recent. ℥ ij. *& denuo affun-*
de aq. ℔. xiij. *& F. decoctio ad tertiæ par-*
tis consumtionem. Colatura usurpetur pro
potu ordinario.

Consultum etiam erit, non tantum cucurbitas sine & cum scarificatione, collo & humeris, sed etiam setaceum, vel fonticulum cervici, ad humores versus posteriora revellendos, adhibere.

Dum hæc fiunt, quotidie bis ulceri narium, cum turundis illitis, adhibeatur tale Unguentum:

℞. *Lithargyr. aur., plumb. ust., lap. calamin., cerussæ an.* ℥ ij.
succor. geranii robertiani, sempervivi, solatri. an. q. s.
Pulverisanda pulverisentur, eaque mixta indantur in
mortarium, quibus primò cochleare plenum olei rosacei
affunde, & postquam aliquantum pistillo agitaveris,
omniaque probe commiscueris, cochleare plenum ex
succis præscriptis admisce, quibus itidem agitatis &
commixtis, mox iterum affunde olei parum & agita:
Idque tam diu alternatim & continuo agitando facito,
donec ad ℥ iiij. *olei rosacei, & tandundem præscripto-*

rum ſuccorum impenderis. Atque ita fiet Unguentum, ad hujuſmodi maligna ulcera ſanauda utiliſſimum.

Ulceri vero palati turundæ, ſequente ſyrupo imbutæ, ſubſequente pulvere conſperſæ, bis in die etiam imponantur:

℞. *rad. ſcrophulariæ majoris* ℥ ij.
fol. & flor. beton., agrimon., veron., ſcabioſ., fumar., pyrolæ, ſanic., alchymil. an. m. ij.
Coquantur herbæ & radices in aq. comm. ad tertiæ partis conſumtionem. Colaturæ prælo expreßæ adde ſucci geranii robertiani, mellis opt., ſacchar. alb. an. ℔. j.
& fiat ſ. a. Syrupus.
℞. *rad. angel., ariſtol. rotund., iridis florent., caryophyllatæ,*
ligni. guajaci an. ℥ ß. *cinnamom.* ʒ ij.
Hæc mixta contundantur in mortario, ut
F. Pulvis ſubtiliſſimus.

Hæc inquam, bis in die reiterari debent; & extractis turundis, antequam recentes imponantur, tota cavitas naſi ſequente liquore, ſiphone injecto, penicillis etiam eo imbutis, erit eluenda.

℞. *ſuccor. plantag., geranii, aq. ranarum aquaticar., an.* ℥ j. ß. *Syrupi ſuperius præſcripti* ℥ j.
Miſce pro injectione.

Ulcus ubi conſolidatum fuerit, ſi ex palato in nares tanta ſit apertura, quæ locutionem commodam impediat, lamella quædam cum anſulâ ſuperiori ejus parti affixâ, cui ſpongiola affigi poterit, erit fabricanda: ea enim ubi cum ſpongiolâ alligatâ palato recte erit adhibita, locutionem ſatis articulatam in hoc viro efficiet.

In victu, vitentur omnia, quæ acres ſuccos gignunt; item

item exercitia vehementiora, vigiliæ, & vehementes animi affectis.

XXIIII.

MEDICATIO VIRI,

Ophthalmiâ laborantis.

VIr triginta annorum, habitu corporis eusarco, jam ab aliquot diebus laborat utriusque oculi magno dolore, & rubore adnatam tunicam occupante. Præterea palpebræ valde tument. Adest etiam pruritus & ardor magnus, ac lacrymarum continuus & copiosus ex oculis effluxus. Accessit tandem etiam visionis aliquis defectus, tanquam si fumus oculis objectus accuratam rerum visibilium perceptionem impediret.

Afficiuntur in hoc ægro *oculi*, secundum *tunicam adnatam*, quod probat ejus rubedo, pruritus & ardor; item secundum *tunicam corneam*, vel forsan etiam secundum *humores oculares*, ut indicat ille visus defectus. Afficiuntur etiam *palpebræ*, ut ipsarum docet tumor. Atque etiam *caruncula lacrymales*, ut constat ex perpetuo lacrymarum effluxu.

Morbus, qui ipsum molestat, est intemperies sanguinis biliosa ac serosa tunicæ adnatæ oculorum; quæ ruborem, pruritum, ardorem, & lacrymas, ac palpebrarum tumorem, hic excitans, *Ophthalmia* appellatur.

Causa antecedens hujus morbi sunt humores sanguinei & biliosi, in vasis corporis hujus eusarci contenti: pars vero eorum calidior, in oculorum tunicam adnatam & vicinas alias, ac palpebras, propter eorum poros nimis apertos, sese effundens, *continens* hujus morbi, & symtomatum, est causa.

Dum enim *humor* ille in partes illas sese effundit, quan-

titate ſua *facit* in illis *tumorem*, colore rubro *rubedinem*, acrimoniâ & calore *ardorem, dolorem, & pruritum*; unde ſpiritus in cerebro ita determinantur, & pori cerebri tales aperiuntur, meatuſque vaſorum, qui ſunt circa carunculas lacrymales, hinc ita reſerantur, ut *ſerum* ſanguinis per illos copioſe & perpetuo à reliquo ſanguine ſeparatum, & ex oculis emanans, *perpetuas & copioſas lacrymas ex oculis ægri effundat.*

Dum vero humor hic in tunicam corneam ante pupillam, & in oculi humores aliqua ſua parte ſe effudit, induxit aliquam iſtius tunicæ & humorum ocularium opacitatem, & hinc *talem viſus defectum, quo æger ſibi, tanquam per fumum, objecta viſibilia percipere videtur.*

Morbus hic *periculoſus eſt*; cum exulcerationem oculi, & effuſionem humorum ocularium, ac cæcitatem inducere poſſit.

Ideoque tempeſtive *Curatio* eſt inchoanda: quæ conſiſtet in cauſæ antecedentis, continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

Primò itaque educatur ſanguis ex brachio, per venæſectionem, ad uncias octo.

Poſtridie purgetur talibus pilulis:

℞. *pil. cochiar.* ℈j *ſ.*
ſcammonij ℈ſ.
cum aq. fæniculi F. pilulæ No. vij.
quas deglutiat mane jejunus.

Nuchæ applicetur tale veſicatorium:

℞. *cantharidum pulveriſ.* ℈j.
fermenti acris ʒij.
cum aceto q. ſ. F. veſicatorium, *ad magnitudinem nummi imperialis, ſuper linteo extendendum, & poſteriori cervici, infra capillos, applicandum.*

Ubi

Ubi vesicæ excitatæ fuerint, folia brassicæ applicentur; ut ex iis, aliquamdiu apertis, serum copiosum educatur.

Applicari etiam poterunt collo cucurbitæ per biduum; eæque tertio die scarificari.

Oculis adhibeatur tale collyrium:

℞. *aq. plantag.* ℥j.
nymphææ, papaveris,
rosar. an. ℥ß.
sief albi, tutiæ præparatæ an. ℈j.
vitrioli albi gr. viij. *misce* F. Collyrium,
de quo gutta una vel altera oculis instilletur, & petiolæ eo imbutæ oculis noctu,
&, si necessitas urgeat, etiam interdiu,
imponantur; eæque, ubi exsiccatæ fuerint, rursus madefiant.

Temporibus, supra oculos, applicetur utrimque emplastrum contra rupturam, ad defluxionem cohibendam, magnitudine quadrantis daleri imperialis.

Vel ejus loco adhibeatur tale emplastrum.

℞. *bol. armeni* ʒij.
mastiches ℥ß.
sanguinis draconis ʒj.
pulv. gallar. ℥ß.
Excipiantur ovi albumine & aceto, ac illinantur linteo, & F. duo emplastra, *temporibus supra oculos utrimque applicanda.*

In aëre versetur temperato. *Cibus* sit refrigerans & paucus. *Potus* cerevisia tenuis. *Motus* vitetur. *Somnus* sit longior solito. *Excrementa* alvi respondeant quotidie, vel naturâ, vel arte. *Perturbationes* animi vitentur.

MEDI-

XXV.

MEDICATIO VIRI,

Cataractâ confirmatâ & incipiente laborantis.

VIr triginta quinque annorum, chymicis operationibus, apud fornaces ardentes, incumbere solitus, post visus defectum in siniſtro oculo, cum nubeculis ante illum volare visis, & majore obscuritate posteâ insecutâ, passum; & setonem cervici frustra adhibitum; aliaque remedia; quæ humorum ad oculos defluxum inhibent; incassum usurpata; tandem, incrassatâ in oculo pelliculâ, & albidâ in pupillâ apparente, in cæcitatem istius oculi incidit. Iam vero etiam in dextro oculo similem visus defectum, cum nubeculis, & filamentis ante illum volantibus, observat. Dextro oculo connivente, dilatatur pupilla oculi siniſtri, qui excæcatus est.

Afficiuntur in hoc ægro, *oculus siniſter secundum pupillam*, ut ad oculum patet; & *dexter oculus secundum humorem aqueum*: ut constat ex nubeculis, ante oculum dextrum per visus fallaciam volare apparentibus.

Morbus, quo siniſter oculus laborat, est obstructio pupillæ, à pellicula albicante in ejus cavitate nata, quæ radios rerum visibilium à siniſtri oculi retina excludens, cæcitatemque eo inducens, *cataracta confirmata* dicitur. *Morbus* verò, *qui dextrum oculum afficit*, est intemperies humoris aquei crassa, quæ particulas quasdam opacas in eo dispergens & volare faciens, nubecularumque volitantium imagines in retina & deinde in cerebro excitans, *Cataracta incipiens*, sive *Suffusio* appellatur.

Causa procatarctica horum morborum est diutina apud fornaces ardentes mora; qua pori vasorum & membranarum

rum nimis aperti fuerunt, & humores in capite, & præsertim oculis, incrassati; iique in vasis eorum existentes, *antecedentem* his morbis præbuerunt causam: Illi vero in aqueum utriusque oculi humorem ex iis effusi, & primum in parvas quasdam obscuras & opacas nubeculas coagulati, & deinde in sinistri oculi pupilla in membranam coacti, *continentem* hujus morbi & symptomatum constituunt causam.

A nubeculis enim in aqueo humore natantibus, & ex motu oculi in eo dispersis & volitantibus, excluduntur à retina multi rerum visibilium radii, quo *visus imminutio* oritur. Pellicula vero alba, quæ pupillæ sinistri oculi est obtensa, & adglutinata, avertit omnes, à retina ejus, rerum visibilium radios, atque ita *integram* inducit istius oculi *cæcitatem*.

Periculum hic est, ne in sinistro oculo non tantum panniculus sive pellicula in pupilla sit nata, sed etiam ne humor crystallinus vel vitreus opacitatem contraxerit, atque ita nullâ chirurgiâ per membranæ ablationem hic morbus curari possit. Verum *dilatatio pupillæ oculi cæci* spem sanationis præbet. Et deinde metus est, ne etiam in dextro oculo humores oculares tandem opaci evadant, vel pellicula opaca in pupilla tandem nascatur, atque ita cæcitatem etiam dextri oculi inducat.

Curatio tamen tentanda, quæ consistet in pelliculæ ablatione, nubecularum discussione, humorum ocularium attenuatione, & intemperiei oculi correctione.

Primò itaque acu, à perito chirurgo, in oculum sinistrum prope extremitatem tunicæ adnatæ, adactâ, pellicula, à pupilla separetur, & deprimatur. Ac vulnusculum, cum maxima corporis & oculi quiete, consolidetur.

Eo consolidato, curatio incipientis suffusionis dextri

oculi est inchoanda. Ac primo tales pilulæ erunt præscribendæ:

℞. *fol. sennæ* ℥ſ.
sem. fæniculi ʒij.
aq. chelidoniæ, eupharasiæ, verbenæ an. q. ſ.
Post levem ebullitionem infundantur per noctem; postea Colatura eousque decoquatur, donec in spissam extracti formam fuerit redacta: eique adde
aloës rosatæ ʒij.
rabarbari opt. ʒij ſ.
turbith. ʒj.
sem. rutæ, fæniculi an ʒſ.
cubebar., macis an. ℈j.
mastiches ℈ij.
scammonii ʒſ.
F. massa pilularum; *de qua capiat bis terve in septimana* ʒ. *dimidiam, vel scrupulos duos, mane jejunus.*

Præterea, corpore aliquoties purgato, utatur hac aquâ stillatitiâ, cerebrum, nervos, & oculos corroborante, humoresque oculares attenuante, mane cochlear unum quotidie bibendo:

℞. *herbarum fæniculi, rutæ, euphrasiæ, verbenæ, chelidoniæ an. m.* j.
summit. roris marini, salviæ,
flor. rosar. an. p. j.
baccar. juniperi ʒvj.
lauri ℥ſ.
piperis, garyophyllor. an. ʒj.
cinnamomi ʒij ß.
ligni aloës ℥ſ.
sem. fæniculi, ʒij.
sileris montani ʒj.
rutæ ʒſ.

Infun-

Infundantur in vino generoso & distillentur.

Adhæc utatur hoc linimento:

℞. *fellis carpionum, mellis, succi chelidoniæ an.* ℥ß.
coquantur parum donec inspissentur, iisque adde
tuthiæ dragm. j. *camphoræ* ϑß.
axungiæ thymali piscis ℥ß.

F. linimentum, *pro palpebris extrinsecus, sub lecti ingressum, ungendis.*

Versetur in aëre calido. Cibus sit ex carnibus gallinarum, vervecum, & aviculis montanis. Caveat nimis humectantia. Condiatur cibus serpillo, fæniculo, betonica, salvia, majorana, pulegio, cinnamomo. Potus sit cerevisia & vinum mediocrium virium. Exercitium sit moderatum. Somnus brevior. Alvus respondeat quotidie arte vel naturâ. Mœstitiam fugiat.

XXVI.

MEDICATIO FOEMINÆ, Amaurôsi, sive Guttâ Serenâ LABORANTIS.

Fœminia 38. annorum, postquam ab ulceribus multis, per totum corpus diffusis, tandem esset curata, incidit in hebetudinem visûs utriusque oculi, quâ ad longinqua & propinqua cæcutiebat. Malum ab aliquot septimanis ita est auctum, ut altero jam oculo vix quicquam videre queat. Oculi inspicientibus apparent clari: nihilque vitii in iis animadvertitur; nisi quod pupillæ justo ampliores & nigriores videantur. Alii sensus sunt integri. Materia pituitosa ex naribus copiosè excernitur. Gravitatem sentit in syncipite, circa frontem, & supercilia.

Afficiuntur in hac ægrâ potissimum *nervi optici*; quod patet ex tali visus nostræ ægræ hebetudine, in quâ ipsa ad

propinqua & longinqua ita cæcutit, ut oculos ipsius inspicienti nihil vitii in iis appareat. Afficitur etiam *inferior anterioris cerebri pars*; quod gravitas, in syncipite circa frontem & supercilia percepta, & materiæ pituitosæ copiosa, è naribus excretio evidenter docet. *Reliquum cerebrum* non afficitur: quia reliqui sensus vitio carent.

Morbus, quo ægra hæc affligitur, est *amourôsis* sive *gutta serena*; quæ est obstructio & compressio nervorum opticorum, hebetudinem visus in longinquis & propinquis conspiciendis in uno oculo, & in altero fere plenam cæcitatem, citra conspicuum in iis vitium, inducens.

Causa procatarctica hujus morbi fuit humorum pituitosorum, per ulcera è corpore egredi solitorum, post eorum curationem retentio. Humores verò pituitosi, inde per totum corpus collecti, constituunt ejus *causam antecedentem*. Pars eorum ad anteriores inferioris cerebri partes, & nervos opticos delata, eosque in una parte magis, in altera minus comprimens & obstruens, existit *continens* eorum obstructionis & compressionis, nec non istius jam descriptæ visus hebetudinis, & cæcitatis, causa.

Cum enim causa continens tam profunde in oculorum nervis lateat, nec aliæ eorum partes sint affectæ, *nihil vitii in iis inspicienti apparet*; & tamen hic *adest in uno hebetudo visus, & in altero oculo cæcitas*; propterea sc., quod quamvis imagines rerum objectarum in fundis oculorum pingantur; earum tamen, sive propinquarum, sive longinquarum motus, ob nervorum illam obstructionem & compressionem, ad cerebrum, & hinc ad sensorium commune, ubi a mente fit sensatio, deferri non potest.

Pupillæ autem oculorum *sunt justo ampliores & nigriores*; quod, propter nervorum opticorum obstructionem & compressionem, perceptio objectorum, qua mens ad spiritus ad pupillam arctandam, & crystallinum humorem justo

justo modo ad anteriora movendum, excitari solet, partim nulla, partim exigua hic fiat; spirituſque etiam, propter idem obstructionis impedimentum, ex cerebro in fibras pupillarum, & ductuum ciliarium, quibus hæ partes moveri solent, fluere satis copiose non possint.

Morbus hic *difficillimæ est curationis*; propterea quod humor nervo optico infixus non nisi maxima cum difficultate inde tolli soleat. Quia tamen hoc malum magnam partem à compressione externâ humorum, inferiorem anterioris cerebri partem, circa nervorum opticorum originem, obsidentium, oritur: & observationes medicorum testantur, nonnullos, hoc affectu laborantes, sanatos fuisse; non penitus desperandum, sed *Curationem* tentandam censeo.

Eaque in causarum, & obstructionis, per contraria ablatione consistet.

Primò itaque, ad totius corporis evacuationem, tale præscribatur purgans:

℞. *fol. sennæ* ℥ß *vel* ʒvj.
sem. anisi, fœniculi an. ʒß. *euphrasiæ m.* j.
Decoq. in aq. hordei q. s. ad ℥iiij.
Colaturæ adde diaphœnic. ʒij. *misce*, F. Haustus.

Post triduum eadem repetatur purgatio, vel hæ exhibeantur pilulæ.

℞ *pil. cochiarum* ʒ ß.
scammonii gr. x. *vel* xij.
cum syr. ros. sol. F. pilulæ No. vij.

Ubi purgatio prima peracta fuerit, quandoquidem hoc malum ab ulcerum consolidatione originē duxit, non tantum posteriori cervicis parti vesicatorium est adhibendum, & eo exsiccato fonticulus, circa tertiam & quartam cervicis vertebram, per causticum est excitandus: sed fonticuli in utroque etiam brachio, circa musculum humeri

bicipitem, imo etiam in utroque crure, excitari debent.

Fonticulis excitatis, & corpore aliquoties purgato, palpebris & extremis oculorum ciliis bis in die illinatur liquor, qui ex hepate piscis, **puyt-ael** a batavis dicti, tegulæ alligato & radiis solaribus expositio, in vitreum scyphum subjectum exstillat. Ille enim summæ efficaciæ in hoc affectuà a nonnullis prædicatur.

Si malum his non cedat, ad diætam sudoriferam, purgatione præmissâ, tali decocto toto mense instituendam, est accedendum:

℞. *scobis ligni guaiaci* ℥iij.
cort. ejusdem ℥j.
lign. sassaphras
rad. salsæparillæ an. ℥j *s.*
Infund. per noctem in aq. comm. lib. vj; *deinde decoquantur ad mediæ partis consumtionem, addendo, sub finem decoctionis,*
herb. chelidoniæ major., euphrasiæ, verbenæ, fæniculi an. m. j.
De colatura per manicam Hippocratis trajectâ exhibeantur ℥ vj *vel* viij, *calidæ, & proliciantur sudores corpus bene tegendo.*

Sunt etiam, qui per salivationem mercurio & mercurialibus factam, hunc affectum curari volunt.

Corpore aliquoties per purgantia & sudorifera recte evacuato, saliva tali masticatorio, mane, & vespertinâ horâ quartâ, erit evocanda:

℞. *rad. pyrethri, ireos flor. an.* ʒj *s.*
nucis moscatæ, fol. sennæ,
sem. staphid. agriæ, synapi an. ʒß.
pulverisatis adde masticches dragm. j. *ceræ q. s. & formentur globuli masticatorii: & masticetur unus mane, & vesperi, prono capite, frequenter exspuendo.*

Qui-

Quidam etiam ſternutatoriis hic, poſt juſtas purgationes, utuntur, quale hoc eſt:

℞. *pulv. hellebori albi, tabaci an.* ʒij.
piperis albi, ʒj. *euphorbii gr.* vj.

F. pulvis ſternutatorius, *qui vehementius per nares inſpiretur.*

In *diæta* aër ſit calidus & ſiccus. Cibi boni ſucci; conditi hyſſopo, fœniculo, majoranâ, euphraſiâ, ſalviâ, & imprimis nuce moſcatâ. Potus cereviſia mediocris. Somnus mediocris, & quantum fieri poteſt, ſupinus. Exercitia moderata. Alvus laxa. Affectus animi moderati.

XXVII.

MEDICATIO PUERI,

Pterygio oculi dextri LABORANTIS.

PUer octo annorum, poſt variolas, nondum ſatis rectè exſiccatas, cum ſeſe aëri nebuloſo & ventoſo expoſuiſſet, incidit in oculi dextri inflammationem; quâ per collyria adhibita curatâ, apparuit in eodem oculo membranula denſa & alba, per tunicam conjunctivam & corneam, uſque ad mediam iridem, ſeſe extendens; eaque viſum aliquantum imminuit.

Afficitur in hoc puero *oculus dexter*, ſecundum tunicam adnatam & corneam, quod ex albâ tunicâ in iis excreſcente & conſpicuâ patet.

Morbus, qui illum affligit, eſt dextri oculi *pterygium*; ſive excreſcentia quædam membranea alba & denſa tunicæ adnatæ & corneæ dextri oculi adnaſcens, & ad mediam pupillam ſeſe ibi extendens, viſumque in illo oculo imminuens.

Cauſa

Causa procatarctica, unde hic morbus principium cepit, est aër nebulosus & ventosus, cui hic puer ante justam variolarum exsiccationem sese exposuit. Inde enim pori corporis & præsertim faciei & oculorum clausi, halitus acres & calidos, libere exhalare solitos, in corpore facie & oculo dextro retinuerunt : iique in istis partibus retenti, constituerunt hujus morbi *causam antecedentem*. Pars verò eorum calidior in tunicam adnatam dextri oculi, per poros ibi nimis apertos delata, ibique vehementius incalescens, vellicandoque eam suo calore & acrimoniâ majorem ad eam humorum calidorum affluxum faciens, induxit, tanquam *causa continens*, primum *oculi dextri inflammationem*, quæ per adhibitionem convenientem collyriorum fuit quidem sublata; sed quoniam pars allapsorum humorum circa superficiem tunicæ adnatæ, ob tenacitatem suam, & pororum vicinorum nimiam angustiam ibi fuit retenta, & in membranæ albę rudimentum, secundum particulas suas insensibiles dispositа & formata. Hinc dum copiosiores humores in illud rudimentum magis magisque affluebant, factum est, ut primum in tunicâ adnatâ membrana alba & opaca fuerit nata; eaque deinde majus incrementum paulatim sumens, & pedetentim per tunicæ corneæ superficiem prorepens, partemque iridis & pupillæ tegens, *jam aliquantum sua opacitate*, justum radiorum ingressum impediente, inducit visus imminutionem.

Quoniam hoc malum acria remedia desiderat, quæ ab oculis ægrè feruntur, ideoque *difficilis* eius curatio est; quæ sæpe non satis feliciter succedit.

Ea tamen in hoc puero, cum morbus non sit antiquus, per membranæ istius ablationem tentanda.

Primo itaque purgetur hic puer tali medicamento purgante:

℞. *syr. de passulis laxatini* ℥j. *scammonii gr.* iiij.

aq. de-

aq. decoct. hordei ℥j ß. *misce* F. hauſtulus brevis, *aliquoties reiterandus.*

Deinde adhibeatur oculo bis terve in die tale Collyrium.

℞. *aq. roſarum* ℥iiij.
ſalis armoniaci q. ſ. ad levem acrimoniam linguâ percipiendam, eaque mixta indantur pelvi æneæ barbitonſorum, & in ea relinquantur per biduum vel triduum, donec colorem viridem acquirant.

Hoc remedium ſi non ſuffecerit, ad acriora erit procedendum, quale hoc eſt:

℞. *lap. hæmatit.* ʒij *vitrioli alb. uſti, virid. æris uſti an.* ʒiij.
myrrhæ, croci an. ʒ, *piperis longi* ʒ ß.
ſacchari candi ℥ ß. M. *Pulveriſentur ſubtiliſſimè.*

Hujus pulveris ʒj, miſceatur cum aq. raphani ʒij. & applicetur bis terve in die, pro ut puer ferre poterit.

Ante & poſt horum uſum, ad dolorem leniendum, oculus fovendus erit decocto emolliente *malvæ, althææ, fl. camomill., meliloti, ſem. cydon., fænigræci, papaveris.*

Si his localibus medicamentis pterygium tolli nequeat, ad chirurgiam, quam Celſus, Paulus, Aëtius, Aquapendens, aliique deſcribunt, ſi placuerit, erit deveniendum.

Victus ſit attenuans & incidens.

XXVIII.

MEDICATIO JUVENIS, PANNO OCULORUM LABORANTIS.

Juvenis 25. annorum, cum, à variolis non ſatis accurate curatis & conſolidatis, ſe intempeſtive, ſub tempus autumni, aëri aliquot dies foris expoſuiſſet, incurrit quandam oculorum inflammationem; cui cum remedia convenientia non adhiberentur, excrevit

crevit hoc malum in tantum intra paucos dies, ut jam panniculus ex vaſculorum ſanguine repletorum diſtentione rubens, tanquam tela carnoſa in ſuperficie oculorum, ac præcipuè tunicæ adnatæ appareat. Oculi offenduntur à lumine, & contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ. Viſio non tantum eſt obſcura, ſed fere tota ablata.

Afficitur in hoc ægro, utriuſque oculi & præcipue *adnatarum tunicarum ſuperficies*; idque ex præcedente inflammatione, & ex inſecutâ panniculi in illis excreſcentiâ patet.

Morbus, qui ipſum torquet, eſt *pannus, ſive panniculus utriuſque oculi*: qui eſt membrana rubicunda, ſupra adnatam & corneam tunicam præter naturam genita, viſuſque obſcuritatem hic magnam indueens, atque cum intemperie ſanguineâ & nimis laxâ utriuſque oculi etiam conjuncta.

Cauſa procatarctica, unde hic morbus primùm originem duxit, fuit aër autumnalis, externus, cui noſter juvenis corpus ſuum, à variolis nondum ſatis curatum, foris per aliquot dies expoſuit. Inde enim pori corporis, & præſertim oculorum, clauſi, halitus acres & calidos exhalare ſolitos, & etiamnum emittendos, in corpore retinuerunt. Iique retenti *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò eorum in oculorum tunicas adnatas per poros poſtea nimis dilatatos delata, ibiq; vehementius incaleſcens, induxit, tanquam *cauſa continens*, primũ *oculorum inflammationem*.

Cumque illi pori nimis aperti, ob apta remedia neglecta, paſſim magis magiſque aperirentur, hinc deinde factum, ut ex humoribus ſanguineis, per poros illos nimis apertos exſudantibus, paulatim *membrana quædam rubens, tanquam tela carnoſa, in ſuperficie oculorum fuerit* per partium cohæſionem & conglutinationem *genita*, eaque paulatim magis magiſque craſſeſcens inducit jam, per radiorum à pelliculæ iſtius craſſitie factam ex oculis excluſionem, *non tantum obſcuram, ſed fere penitus ablatam viſionem*.

Et

Et quia oculi ex affluxu humorum non tantum foris, sed etiam intus valde teneri sunt facti; hinc contingit, ut *oculi à contactu rei externæ, tum calidæ, tum frigidæ, item a lumine valdè offendantur.*

Morbus hic, quia est in parte, acutissimo sensu præditâ, atque ideo à remediorum, præsertim acrium contactu exacerbari solet, difficilis erit curationis; imò si diuturnior sit, Chirurgiâ tantum auferri poterit.

Curatio consistet in causæ antecedentis, & membranæ ac intemperiei istius ablatione.

Primo itaque purgetur æger tali Medicamento:

℞. *Pill. cochiarum* ʒ ß. *scammonii gr.* x.
F. pilulæ, N°. vij, *aliquoties reiterandæ*

Postridie sanguis educatur è brachio dextro ad ʒvij; & sequente die etiam ex finistro.

Cucurbitæ etiam collo & scapulis, primum sine, & deinde cum scarificatione, sunt adhibendæ, uti & vesicatorium.

Corpore sufficienter purgato, ad topica veniendum, quæ panniculum absumere valeant; à mitioribus incipiendo, quale hoc est:

℞. *Ossis sepiæ* ℈j, *sacchari candi* ʒj.
vitrioli ℈ ß. *tuthiæ præp.* ʒ ß. *misce* F. pulvis subtilis, *panno inspergendus.*

Quod si non sufficiat, ad fortiora est veniendum: quale hoc est, à multis in hoc affectu summopere laudatum:

℞. *succi fæniculi* ʒiiij, *chelidonii* ʒiij, *rutæ* ʒij, *malvæ* ʒij ß.
aloes ʒj, *æruginis* ℈j.
finiberis, cinnamoni an. ℈ ß.
fellis anguillæ ʒ ß. *bubuli, aut porcini* ʒij.
sacchari candi ℈ij. *mellis optimi* ʒ ß.
Bulliant succi, addendo reliqua, & depurentur, ac
F. Collyrium, *bis in die in oculos instillandum.*

Ante usum talium remediorum, pars fovenda est decocto

cto emolliente *malvæ, fol. violariæ, sem. malvæ, cotoneor., papav., sem. fænigræci, meliloti, & similium;* quod etiam post eorum applicationem iterandum est, ad dolorem leniendum.

Si his topicis pannus absumi non possit, ad *chirurgiam* est veniendum.

In *diæta*, luminosum aërem vitet æger; tenui utatur victu; abstineat ab omnibus fumosis; quies corporis hic laudatur; alvus sit lubrica, naturâ vel arte.

XXIX.

MEDICATIO FOEMINÆ,

Ægilope, cum palpebrarum & malæ inflammatione, laborantis.

Fœmina quadraginta annorum, plethorica, cum diu fluxum sanguinolentum & purulentum ex nare sinistra esset passa, tandem, fluxu illo cessante, incidit in dolorem, sinistrum capitis latus occupantem: Apparuitque tuberculum, in oculi sinistri cantho sive angulo interiore, durum rubrum & ex contactu dolens: Ac deinde, cum hujus mali curationem neglexisset per aliquot dies, subsecuta est inflammatio in palpebris & mala, tumore, dolore, & rubore comitata.

Afficitur in hac ægra *sinistrum capitis latus*; quod ex ejus dolore: Item *caruncula lacrimalis*, quæ est in cantho interiore oculi sinistri; quod ex ejus tuberculo, rubore, & dolore: Nec non ibidem *palpebræ & malæ*; quod ex earum inflammatione, & symtomatis hanc comitantibus, & enarratis, est manifestum.

Morbus, quo hæc fœmina affligitur, est *Ægilops*, sive intemperies sanguinea & biliosa, carunculam lacrimalem, in can-

in cantho majore oculi sinistri existentem, in tuberculum dolens, rubrum, & durum, attollens. Eaque, in hac ægra, inflammatione palpebrarum & malæ est comitata.

Causa, unde hic morbus primò originem duxit, est plethora, in hujus ægræ corpore observata. Inde enim, accedente sanguinis nimis copiosè affluentis corruptela, *sanguinolentus & purulentus ille fluxus ex nare sinistra*, propter poros circa illam præ cæteris magis apertos, fuit ortus: eoque cessante, materiâ biliosa & sanguinea in toto corpore, & præcipuè in sinistro capitis latere, redundans, easque capitis partes distendens & vellicans, induxit *in iis dolorem*. Ad carunculam verò lacrimalem canthi majoris oculi sinistri, & postea, neglectâ hujus mali curatione, etiam ad palpebras & malam sinistram, per vicina vasa, hic plus satis secundum poros aperta, sese effundens, ibique vehementius efferveſcens, produxit *tuberculum illud oculi, Ægilops dictum, inflammationemque palpebrarum & malæ*, hoc comitantem.

Morbus, hic propter acutum partis affectæ sensum, & remediorum commodè adhibendorum difficultatem, satis difficulter curatur: &, propter inflammationem vicinarum partium, satis est periculosus. Præterea suppurari hoc malum sæpe solet, & haud rarò in fistulam lacrimalem abit.

Diligenti itaque *Curatione* hic morbus erit impugnandus, quæ in plethoræ ablatione, biliosorum humorum è toto corpore evacuatione; & deinde in humorum ad partes affectas affluentium revulsione; allapsorum discussione vel suppuratione: ac denique in ulceris, forsan superventuri, mundatione, exsiccatione, & consolidatione consistet.

Primò itaque venæ sectione ex brachio sinistro educatur sanguis ad uncias octo vel decem, habitâ ratione virium; ad alterandum, evacuandum, & revellendum.

Adhibeaturque partibus affectis faciei hoc cataplasma:

℞. *Herbar. Malvæ,*
Altheæ,
Chærefolii ana Mj.
Farin. ſem. lini
Fænigræci, ana ℥ ß.
Medullæ panis candidi ℥ij.
Cum lacte vaccino q. ſ. fiat Cataplaſma, *de quo mane & veſperi ſumatur pars ſufficiens, quæ linteo intenſa tepidè adhibeatur.*

Secundo die tale præſcribatur purgans:

℞. *Pil. cochiarum* ℈ij.
Scammonii opt. gr. v.
Cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ. Fiant pilulæ No. viij, *ſæpius, pro ratione affectus, repetendæ.*

Sub veſperam ſcapulis & colli poſteriori parti admoveantur cucurbitæ ſex, cum ſcarificatione.

Poteſt etiam veſicatorium collo adhiberi; locuſque excoriatus diu apertus ſervandus, impoſito folio braſſicæ, vel emplaſtro diachylo.

Imò, in pertinacia hujus mali, cauterium vel ſetaceum in nucha erit adhibendum,

Si prædicto cataplaſmate, aut aliis remediis, tumor reſolvi nequeat, ſed ad ſuppurationem tendat atque perveniat, tum abſceſſus, ſi ſponte non aperiatur, ferro aperiendus eſt; idque quam primum. Si enim apertio differatur, pus partes vicinas erodit, & fiſtulam incurabilem ſæpe producit.

Abſceſſu in cantho oculi majore ſponte vel arte rupto, ulceri imponatur tale medicamentum:

℞. *Reſinæ therebinthinæ,*
Vitelli ovi ana ℥j.
Miſce & extendatur ſuper linteo; de quo abſciſſa pars adhibeatur in forma Emplaſtri, *cum parva turunda.*

Si

Si oculus valde rubeat, pannus intinctus sequenti Collyrio supra oculum clausum ponatur tepidè:

℞. *Aq. still. rosarum*
fæniculi an. ℥j ß.
Tuthiæ præp. ʒj.
Lapid. Hæmatitis ʒ ß.
Mucilag. sem. fænigræci ʒj.
Misce cum s.q. albuminis ovi.

Ad absterſionem ulceris, emollitionemque reliquiarum tuberculi, & cicatricis inductionem, applicetur hoc emplastrum:

℞. *Aloes hepaticæ*,
Mellis *ana* ʒj.
Myrrhæ ʒß.
Croci,
Fellis ovilli an. ϑ ß.
Misce cum resina terebinthina q.s. in formam Emplastri.

Ad escharæ supernascentis separationem, adhibeatur emplastrum, superius præscriptum, ex terebinthina & vitello ovi.

Eschara si difficulter cedat, prudenter debet exscindi, vel forcipe extrahi.

victus ratio sit tenuis, & ad frigidum declinet. Quieti opera danda. Alvus sit lubrica arte vel naturâ.

XXX.

MEDICATIO FOEMINÆ, FISTULA LACHRIMALI, in oculi siniſtri angulo majore, LABORANTIS.

Fœmina viginti quinque annorum ex ægilope sinum habet in majore siniſtri oculi angulo, ad os usque penetrantem; unde

pus

pus craſſum & fœtidum, cum multis lachrymis, fere continuò effluit. Per annum integrum à chirurgis quibusdam miſerè fuit afflicta, & per diætam valde extenuata.

Afficitur in hac ægra angulus major oculi ſiniſtri: quod ex pure craſſo & fœtido, item ex lachrymis inde perpetuò effluentibus, patet.

Morbus, qui eam affligit, eſt ulcus purulentum profundum & anguſtum canthi majoris oculi ſiniſtri; quod ad os uſque, cum multa lachrymarum profuſione, penetrans, *Fiſtula lachrymalis* vulgò appellari ſolet.

Iſque originem duxit ex Ægilope, ſive tuberculo bilioſo & acri, carunculam lachrymalem canthi majoris oculi ſiniſtri antehac occupante. Illo enim ſuppurato, & vicinis partibus ab acri materia ad os uſque exeſis, natum eſt hoc profundum & anguſtum ulcus, pus & lachrymas, ob poros, tum ſanguinem, tum ſerum, ad illas partes perpetuò deducentes, nimis apertos, continuò effundens.

Morbus hic quia tam altas egit radices, ut annum integrum duraverit; oſque ſubjectum à pure & lachrymis corruptum eſſe videatur; difficilis erit curationis; ac vix ſine cauterio auferri poterit.

Curatio in humorum in toto corpore peccantium evacuatione, allabentiumque revulſione: item in ulceris mundatione, oſſis corrupti eductione, carnis generatione, cavitatiſque conſolidatione conſiſtet.

Primò itaque exhibeantur hæ pilulæ purgantes:

℞. *Pilular. cochiarum,*
aurearum an. ℈j.
Scammonii optimi gr. vj.
Cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ. fiant pilulæ No. vij. *mane exhibendæ, & ſubinde reiterandæ.*

Poſtea ſex cucurbitulæ collo utrimque ſine ſectione applicentur per biduum; & tertio die cum ſcarificatione.

Deinde

Deinde usurpetur talis injectio, bis in die in fistulam syringâ injicienda:

℞. *Lixivii, aquâ communi ex cineribus ligni quercini facti* ℔. j ß.
Aceti ℥j.
Rosar. rubrarum,
Balaustiorum, ana ℥ ß.
Gallarum ℥j.
Fol. rutæ M ß.
Decoq. & colentur pro Injectione.

Si, post aliquot dierum hujus injectionis usum, forsan portio ossis maxillæ superioris in oculi angulo ad nares cum parte carnis putridæ & fœtidæ per nasum in palatum sive cavitatem oris erumpat; tum continget, ut nullum pus, nec ullæ lacrymæ amplius ex oculi sede foras effluant; sed omnia per nasi amplitudinem in palatum decident:

Tumque tale unguentum in ulcus immittatur;

℞. *Thuris,*
Sarcocollæ,
Sanguinis draconis,
Aloes an. ℥j.
Antimonii crudi,
Plumbi usti & loti,
Tuthiæ,
Lapidis hæmatitis an. ℥ij.
Balaustiorum,
Aristolochiæ rotund. ana ℥j ß.
Aluminis ℥ij.
Æruginis æris ℈j.
Subtiliter pulverisata excipiantur s. q. mellis & terebinthinæ, & fiat s. a. Unguentum.

Perseveret Chirurgus in usu hujus unguenti & lixivii, bisque in die usurpentur.

Nuchæ etiam, inter horum uſum, adhibeatur, ad revellendos ab oculis, affluentes humores, cauterium potentiale. Et ubi eſchara ablata fuerit, ſervetur fonticulus aliquandiu apertus impoſito piſo, & ſuperpoſito Sparadrapo pro fonticulis Pharmacop. Ultrajectinæ.

Detur quoque, ad promovendam ulceris hujus ſanationem, tale decoctum.

℞. *Fol. tanaceti,*
Caulium rubr.
Agrimoniæ,
Filicis majoris,
Filipendulæ,
Pimpinellæ,
Ceterach. ana M j.
Myrthi ana M ß.
Rad. liquiritiæ ℥ j.
Cicerum rubror. p. ij.
Decoq. in aq. communi q. ſ. ad ℔ j ß. *Colaturæ addatur ſacchari q. ſ. & Fiat* Apozema, *pro quinque vel ſex doſibus.*

Purgatio quoque ſubinde inſtituatur his pilulis, quas de duobus appellare ſoleo:

℞. *Aloes pellucidæ*
Scammonii optimi ana gr. xj.
Cum ol. cariophyll. gutta j. *& ſyr. roſ. ſol. q. ſ.* F. pilulæ No. IV.

Ubi ulcus ſanari inceperit, ſi intus illud tunicâ ſuccingatur, ne ſinus apertus ibi maneat, portiuncula cauterii potentialis erit immittenda; quæ mirè quidem uret, ſed ilico remittet dolor.

Poſtea, ad carnem generandam, hoc ſarcotico unguento erit utendum:

℞. *Rad. ariſtalochiæ rotundæ,*
iridis,

iridis,
Cortic. thuris ana ʒj ß.
Masticbes,
Myrrhæ,
Sarcocollæ,
Aloes,
Lapid. calaminaris ana. ʒj.
Mellis q. s.
Misce & fiat Unguentum.

Victus ratio sit tenuis & ad frigidum declinans. Atque eo magis, quo symtomata fuerint graviora. Præsertim si forsan chirurgia per ferrum vel ignem actualem vel potentialem sit administranda.

XXXI.

MEDICATIO JUVENIS, CATARRHO calido acri & salso molestati.

Juvenis viginti octo annorum, eusarcus, plethoricus, & vino largiore sæpiusculè sese oblectans, postquam diu æstu solis sub dio incaluisset, incidit in magnam capitis incalescentiam & gravitatem. Eam jam comitatur copiosus, acris, tenuisque & salsi humoris, per nares & in os defluentis, descensus, ejusque copiosa & frequens cum screatu per os rejectio. Adest faciei rubedo, atque etiam tussicula, vesperi sub lecti ingressum ingravescens: & noctu sæpè omnem somnum ipsi adimens. Pulsus adest celer, creber, magnus. Plus justo sitit. Urina est rubicundior.

Pars in hoc ægro præcipuè *affecta* est *caput*; ut patet ex nimia ejus incalescentia & gravitate. Item *pulmo & aspera*

arteria; ut docet tussicula. Item *cerebrum*, *nares*, *os*, & *fauces*; ut indicat copiosa & frequens humoris tenuis & salsi cum screatu per os rejectio. Atque etiam *cor*, ut constat ex pulsu celeri crebro & magno cum siti. Et *totum vasorum genus*, ut probat urina rubra.

Morbus præcipuus, qui eum affligit, est intemperies calida & serosa & nimis laxa cerebri, & glandularum vasorumque circa nares, fauces, & palatum existentium; quæ copiosos humores acres, tenues, & salsos, in nares, palatum, fauces & pulmones demittens, screatumque & tussiculam sæpe excitans. *Catarrhus* calidus acris & salsus à Medicis synecdochicè nuncupatur.

Causa procatarctica hujus morbi est vinum largiùs ab hoc juvene ingestum; unde multi humores calidi & serosi geniti, & per totum corpus diffusi, causam *antecedentem* huic morbo præbuerunt: iique in caput reliquasque partes jam enarratas delati, & serosis suis partibus, à reliquo sanguine, vi æstus Solis humores attenuantis, porosque cerebri, faucium, glandularumque narium, & vasorum nimium aperientis, separati, atque per nares & foramina palati in os fauces & pulmones delabentes, & in capite putrescentes, *continentem* ejus, & *symptomatum* omnium, causam constituunt.

Materia enim serosa, in caput cum reliquo sanguine copiosius delata, ibique à Sole incalescens, produxit *capitis nimium calorem & gravitatem, & faciei ruborem.* Eaque ibi putrescens & majorem calorem concipiens, ac deinde ex parte in cordis ventriculos, cum reliquo sanguine ad cor redeunte, reversa, producit *cordis & arteriarum pulsum crebrum celerem & magnum, urinam rubram, & sitim*, febriculæ symptomaticæ indices. Dum verò serosus ille sanguis ab æstu Solis nimio attenuatus & ex parte in vapores est dissolutus, porique vasorum & cerebri nimium sunt aperti,

magna

magna copia istorum humorum & vaporum, à reliquo sanguine sese separans, & in liquorem concrescens, in substantiam & ventriculos cerebri, reliquasque partes affectas, sese effudit, & etiamnum effundit. Quæ ibi, propter angustiam loci, & minorem ejus calorem, in serum acre & salsum coagulata & densata, ac ad cerebri basin in glandulam pituitariam glandulasque & ductus aquosos narium & alias vicinas spongiosas & porosas partes descendens, *perpetuam humoris tenuis acris & salsi, in nares palatum ac fauces delabentis, parit defluxum, ejusque frequentem exscreationem.* Pars autem hujus seri ex palato & faucibus, per conniventis epiglottidis rimam, in arteriam & bronchia pulmonum descendit, & partes illas ita vellicat, ut fibrillæ nervorum asperæ arteriæ & pulmonum, in ventriculos cerebri, extremitatibus suis, desinentes, poros ejus copiosius & fortius subinde aperiant, spirituſque animales copiosos, modo in musculos thoracis & faucium inspiratorios, modo in exspiratorios vehementius & inordinatius transmittant; atque ita thoracem inordinate & vehementer dilatando & contrahendo, aëremque contentum per vices vehementius & inordinatius cum strepitu expellendo, *tussiculam illam molestam* producant.

Ingravescit autem hæc *ægri tussicula vesperi, sub ingressum ejus in lectum frigidum*; quia vapores & humores cerebri & pulmonum aliarumque partium affectarum à lecti & advenientis noctis frigore copiosius coagulati & densati, & à cerebro aliisque partibus affectis, sese ob frigus superveniens magis constringentibus, in pulmones copiosius tum deturbati, augent tantopere defluxum humorum, & hinc orientem tussiculam, ut illa, propter humorum, ad pulmones copiosius de fluentium, eosque vellicantium, & cerebrum vehementiùs agitantium, illudque attollentium & pandentium copiam, sæpè ipsi *omnem somnum adimant.*

Morbus hic est valde *periculosus*, quia est humoris acris & salsi ac copiosi, non tantum in nares & palatum; sed etiam in fauces & pulmones defluentis destillatio: unde exulceratio pulmonum, ac inde tabes imminet. Benè tamen sperandum, quia æger est validus, & malum non est inveteratum.

Curatio igitur haud perfunctoriè est aggredienda: *quæ* consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei cerebri, aliarumque partium affectarum, per contraria ablatione.

Primò itaque purgetur æger hoc medicamento:

℞. *fol sennæ* ʒiij.
rabarb. electi ʒj.
sem. anisi, fœnic., an. ℈ij.
Infundantur in decocto hordei q. s.
In colatura dissolve cremor. tartari ℈ʃ.
scammonii gr. iiij. *Misce.* Fiat haustus, mane exhibendus, & pro re nata postea reiterandus.

Sub vesperam sumatur de hoc lacte amygdalato, ad somnum conciliandum, & humores acres & salsos temperandum, eorumque fluxum sistendum:

℞. *amygd. dulc. excortic.* ʒij.
sem. quat. frig. major. ana ʒj.
papav. alb. ʒiij.
aq. hord. ℔j.
F. emulsio amygdalata.

Vel sumat subinde vesperi pilulam gr. iv. laudani opiati: vel pil. de cynoglossa gr. xvi, quæ in pilulas duas formentur: vel syrupi de papav. unc. s. vel ʒvj.

Magni etiam usus ad catarrhi defluxum sistendum, & acrimoniam ejus temperandam, est cochleare sequentis syrupi, postquam corpus bene est purgatum, vesperi sub ingressum lecti sumtum:

℞. *syr. de papav. albo, de hyssopo,* *oxymell.*

oxymell. simpl. an. ℥j.
Misce.

Postridie aperiatur vena & educatur sanguis satis largiter; cum æger noster sit plethoricus.

Deinde si malum perseveret, humor est alterandus & incrassandus tali decocto:

℞. *fol. lactuc., portul., plantag. an. m.* j.
sem. quat. frig. mai., papav. alb. ana ʒij.
flor. viol., nymph., pap. rhæad. an. p. j.
Coquantur ex aq. com. ad lib. i. *in colatura dissolve syr. violacei, rosar. siccar. an.* ℥j.
misce. F. apozema, pro tribus dosibus, bis in die sumendis.

Ad materiam defluentem ulterius incrassandam, & fluxum inhibendum, atque acrimoniam ejus temperandam, hunc sequentem liquorem in ore teneat:

℞. *flor. ros. rubr. p.* j.
cortic. cap. papav. No. j. *vel* ij.
jujub. recent. p. j.
Decoquantur in aqua communi pro lib. j.
Colaturæ adde syr. papav. ʒij. *diamori,* ℥ß.
boli arm. veri ʒj. Misce.

Tum etiam trochisci sequentes in ore frequenter erunt detinendi:

℞. *gum. tragacanthi & arab. an.* ʒij.
boli armen., terræ sigill., lotorum in aqua rosacea an. ʒj.
sem. papav. alb., succi liquiritiæ an. ʒß.
sacch. penid. ℥j.
Cum mucilag. sem. cidon. extracti cum aq. ros. q. s.
F. orbiculi parvi, quos diu noctuque in ore detineat.

Interdum etiam ad Catarrhum sistendum, & materiam tenuem incrassandam, & acrimoniam ejus temperandam, commodè utetur hoc linctu:

℞. *loch.*

℞. *loch. de papav.* ℥j.
syr. papav. ℥j. *& s.*
de jujub. ℥ſ.
spec. diatragac. ℈ij. M. & lambatur cum bacillo liquiritiæ :

Ad materiam aliò revellendam, adhibeantur lotiones brachiorum & crurum in aq. decoct. flor. nymph., fol. salicis, cap. papav. alb., & flor. chamo. Frontem & tempora inungat, ad somnum conciliandum, oleo nymph., papav., & vng. popul.

Ad caput roborandum, fluxionem sistendam, ejusque reliquias absumendas, convenit hæc cucupha.

℞. *gum. junip.* ℈ij,
ros. rub. p. ij.
myrtill. ʒj.
macis, nucis mosch,
Thuris, sem. pæon., cort. cap. pap. an. ℈ij.
nucis cupressi, ℈ſ.
Pulverisentur, & cum floccis panni occinei, ac syndone rubrâ,
F. Cucupha interpuncta, perpetuò in capite gestanda.

Si his malum non cedat, fonticulus aperiendus in brachio, vel etiam circa nucham : ubi etiam vesicatoria poterunt adhiberi.

In *diæta* aër sit temperatus: aquilonaris, austrinus, ventosus, & pluviosus vitetur. Cibus sit concoctu facilis, ex piscibus saxatilibus, lactuca, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, hordeatis. Cibi quantitas sit moderata. Cæna prandio parcior. Sub finem refectionis sumatur portio carnis cydoniorum : sumantur etiam uvæ passæ, & amygdalæ dulces. Potus sit cerevisia tenuis, parcè, quantum potest, sumpta, Lectum vesperi ingrediatur moderatè prius calefactum. Somnus sit moderatus & nocturnus. Tegatur caput mediocri tegmine. Excrementa alvi quotidiè vel arte vel naturâ

turâ reſpondeant. Motus immodicus & animi perturbationes vitentur.

XXXII.

MEDICATIO JUVENIS, CORYSA LABORANTIS.

Juvenis 26. annorum cum excalefactus ad ignem, & poſtea foras in aërem frigidum & humidum ſubitò eſſet egreſſus, cæpit in parte naſi, quæ os frontis attingit, ſentire gravitatem, & reſpirationis per nares faciendæ difficultatem. Malum hoc poſtea auctum jam per biduum durat, humorque acris ex naribus exſtillans, eaſque exaſperans, magnam moleſtiam ipſi parit.

Pars, quæ in hoc juvene præcipue afficitur eſt *naſi radix & os ethmoides*: idque ex gravitate circa radicem narium percepta, & ex reſpirandi per nares difficultate, patet.

Morbus qui ipſum affligit, eſt intemperies narium & oſſis ethmoides, ac vicini cerebri frigida, humida, & acris, cum obſtructione eorum conjuncta; quæ gravitatis ſenſum in iis, reſpirandique per ea difficultatem pariens, latinè *gravedo*, & græcè *coryza* dicitur.

Cauſa hujus morbi eſt corporis, & præſertim capitis calefacti, in aërem frigidum & humidum ſubita delatio. Inde enim partes jam commemoratæ fuerunt refrigeratę, porique circa nares & anteriorem cerebri partem ab igne antea aperti, per frigus ſuperveniens externi aëris, profundius in cerebrum ingredientis, ſubitò clauſi, impediverunt, quo minus vapores copioſi, in cerebro calido exiſtentes, ſatis abunde ex eo & naribus exhalare poſſent. Illi autem ibi retenti, & vehementius agitati, aperuerunt in anteriore cerebro & naribus ita poros, ut copioſũ ſerum & pituita

salsa à reliquo sanguine eorum ope separaretur, ac ad nares defluereret. Cumque illi pori cerebri etiamnum ita dispositi maneant; hinc fit, ut humores, etiamnum eò defluentes, obstructionem narium, gravedinem, & asperitatem ac rosionem in iis pariant.

Hoc *malum* plerumque, si diæta recte instituatur, sponte cessare solet. Verùm quia hoc nostro juveni magnam molestiam parit: & non sine periculo est, ne catarrhus hic auctus etiam ad pectus aliasque partes defluat; idcirco *Curatio* mox est adhibenda.

Eaque in humorum superfluorum, ex toto corpore, & partibus affectis, evacuatione; pororum clausorum apertione; & intemperiei per contraria correctione consistet.

Mane itaque purgetur talibus pilulis:

℞. *aloes rosatæ,*
scammonii optimi an. gr. xiij.
olei cariophyllor. gutt. j.
cum syr. ros. sol. q. s.
F. pilulæ, No. iv.,

Interdiu hunc nodulum sæpe naribus admotum olfaciat:

℞. *sem. nigellæ, cymini, thuris, cariophyllor. an.* ʒß.
Contusa includantur linteo & f. Nodulus.

Purgato jam corpore, vesperi & mane caput mantili injecto & undique dependente tegat, excipiatque pronis naribus, fumum à cariophyllis indicis sex vel septem, in ignem patellâ exceptum, & naribus suppositum, aliis post alios conjectis, exhalantem. Nares interius, ad asperitatem tollendam & exulcerationem præcavendam, oblinat unguento rosato vel pomato.

Vapor etiam, à majoranæ, chamomeli, meliloti & sisymbrii decocto; vel ab aceto rosaceo, in laminam ferream ignitam injecto, exhalans, & naribus exceptus, multum hic conducit.

Versetur

Versetur domi in aëre moderatè calido; & caput tegat integumento, quod ad frigoris sensum tollendum sufficiat. Vesperi cubitum iturus sumat cochleare spiritus vini cum saccharo albo.

XXXIII.

MEDICATIO MULIERIS, ODONTALGIA LABORANTIS.

Mulier 28. annorum, plethorica, postquam aëri frigido & ventoso se imprudentius exposuisset, incidit in ingentem dentium, inferioris maxillæ sinistrum latus occupantium, dolorem; qui ipsam pene ad insaniam redigit. Usa fuit, purgatione universali neglectâ, variis remediis localibus calidis, dentibus & malæ ejusdem lateris adhibitis: unde multa quidem pituita ex ore fluxit, sed sine ullo doloris levamine. Faciem supra modum tumidam & rubram habet.

Partes affectæ ex querela ægræ sunt manifestæ; nempe *dentes* in inferiori maxilla sinistri lateris: uti & *mala sinistra*; quod ex ejus rubore & tumore patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies dentium inferioris maxillæ serosa, & acris, cum tumore malæ conjuncta; quæ ingentem dolorem in iis excitans, à molesto hoc symptomate, *dolor dentium* latinè, & *odontalgia* græcè appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est aër frigidus & ventosus, cui ægra nostra imprudentius sese exposuit. Inde enim pori corporis fuerunt constricti, & transpiratio justa impedita, humoresque serosi totius corporis, qui *antecedens* hujus morbi sunt causa, à reliquo sanguine separati, ac partim ad caput delati, ibique ad nervos dentium inferioris sinistræ maxillæ, tum forte ex laxitate debiliores, prolapsi, ac ab

intempestivis topicis calidis copiosius eò prolecti, eos acrimoniâ suâ rodendo, & copiâ sua distendendo, *continens* hujus morbi, gravissimique symtomatis, sunt causa.

Periculosus hic est affectus, propter doloris vehementiam; qui nonnullos ad vim sibi inferendam adegit.

Ideoque diligenti & celeri *curatione* erit impugnandus; quæ in causæ antecedentis, & intemperiei, doloriſque ablatione consistet.

Mox itaque vena aperiatur, & sanguis liberaliter educatur, & sub vesperam cucurbitulæ scapulis cum scarificatione adhibeantur; postridieque purgetur ægra tali purgante medicamento:

℞. *diacathol.* ʒvj. *diapruni* ʒij.
dissolve in aq. cichorii q. s. F. Hauſtus *brevis, aliquoties, si necessitas urgeat, reiterandus.*

Ubi corpus bene purgatum fuerit, utatur hoc masticatorio:

℞. *staphid. agriæ, masticches an.* ʒj.
sem. hyoscyami ℈j.
fiant cum linteo raro globuli masticatorii, No. iij. *quorum unum post alterum masticet, pituitamq; ex ore eliciat,*
Vel ℞. *ol. ex charta combusta collecti gutt.* j.
olei mari syriaci, sive origani, gutt. ij.
cum cotone F. puppellæ No. ij, *denti cavo inserendæ.*

Maxillam exterius inungat oleo camomillor. & liliaceo.

Temporibus sinistris imponendum emplastrum ex gummi tacamahaca, masticche, myrrha, gummi elemi, ad defluxum humorum impediendum.

Si ob doloris vehementiam perseverantem majus periculum metuatur, narcotica usurpentur, quale hoc est:

℞. *philonii romani* ʒj.
opii gr. vj. *ol. vitrioli gutt.* v. *misce, ex mixtura hac aliquid dentibus dolentibus, cum bombace, applice-*

applicetur.

Vel tale balsamum cum cotone adhibeatur:

℞. *opii thebaici*
spec. diambræ an. ℈j.
camphoræ gr. iiij.
ol. caryophyllor. gutt. vij.
ol. nuc. musch. expressi ℈j. *F. mixtura ad formam* Balsami.

Dolore sopito, post opiatorum usum, os eluatur decocto salviæ, roriſmar., majoranæ, hyssopi; ut opii noxa corrigatur.

His nihil proficientibus, dens cavus est extrahendus.

In diæta aër sit temperatus; cibus parcus, mollis; potus cerevisia tenuis; alvus sit lubrica; quies motui præferenda; vitet curas.

XXXIV.

MEDICATIO VIRI,

PTYALISMO

LABORANTIS.

Vir. 40. annorum, postquam diu ventriculi cruditate laborasset, incidit in tam copiosam salivæ in ore collectionem, ut fere singulis momentis illam exspuere cogatur. Hujus affectus molestiâ jam per 14. dies laborat.

Afficiuntur in hoc ægro *tonsillæ, ductus salivales, aliæque* oris carnosiores, & porosiores *partes*; quod ex frequenti exspuitione patet.

Affectus, quo afficitur, est partium istarum jam commemoratarum intemperies serosa & nimis rara, nimiaque laxitas; quæ frequentem copiosæ salivæ in ore collectionem, ejusque exspuitionem, excitans, *Ptyalismus* vulgo appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* est diutina illa ventriculi cruditas, qua æger noster laboravit. Ex ea enim multi serosi & aquosi humores in corpore ægri collecti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum à corde ad partes carnosas aliasque oris perpetuo propulsa, & eas laxans, in iisque à reliquo sanguine separata, ac in os continuo defluens, *continens* hujus morbi, & exspuitionis frequentis, est causa.

Quia hic affectus ex cruditate, magnam pituitosorum humorum copiam producente, originem duxit; ideoque, nisi diligenti curatione impugnetur, satis erit pertinax.

Curatio consistet in causæ antecedentis, continentis, & intemperiei, & laxitatis nimiæ, per contraria ablatione.

Primo itaque æger talibus pilulis subinde purgetur:

℞. *pilular. de hiera, mastichinarum an.* ℈j.
scammonii gr. vj.
cum syr. de menth. q. s.
F. Pilulæ. No. vij, *mane sumendæ, & subinde reiterandæ.*

Postea ventriculus, circa os scutiforme, illinatur tali linimento:

℞. *ol. mastichini, nardini an.* ℥ *ß.*
ol. macis ʒj. *cariophyll.* ℈j.
ceræ parum, M. F. Linimentum.

Hoc etiam decocto os suum frequenter, citra gargarisationem, colluat:

℞. *fol. plantag. m. ß.*
myrti, salviæ an. m. ß.
ligni aloes, ℥ *ß.*
flor. ros. rubr. sicc. m. j.
balaustiorum 4. j.
F. Decoct. in s. q. aq. & vini, in fine additi, ad lib. j.
In Colatura dissolv. aluminis ʒj.
syr. ros. ℥j. *ß.*

M. pro

M. pro oris lavatione.

Et de hoc electuario sumat, ante & post pastum, magnitudinem castaneæ majoris:

℞. *Conserv. rosar.*,
beton. an. ℥j.
zinzib. in India cond. ℥ß.
Spec. diarhod. abbatis.
aromat. ros. an. ʒj.
corall. rub. ppt.
mastiches an. ʒß.
cum syr. cydonior. q. s.
F. Conditum.

Cibus sit paucus & exsiccans; ex assis potius, quam elixis; & pane bis cocto. *Potus* sit etiam parcus, ex vino rubro & ex absinthite. *Exercitia* sint talia, ut corpus exsiccent. *Alvus* sit lubrica.

XXXV.

MEDICATIO VIRI,

ANGINA

LABORANTIS.

Vir triginta quinque annorum, temperamenti sanguinei, genio, liberaliore & generosiore potu, indulgere solitus, subito incidit, in spirandi & deglutiendi difficultatem, paulatim magis magisque ingravescentem. Hæc intra paucas horas ita crevit, ut quicquid ore haustum deglutire conatur, naribus rejiciat, spiritum non nisi rectâ cervice, ore hiante, & linguâ exsertâ, eumque difficillimè, cum metu strangulationis, ducat. Facies rubet. Collum rubrum & tumidum valdè calet. Ore aperto & linguâ depressâ, faucium conspicitur tumor & rubedo. Pulsus adest celer, creber, & validus. Valde sitit.

Partes

Partes affectæ in hoc ægro sunt *musculi faucium*, tum interni, tum externi; quod tum ex tumore & rubore, foris & intus conspicuis; tum ex deglutitionis & respirationis difficultate, satis est manifestum. Afficitur etiam *cor*, ut patet ex febri, quam pulsus celer creber & validus, inflammationem hanc comitans, nec non magna illa sitis indicat.

Morbus, ægrum infestans, est musculorum interiorum & exteriorum, gutturis & gulæ phlegmone, quæ, difficultatem magnam respirandi & deglutiendi efficiens, *Angina* vulgò appellari solet.

Causa Procatarctica hujus morbi est genialis vita, quam æger noster, potui liberaliori & generosiori indulgendo, ducere solebat. Hinc, adjuvante sanguineo ejus temperamento, magna copia sanguineorum humorum, in toto ejus corpore genita, *Antecedens* hujus morbi fuit causa. Eaque in corpore incalescens, & poros vasorum circa guttur & gulam nimium aperiens, & in musculos eorum internos externosque sese copiosè effundens, ibique valdè efferveſcens, *Continentem* hujus morbi & ejus symtomatum constituit causam.

Dum enim, per illum humorum sanguineorum in musculos illos copiosè influentium, ibique vehementius incalescentium, influxum, tumor circa collum & fauces nascitur, gula & guttur arctantur, eaque justâ dilatatione, in deglutitione & respiratione necessariâ, satis aperiri nequeuntia, *magnam respirandi & deglutiendi pariunt difficultatem.* Dumque æger liquorem ore haustum magno conatu versus gulam tumidam musculis oris, deglutiendi causâ, premit, *liquor* pressus fauces clausas inveniens, impetumque à pressione habens, magnâ vi per foramina, ex palato *in nares* patentia, *erumpit.* Et quia ab hoc tumore, tanta gutturis est angustia, quæ à musculis tumidis satis aperiri non potest, hinc *ore aperto*, *linguâ exsertâ & extensâ,*

tensâ, ac erectâ cervice, conatur æger gutturis apertionem inter respirandum juvare. Cumque hic conatus respirationi vix sufficiat, hinc *tanta oritur respirationis difficultas, ut ea strangulationis metum ipsi incutiat.*

Nec mirum est *faciem collum & interiora oris valdè rubere, pulsumque esse celerem, crebrum, validum*; cum illud à rubicundo & valde effervescente sanguine, partim in illas partes copiosè illapso, partim à parte affecta per venas perpetuò ad cor refluente, ibique vehementi & malignâ suâ incalescentiâ febrem symptomaticam excitante, originem ducat.

Morbus hic cum sit acutus, & strangulationis periculum inducat, celerrima *Curatione* est impugnandus. *Eaque* in causæ antecedentis & continentis ablatione, ac respirationis auxilio, consistet.

Mox igitur educatur sanguis ad revulsionem & evacuationem ex dextro brachio ad uncias decem; & nisi malum mox levetur, reiteretur venæsectio intra horas duas; imo vel tertia repetatur post tres horas.

Et postea injiciatur talis Clyster:

℞. *rad. althææ* ℥j.
herb. violariæ,
mercurialis, parietariæ an. m. j.
flor. violar.
rosar. an. m. j.
fol. sennæ ℥j,
sem. lini
fæn. græc. an. ℥ij.
fænículi ℥j.
Decoq. in aq. com. In colatura dissolve
Diaphænici, diapruni ana ℥ß.
Ol: camomillor. ℥j. ß. *salis com.* ℥ß.
Fiat Clyster, *mox injiciendus.*

Utatur etiam hoc gargarismo:

℞. *fol. plantaginis*,
bellidis majoris ana m. j.
flor. roſar. rubrarum p. j.
balauſtior., gallæ ana ʒj.
ſem. cydonior. ℈iiij.

Decoq. in aquæ plantaginis lib. j. *ſolani, equiſeti ana* ℥j. *ſ.* Fiat gargariſma, quo gargariſet; Vel fauces ſaltem humectet, & capite retroſum inclinato lavet.

Faucibus oleo amigdalor. dulc. illitis, adhibeatur foris hoc Cataplaſma:

℞. *rad. althææ* ℥j.
fol. malvæ, biſmalvæ,
chærefol. ana m. j.
far., ſem. lini,
fænigræci ana ℥ſ.
flor. cammillor., meliloti ana p. ſ.
pulv. nidi hirundinis ℥j. *Cum lacte vaccino Fiat* Cataplaſma, *calidè adhibendum.*

Si malum his nondum levetur, aperiantur venæ ſub lingua, & cucurbitæ multæ ab humeris per univerſum corpus deorſum adhibeantur, & cutis multis locis ſcarificetur.

Si ſtrangulationis metus perſeveret, laringotomiâ reſpirationem adjuvandam cenſeo: cum ea tutò, cum certo ægri levamine, uſurpari poſſit, ſub tertio vel quarto aſperæ arteriæ annulo, infra guttur.

Et, ſi deglutiendi impedimentum diu continuetur, injiciatur bis in die talis Clyſter nutriens:

℞. *Iuris caponis lib. j.*
vitellos ovorum ad mediocritatem coct. No. ij.
cinnamomi ℈ſ.
Fiat Clyſter, nutriendi cauſa
bis in die injiciendus.

Ubi

Ubi aliquid deglutire poterit æger, hoc utatur decocto:

℞. *Rad. Cichor.*,
dentis leonis, ana ℥j.
Herb. Cichor.
Endiviæ,
dentis leonis ana m. j.
Card. Benedicti,
Scabiosæ.
malvæ ana m. s.
Sem. 4. *frigid. major. ana* ℥j*s.*
Anisi,
fæniculi ana ℈iiij.
Tamarindor ℥j.

Fiat decoctio in aq. com., addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j. *cinnamomi* ℈j *s.*

Col. pro Apozemate, *de quo sumat quotidie uncias quatuor, mane jejuno ventriculo.*

Si tumor in abscessum mutetur, & rumpatur, tali utatur oris collutione:

℞. *Rad. glycyrrhizæ* ℥*s.*
herb. malvæ,
meliloti ana m. s.
florum camomill. p. ij.
passular. ℥*s.*
caric. pingu. No. iij.

Coq. in s. q. aq. com. ad lib. j. *Colaturæ adde mellis rosat.* ℥j*s. Misce fiat* Gargarisma.

In *diæta* aër sit temperatus. Cum æger deglutire poterit, cibus sit liquidus & mollis, ex ovis sorbilibus & jusculis. Vitentur omnia, quæ sanguinem calefacere possunt, ut piper & alia aromata. Potus sit cerevisia tenuis. Corporis imperetur quies. Somnus sit solito brevior; ne eo malum exasperetur. Alvus solvatur arte vel naturâ. Sollicitudines, quantum potest, vitentur.

XXXVI.

MEDICATIO PUERI, APHTHIS LABORANTIS.

PUer duorum annorum jam a quatriduo magnam acrium humorum patitur ad os defluxionem; linguamque & fauces plurimis albis ulcuſculis, magnum dolorem inferentibus, obſeſſas habet. Magnus oris etiam ardor adeſt. Atque etiam inſomnia perpetua.

Ulcuſcula hæc, pueri hujus linguam & fauces, cum humorum acrium defluxu & ardore, obſidentia, *Aphthæ* vocantur.

Eæque ex humoribus ſeroſis & acribus in toto corpore redundantibus, tanquam *cauſa antecedente*, ſunt ortæ. Pars vero eorum ad os linguam & fauces delata, ibique propter iſtarum partium mollitiem & pororum nimiam laxitatem ſeparata, eaſque erodens, vellicans, & exulcerans, ardoremque in iis excitans, *continens* hujus morbi, & ſymtomatum eſt cauſa.

Morbus hic propter defluxionis & doloris magnitudinem, ætatiſque puerilis teneritudinem, ſatis eſt gravis.

Curatio conſiſtet in cauſæ antecedentis, & continentis; item in intemperiei, & ulcuſculorium, ac doloris ablatione.

Primò itaque purgetur infans, de ſequenti ſyrupo quotidie aliquid exhibendo:

℞. *ſyr. roſ. ſol. cum ſol. ſennæ & rabarb.* ℥ij.
ſcammonii pulv. gr. xvij. *ol. vitrioli gutt.* vj.
Miſce F. ſyrupus, *pro* iij *vel* iv. *doſ.*

In os ingeratur frequenter de tali mixturâ: eâque, cum linteo bacillo alligato, aphthæ ſæpius illinantur.

℞. *ſyr.*

℞. *syr. granator. acidor., cydoniorum,*
mellis rosacei ana ʒj.
spiritus vitrioli q. s. ad gratum acorem.
Misce.

Malo perseverante: ubi corpus rursus purgatum fuerit, exhibeatur, ad doloris sedationum, & fluxionis cohibitionem, laudani opiati gr. j. in syr. rosaceo dissolutum.

Interim *nutriatur* puer carnium jusculis, acetosâ lactucâ & endiviâ alteratis.

XXXVII.

MEDICATIO JUVENIS, UVULÆ RELAXATIONE LABORANTIS.

Juvenis viginti sex annorum, plethoricus, postquam aliquot dies liberaliori vini & cerevisiæ potui indulsisset, incidit in magnum dolorem faucium, quo non nisi cum dolore & difficultate quicquam deglutire potest. In faucibus etiam aliquid, instar boli deglutiendi tumens, ab ipso perpetuò percipitur. In ore ejus, cum linguæ depressione aperto, appareret uvula valde tumida & laxata, vicinæque partes valde tumentes & rubentes.

Afficitur in hoc ægro *uvula*, ac præterea *fauces;* quod ex dolore, deglutiendi difficultate, & tumore, instar boli fauces prementis, in illis partibus percepto: item, ex ipsâ fauces ejus inspicientium autopsiâ, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est tumor faucium, &

præcipue uvulæ, à sanguine calidiore & pituitoso ortus; qui partes illas vicinasque suâ copiâ distendens, uvulamque nimium relaxans, atque hinc dolorem & deglutiendi perpetuam difficultatem, suffocationisque subinde invasuræ metum, inducens, *Uvulæ relaxatio*, à præcipuo hujus tumoris symtomate, reliqua alia symtomata potissimum producente, vulgò appellari solet.

Procatarctica hujus morbi *causa* est potus ille generosus & liberalis, cui hic juvenis per dies aliquot plus justo indulsit; inde enim multi humores sanguinei & pituitosi, in ejus corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in corpore incalescens, & poros vasorum circa fauces, uvulam, vicinasque partes plus justo, ex præcedente potatione illas partes præ cæteris magis laxante, apertos inveniens, & per eos se in partes illas copiosè effundens, *continentem* hujus morbi, ejusque symtomatum, constituit causam.

Dum enim per illum humorum sanguineorum & pituitosorum, in partes illas copiosè illabentium, ibique vehementius incalescentium, influxum, tumor in faucibus viciniisque partibus & uvulâ nascitur, gula & guttur ita arctantur, *ut ea, non nisi magnâ vi, magnum dolorem necessariò inferente, in deglutiendo* aperiri queant. Uvula verò hinc justo longior & latior evadens, & fauces suâ nimiâ mole replens, facit *in iis perpetuum, tanquam boli ibi hærentis, sensum.* Interdum verò illa plus solito intumescens, & humores quosdam in asperam arteriam per rimas epiglottidis copiosius immittens, tantam subinde inducit respirandi difficultatem, *ut æger suffocationem metuat.* Hæc autem omnia in ore tam sunt evidentia, ut *inspicientium oculis cerni possint.*

Morbus hic, cum deglutitionem & respirationem tollere, & uvulæ corruptelam inducere possit, satis est periculosus.

Diligenti

Diligenti itaque *Curatione* erit impugnandus. *Eaque* in cauſæ antecedentis, & continentis, item in tumoris & intemperiei, per contraria ablatione conſiſtet.

E venâ igitur in brachio dextro apertâ mox educatur ſanguis ad uncias decem. Idque etiam poſtea repeti poteſt.

Paulo poſt talis injiciatur clyſter:

℞. *decocti emollientis lib.* j.
elect. diapruni, diaphœnici an. ʒvj.
ol. violar., lilior. an. ℥j. *ſalis* ʒj.
Miſce, F. Clyſter.

Cucurbitulæ etiam ſcapulis & humeris ſunt adhibendæ.

Et utatur tali gargariſmo:

℞. *hordei mundati p.* j.
fol. violariæ, portulacæ, plantag, an. m. j.
myrti m. ß.
cort. malor. granat. ʒj ß.
flor. roſ. rubr., malvæ arbor. an. m. ß.
ſem. cydon., malvæ an. ʒj.
auricular. judæ ℈j.
Decoq. in aq. com. ad lib. j ß, *in colatura diſſolve*
diamori, dianuci, mell. roſ. an. ℥ß.
Miſce pro gargariſmo, *quo ſæpius in die gargariſet.*

Et ſæpe lambat de hoc linctu:

℞. *diamori, dianuci,*
ſyr. violacei an. ℥ ß. Miſce.

In ingenti dolore, interdum gargariſandum cum lacte recenti.

Poſtridie purgetur tali hauſtu, ſi tum deglutire poſſit; nam alioqui repetendus eſſet præcedens clyſter:

℞. *ſennæ* ℥ ß.
ſem. aniſi ʒj.

decoq.

decoq. in aq. hordei q. ſ. ad ℥iiij.
in quibus diſſolve el. diapruni ʒij.
Miſce. F. potio, *mane exhibenda: & ſubinde, malo perſeverante, iteranda:*

Corpore bene purgato, uvula cum pulvere ſequenti, cochlearis, ab Hildano *centur. 2. obſ. 21.* deſcripti, vel alterius convenientis ope, ſæpius in die erit ſublevanda:

℞. *roſar. rubr., balauſtior., cort. granat. an.* ʒß.
rad. biſtortæ, tormentill., gallar. immatur., irid. florent. an. ʒj, *aluminis uſti* ϑij.
M. F. pulvis.

In *diæta* aër ſit temperatus; cibus ex juſculis & ovis ſorbilibus: vitentur omnia aromata: potus ſit tenuis cereviſia: corpus quieſcat: ſomnus ſit moderatus: fugiantur animi affectus.

PRAXEOS

PRAXEOS MEDICÆ

LIBER SECUNDUS,

De Medendis Morbis Pectoris.

I.

MEDICATIO VIRI, SPUTO SANGUINIS LABORANTIS.

Vir robustus, 40. annos natus, postquam diu intemperanter, in copioso & generoso cibo potuque ingurgitando, vixisset, cœpit de dolore quodam thoracis gravativo, & tussi sicca comitato conqueri; qui deinde per aliquot menses duravit. Tandem ipsi nocte evigilanti oborta est tussis vehemens; ex qua post aliquot horas incidit in sanguinis exspuitionem tam copiosam, ut ea nocte pelvim integram sanguine, cui multum puris fœtidissimi erat admixtum, impleverit. Postea exspuitio illa nonnihil quidem fuit imminuta; verùm redeunte postridie vehemente tussi, rursus pelvim sanguine, spuitione rejecto, implevit. Iam valde sitit; nec à febri est liber.

Afficitur in hoc ægro *substantia pulmonum, & eorum vasa*, uti ex sanguine, & pure illo copioso, tussiendo rejecto, est manifestum; afficitur & cor, ut patet ex febri.

Morbus, qui eum infestat, est *pulmonis* & ejus vasorum *exulceratio*, sanguinis & puris copiosi exspuitione comitata.

Causa procatarctica hujus morbi est intemperans illa cibi & potus copiosi & generosi ingurgitatio; quâ magna copia humorum sanguineorum & acrium, in toto corpore & pulmonibus collecta, *antecedentem* huic morbo præbuit caussam. Pars verò ejus magna ex vasis pulmonum in eorum substantiam effusa, (causa hujus morbi *continens* existens) produxit suo pondere primum *dolorem gravantem*; &, acrimoniâ ac quantitate suâ bronchia pulmonum irritando, excitavit *tussim*; qua primo nihil expectorabatur, quia materia illa, pulmonum poris contenta, primò erat nimis crassa, & substantiæ eorum nimis firmiter affixa, quam ut de ea quicquam ex pulmonibus expectoraretur. Postea verò lapsu temporis fuit ille sanguis extravasatus in pus conversus, quod lapsu temporis putredinem & hinc fœtorem & tantam acrimoniam contraxit; ut illud ipsi dormienti tam vehementem concitaverit tussim, qua pulmonum bronchia & vasa, materiæ isti purulentæ & fœtidæ, in cavitate pulmonum collectæ, vicina, ac ab ejus acrimonia pene exesa, diffregerit, atque ita & *puri & sanguini copioso* in bronchiorum cavitates fenestram tantam aperuerit, ut vi vehementioris tussis tanta fœtidi puris & sanguinis floridi copia fuerit excreta, quæ jam aliquot pelves hactenus implevit.

Et quoniam pars puris putridi poros vasorum pulmonum intrat, & cum sanguine ibidem mixta ad cor defertur, in eoque vehementius & malignius incalescit, producit ea hic *febrim*; ex qua deinde oritur, ob œsophagi exsiccationem, molesta *sitis*.

Morbus hic, propter exulcerationem pulmonum & majorum vasorum, magnam copiam sanguinis effundentium, est *periculosissimus*. Hinc enim vel subitæ mortis, vel phthiseos est periculum. Quia tamen historiæ testantur nonnullos à tali morbo fuisse curatos; spes nondum plane decollavit.

Cura-

Curatio itaque tentanda; eaque consistet in sanguinis aversione & eductione, vasorum apertorum clausione, ulceris detersione, ejusque consolidatione.

Mox igitur sanguis per venæsectionem è dextro brachio educatur ad vnc. viij. Et venæsectio postridie; imo necessitate urgente, vel post tres horas, reiteretur.

Utaturque continuò pro tussi diatragacantho frigido tabulato, in ore detento.

Et hoc Eclegmate utatur, lambendo:

℞. *syr. de liquiritia* ℥jß.
syr. capill. ven. ℥j.
loch sani & experti ʒij.
syrup. violacei ℥ß.
Misce, F. Linctus, *quem lambat cum bacillo liquiritiæ.*

Purgetur etiam tali purgante hausto:

℞. *rhabarb. elect.* ʒjß.
mirabolan. citrin. ʒß.
tamarind. ℥ß.
Infunde in aq. plantag. ß. q. expressioni adde rhabarb. pulv. ʒß.
syr. de ros. sicc. ℥j. *scammonii gr.* IV.
Misce F. potus, *qui sumatur mane.*

Post biduum reiteretur purgatio hoc hausto:

℞. *elect. lenit.* ʒvj.
diacathol. ʒij.
aq. ungul. caballinæ ℥iij.
Misce, F. Potio.

Pro potu utatur hac ptisana:

℞. *hordei mundi pugill.* ij.
glycyrrizæ rasæ ʒij.
uvar. passular. ℥j.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. *addendo colaturæ sacchari q. s.*

Utatur etiam frequenter hoc amygdalato:

℞. *amygdalar. dulc. excorticatar.* ℥ij.
ſem. 4. frig. maj. ana ʒj.
cum aq hordei q. ſ.
F. emulſio amygdalata *ad lib.* j, *ſaccharo perlato q. ſ. edulcorata.*

Si ſputum ſanguinis copioſum perſeveret, utatur frequenter hoc decocto:

℞. *rad. ſimphyti maj.*
tormentillæ, ana ℥j.
herb. bellidis min.
mille folii,
pulmonariæ,
tuſſilaginis,
portulacæ,
plantaginis,
pyrolæ,
bugulæ, ana m. j.
ſem. hyoſcyami
acetoſæ,
portulacæ, ana ʒij.
Decoquantur in aq. communi ad lib. j. *in qua diſſolve ſyr. de portulaca, myrtill ana* ℥j. F. Apozema.

Sumat etiam ſubinde de his tabellis:

℞. *ſem. hyoſcyami alb. ſubtiliſſ. pulv.* ℈ij.
gummi arabici ℈j.
coralli rubr.
boli armeni an. ʒſ.
ſucci berberis ʒij.
ſacchari albi ℥ij.
aq. roſ.
plantag. ana q. ſ.
F. *tabellæ* ʒ *quantitate, quarum unam teneat in ore, donec ſenſim liqueſcat.*

Mag-

Magnopere hic etiam prosunt trochisci de alkekengi cum opio, in lacte dragmæ quantitate sæpe exhibiti.

Sub noctem etiam sumi potest hoc Medicamentum:

℞. *syr. de ros. sicc.*
de succo portulacæ.
papav. alb. ana ℥j.
Misce.

Capiat cochlear. unum singulis duabus horis, ita ut una nocte totus syrupus ille absumatur.

Cucurbita magna hepatis regioni potest adhiberi, & frequenter reiterari.

Oxycratum etiam potest testibus applicari.

Aër sit ad siccum & frigidum declinans. *Cibus* sit refrigerans, siccans, adstringens, paucus, ex pedibus vitulorum, lacte, carnibus vervecinis, gallinaceis, piscibus saxatilibus. *Potus* sit cerevisia tenuis, vinum aquosum, rubellum, lac caprillum, amygdalatum. Fugiat *exercitia* & quiescat. Aërem leviter inspiret. *Excrementa* alvi respondeant quotidie arte vel naturâ. *Somnus* sit nocturnus, moderatus. Abstineat à *Venere*. Vitet omnes *affectus*; præsertim iram.

II.

MEDICATIO MULIERIS, PHTHISI INVETERATA AFFLICTÆ.

Fœmina triginta quinque annorum, jam ab octo annis laborat tussi, cum exspuitione sanguineâ, interdum etiam purulentâ, alias quoque aquosâ. Huc accedit febricula, quæ se, à cibo præsertim sumpto, levi calore præternaturali & pulsu celeriore manifestat. Corpus ejus de die in diem magis magisque marcescit.

ceſcit. Quamvis multorum Medicorum conſilio ſit uſa, morbus tamen hactenus ſanari non potuit.

Afficiuntur in hac ægra *pulmones*, *eorumque vaſa*: quod ex ſanguinea purulenta & aquoſa exſpuitione, tuſſi facta, conſtat. Afficitur etiam *cor*, ut patet ex febricula illa continua ſubinde ingraveſcente. Afficitur *totum* etiam *corpus*; uti ex ejus marcore eſt manifeſtum.

Morbus, qui eam affligit eſt ulcus pulmonum; *quod* tuſſi, exſpuitione ſanguinea & purulenta, ac febri hectica comitatum, *Phthiſis* appellatur.

Cauſa hujus morbi eſt humor acris in pulmonibus genitus, & ob ejus poros nimis apertos, à reliquo ſanguine ſeparatus, ibique collectus; vel ab aliis partibus per deſtillationem eo delapſus. Hic bronchia irritans *tuſſim*, & ſubſtantiam ac vaſa pulmonum erodens, ibi *ulcus* produxit; quod nunc modò ſanguinem, modò pus in bronchia deponens, eaque tum quantitate, tum acrimoniâ ſuâ ſtimulans, *exſpuitionem ſanguinis & puris tuſſiculoſam excitat.*

Materia autem purulenta & ſanioſa, ulcus circumſtans, & in eo contenta, inficit ſua putredine ſanguinem; è dextro ventriculo in ſiniſtrum, per pulmones tranſeuntem: Qui deinde in cor perpetuò delatus, vitiat ibi ſanguificationem; efferveſcentiamque juſto celeriorem & malignam ibi excitans, facit *febriculam continuam*: quibus *totum corpus ſenſim indies magis magiſque*, ob defectum boni nutrimenti *contabeſcit.*

Febricula illa intenditur à ſumpto cibo: quia particulæ alimentorum aſſumptorum craſſæ, nondum ſatis benè coctæ, ubi cum reliquo ſanguine ſunt mixtæ, vehementius moventur. Illæ enim tales ibi faciuut in ſanguine & corde poros, ut ſubtilis materia illas vehementius movere poſſit; atque ideò hæ vehementiorem in corde ſanguinis efferveſcentiam excitant; quæ deinde, partibus alimenti magis

ab ul-

ab ulteriore coctione attenuatis, paulatim imminuitur; & assumpto rursus novo alimento, iterum intenditur.

Ulcus hoc, tum ob febrim hecticam comitem, tum per se, tum quia jam multorum præstantium Medicorum consilia sprevit, non videtur posse sanari. Attamen, ad vim morbi mitigandam, & vitam prolongandam, *medelâ palliativâ* uti poterit; quæ consistet in materiæ acris attemperatione, ulceris detersione, &, quanta fieri potest consolidatione, febrisque mitigatione. Præsertim cum Historiæ testentur phthisicos, plane consumptos, fuisse sanatos.

Ad hos scopos utatur hoc pulvere, qui Haly abbati à Valesco de Taranta adscribitur:

℞. *gummi arabici, tragacanthæ,*
amyli ana ʒiij.
sem. papaver. albi ʒx. *portulacæ, malvæ ana* ʒv.
cucurbitæ, melonum, cucumeris, citrullorum, cydoniorum mund. an. ʒvj.
succi glycyrrhyzæ, spodii an. ʒiij.
penidiorum ad pondus omnium.
F. pulvis, de quo dentur omni mane ʒij, *cum syrupo papaverino vel jujubino. Eo etiam utatur ægra in hordeatis, amygdalatis, aliisque cibis.*

Noctu dormitum itura utatur de his trochiscis:

℞. *gummi tragacanthæ, arabici,*
thuris ana ℈j.
amyli ʒj.
medull. sem. melonum,
sem. papav. albi recent., hyoscyami, ana ʒs.
coralli rubri, oculorum cancri, ana ℈ij.
opii, in vino generoso dissoluti, gr. vj.
mucilag. rad. althææ & consolid. q. s.
sacchari penidiati mediam partem ponderis reliquorum omnium.

F. tro-

F. trochiſci ʒ *dimidiæ ponderis; quorum unum, inter dentes & buccas retentum, contineat, ſicque ſuperdormiat, & ſponte eum diſſolvi ſinat.*

Uſus ſacchari roſati & conſervæ roſarum diuturnus, continuus, ac multus, multos reſtituiſſe dicitur.

Syrupus de ſymphyto hic etiam eſt optimus: nam deterget, conſolidat, & adſtringendo roborat. Radix etiam ſymphyti decocta in juſculo eſt magnæ efficaciæ. Vel

℞. *ſacchari roſati* ʒiij.
flor. ſulphuris ʒij. *Miſce.*
Sumat mane & veſperi magnitudinem caſtaneæ. Vel

℞. *pulv. millefolii* ʒj.
juris pulli ʒiij.
Sumat in aurora per aliquot dies. Vel ex eo pulvere cum ſacchari ſ. q.
F. *tabellæ, quarum unam ſemper in ore geſtet.*

Utatur etiam hoc decocto:

℞. *rad. chynæ* ʒiij.
ſantali citrin. ʒij.
decoq. in aqua borrag. & capill. ven. an. lib. iij.
Poſt infuſionem decoquantur ad tertiæ partis conſumtionem. De colatura ſumat mane ʒiiij., *& tantundem bibat in prandio & cæna.*

Verſetur in aëre ſicco, temperate calido. *Cibus* ſit panatella, ex pane in jure pulli cocto; ex pulli carnibus, ovis ſorbilibus, ptiſanâ ex integro hordeo deglumato coctâ. *Potus* vini ſit oligophori. Procuretur *alvi* humectatio prunis decoctis, ante cibum exhibitis; aliquando cum mannæ vel ſyrupi violacei ſolutivi uncia una. Lacte aſinæ, vel capræ, vel nutricis, non videtur utendum, ob febrim. Attamen multi ejus uſu dicuntur reſtituti; & quidem in tantum, ut teſte Platero, nutrices dicantur ex ipſis concepiſſe.

MEDI-

III.

MEDICATIO VIDUÆ, PHTHISI INCIPIENTE LABORANTIS.

Vidua viginti quinque annorum jam ab aliquo tempore graviter afficitur defluxione tenui & acri, quam in pectus sibi ex capite delabi sentit. Hanc comitatur tussis sicca, ferè perpetua, cum macie, febri lenta, & genarum rubore. Ante duos menses ejus maritus Phthisi periit; cui noctes diesque adhærens, pravum aërem, quem, exhalabat, inspirare fuit coacta.

In hac ægra *afficiuntur pulmones*; ut patet ex tussi: *caput*, quod indicat destillatio: *cor*, quod probat febricula: & *totum corpus*, quod constat ex macie.

Morbus, quo ægra præcipuè laborat, est intemperies maligna pulmonum serosa, & acris, non diuturna; quæ febriculam lentam, tussim siccam ac perpetuam, ac totius corporis maciem, cum genarum rubore, inducens, *phthisis incipiens* appellari potest.

Causa & origo hujus mali est conversatio perpetua cum marito phtisico; qua aërem ab illius halitu corruptum hauriens, malignam qualitatem per contagium impressit cerebro, pulmoni, sanguini eum transeunti, & cordi: unde orta est hæc destillatio acris, ad pulmones delabens, & tussim excitans; item pulmonum & sanguinis totius corporis corruptela cum fervore conjuncta, unde genarum rubor: & cordis maligna intemperies calida; atque hæc febricula, lenta, & hectica, est profecta.

Morbus hic, propter malignitatem & principes partes affectas, est *periculosissimus*.

Curatio itaque circumspectè aggredienda. *Eaqua* consi-

 stet

ſtet in pravis humoribus leniter evacuandis, & partibus affectis alterandis.

Primo itaque purgetur tali potione:

℞. *foliorum ſennæ* ʒij.
rhabarbari ʒj.
cinnamomi ϑj.
Infunde per noctem in decocti pectoralis ʒiv.
Colaturæ adde mannæ calabricæ ʒij.
ſyr. roſati ſolut. ʒſ. *M. fiat* hauſtus,
manè exhibendus.

Poſtridiè per venæ ſectionem educatur ſanguis ad ʒvj.

Poſteà utatur juſculis pectoralibus ex *capillo Veneris, pulmonaria, ſcabioſa, tuſſilagine, praſſio, aliiſque ſimilibus*, per dies duodecim, quibus quarto quoquo die incoquatur ſennæ uncia dimidia.

Poſt juſcula utatur balneo ex hordei & amygdalarum dulcium decocto.

Sub noctem ſumat cochlear unum hujus ſyrupi, fluxionem & tuſſim cohibentis:

℞. *ſyrupi violacei, jujubini, de roſis ſiccis, de papav. alb. an.* ʒj. M.

Si malum perſeveret, adhibeatur cauſticum utrique axillæ ad fonticulos faciendos, quibus derivabuntur humores ad pectus delabentes.

Diæta ſit ſimilis illi, quæ in præcedente medicatione fuit præſcripta.

IV.

MEDICATIO VIRI, ASTHMATICI.

VIr quadraginta annorum, ſanguineus, Veneri & Baccho gnaviter operam dare ſolitus, ab hinc aliquot annos, per aërem gelidum, pluſculis milliaribus, rhedâ vectus, incurrit exiguam quan-

quandam respirationis difficultatem: quæ postea ita sensim fuit aucta, ut per temporis intervalla, dense, crebre, sive anhelosè, & cum sibilo spiret; præsertim ubi acclivia ascendit loca, vel alio celeriori & vehementiori motu corpus exercet. Malum hoc durare solet, donec multum crassi & viscidi sputi tussiendo excreverit. Jam nunc, morbi sui exacerbationem patiens, non tantum anhelo sibilo spirat; sed etiam, præ metu suffocationis, erectus, ad aërem facilius ducendum, sedere cogitur.

Afficiuntur in hoc ægro *pulmones*, tum secundum substantiam, tum secundum bronchiorum asperæ arteriæ ramos & cavitates: quod ex difficili respiratione, & sputo tussiendo rejecto, ac malum hoc sua evacuatione levante, est manifestum.

Morbus, qui eum affligit, est pulmonum intemperies pituitosa & serosa, cum bronchiorum obstructione & compressione conjuncta; quæ difficilem, crebram, anhelam, sonoram, & erectam respirationem hic excitans, *Asthma*, imo *Orthopnæa*, jam appellari potest.

Causa *procatarctica* hujus morbi fuit aër gelidus, per quem hic vir aliquot milliaribus jam pridem fuit vectus. Ille enim pulmones, ex nimia Venere & Baccho debilitatos, sanguinemque copiosum iis contentum (qui *antecedens* hujus morbi est causa) ita refrigeravit, ut partibus quibusdam pulmonum à frigore coarctatis, pori multi in eorum substantia & vasis plus justo fuerint aperti; quo serosæ & pituitosæ sanguinis, in pulmones delati, & magnâ copiâ eos, ob sanguinis circulationem, perpetuò transeuntis, partes, à reliquis separatæ, & in pulmonum substantiam cavitatesque bronchiorum effusæ, hujus morbi & omnium symtomatum *continentem* jam sæpius antehac præbuerint, & etiam nunc præbeant causam.

Cum enim in principio hujus mali pauca materia serosa & pituitosa in bronchia & substantiam refrigeratorum pul-

monum, per poros paucos ex refrigeratione, eâ quâ dixi, ratione apertos, sese effunderet, eaque nonnihil angustaret, *respirandi difficultas fuit exigua*. Cum verò, ex prima illa pulmonum intemperie, concoctio eorum, qua sanguinem, eos perpetuo transeuntem, debent concoquere, ex seroſorum & pituitoſorum humorum, ibi à reliquo sanguine separatorum & incrassatorum, copiâ, magis magisque debilitaretur; hinc seroſi, pituitoſi, & viscidi humores sensim in pulmonibus incrementum in tantum sumserunt, ut eorum meatus, ab iis arctati & obstructi, *non nisi paucum aërem, eumque sibilantem, & crebrum, seu anhelum, intromittere & emittere potuerint*. Atque hoc jam aliquoties tamdiu duravit, *donec pituita illa copioſa & acris*, per tussim vel alio expectorandi conatu satis copioſè, ex irritatis pulmonibus, *ejecta*, eorum bronchia & poros ab obstructione & compressione liberaverit, *respirationemque liberiorem fecerit*.

Postea vero, quia ab illa pulmonum intemperie, antehac à gelu contractâ, rursus nova in pulmonibus gignitur materia pituitoſa, quæ meatus eorum rursus angustat; hinc *deinde nova, hujus mali nascitur exacerbatio*: quæ, post sufficientem ejus expectorationem, novas hujus mali adducit inducias, aliâ exacerbatione, ex pituitâ postea rursus sensim genitâ & collectâ, rumpendas.

Augetur hæc difficultas respirandi cursu, acclivium ascensu, alioque vehementiore corporis motu; quia materia, quæ pulmonibus continetur, iis dilatata, bronchia pulmonum magis arctando, pauciorem aëris in pulmones ingressum permittit.

Jam autem in paroxysmo, quem æger noster patitur, non tantum difficulter, sonorè, velociter, densè, & anhelosè ille spirat; sed, ad suffocationem vitandam, etiam *erectus spiritum ducere cogitur*: quia tanta copia pituitæ in pulmo-

pulmonibus ejus jam est collecta, ut, si jaceat, pulmones collapsos, & eo corporis situ magis arctatos, ad respirandum minus dilatare queat, atque ideo corporis erectione eorum dilatationem juvare cogatur.

Velocitas autem & frequentia anhela respirationis, quæ in asthmaticis his exacerbationibus animadvertitur, ex eo originem ducit, quod, cum, ob arctatos & obstructos pulmonum meatus, multum aëris in thoracem inspirari non possit, & spiritus sit sic satis validus, inspiratio necessariò valde brevi hic peragatur tempore, quâ peractâ, mox per spontaneam musculorum inspiratoriorum contractionem pauci spiritus, qui in iis sunt, brevi temporis spatio in exspiratorios musculos, ad exspirationem vicissim perficiendum, per valvulas sublatas & poros in eos spectantes, in Physicis ante hac explicatos, transmittuntur. Cumque hi musculi tantum paucos spiritus ab illis musculis accipiant, hinc fit, ut ob paucitatem suam, per spontaneam exspiratoriorum musculorum contractionem, brevissimo tempore per alias valvulas & poros in inspiratorios musculos remittantur, atque ita celerem faciant exspirationem; quam deinde, ob causas jam dictas, alia nova celeris & brevis inspiratio & exspiratio vicissim insequuntur.

Huc accedit, quod in hoc affectu, ob bronchiorum pulmonum compressionem & obstructionem, tantum aër paucus eorum cavitates possit ingredi, qui cum sanguinem, ex dextro vẽtriculo in pulmones iteratis vicibus propulsum, sufficienter refrigerare non possit, hinc sanguis solito calidior ad ventriculum sinistrum cordis, & inde in cerebrum & plexum choroidem à corde propellitur; qui, ob caliditatem suam solito majorem, in cerebro, in spiritus animales solito celerius motos conversus, necessariò etiam solito celeriores spirituum animalium in musculos inspiratorios & exspiratorios facit reciprocationes, quæ inspirationis

& exſpirationis ſolito celeriores in hoc affectu proximè efficiunt vices. Idque fere eodem hic contingit modo, quo ex curſu calefactus in corde ſanguis, ſolito celeriores in cerebro producit ſpiritus animales, & hinc celeriores etiam inſpirandi & exſpirandi alternationes, in omni curſu paſſim obſervabiles.

Et quia hæc ratio eſt ſufficiens & manifeſta, idcirco *nequaquam occultæ naturæ providentiæ hic eſt attribuendum, quod illa*, quia propter viarum anguſtiam & obſtructionem ſufficiens aëris quantitas hic inſpirari non poteſt, *ea, quæ magnitudini ſufficienti reſpirationis deſunt, frequentiâ & velocitate reſpirandi compenſet*, atque ita frequentem & velocem reſpirationem, pro occultâ ſuâ providentiâ, hic faciat. Omnis enim utilitas, quæ in rerum naturalium operationibus obſervatur, ubi intellectus immediatè non concurrit, ea à ſolâ mechanicâ partium diſpoſitione proficiſcitur; atque ideo etiam ab eâ, non autem à naturæ occulta providentia, quippe quæ nulla hic immediatè concurrat, explicatio ejus eſt repetenda.

Quia hic morbus, aliquot annis durans, radices tam altas egit, ut in orthopnœam excreverit; & æger jam ad ſenectutem vergit; idcirco non exiſtimo illum penitus ſublatum iri. Imo metus eſt, ne æger in ipſo paroxyſmo, aliquando ſuffocetur. Ideoque, tum in paroxyſmo, tum extra illum, diligenti *Curatione* erit laborandum, ut cauſa antecedens & continens auferantur, & obſtructio ac intemperies pulmonum, quantum poteſt, tollantur, vel ſaltem imminuantur.

Cum itaque æger jam *in paroxyſmo* verſetur, & ſanguis in ipſo abundet, ſanguis ex apertâ venâ, pro ratione virium, mox erit educendus. Si vero ſæpius ille eſſet eductus, venæ ſectio plane eſſet omittenda.

Venæ ſectione peractâ, tales pilulæ exhibeantur:

℞. *maſſ.*

℞. *maß. pil. cochiarum* ʒß.
ſcammonii gr. xij.
cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ. F. pilulæ No. vij.

Sed præſtantius erit tale vomitorium:

℞. *vini emetici, ex infuſione croci metallorum facti,* ʒjß.
ſalis vitrioli ∋ß. Miſce.

Vomitus enim hic non tantum ea evacuat, quæ circa ventriculum exiſtunt; ſed etiam illa, quæ ſunt in ipſis pulmonibus: eaque vomendi conatu, partim ex bronchiis pulmonum per aſperam arteriam & os foras rejiciuntur; partim ex pulmonum carne in eorum vaſa & inde per cor & arterias in inteſtina & ventriculum felicius deturbantur. Atque hinc ſæpe contingit, ut unico vomitu tollatur paroxyſmus.

Lambat etiam à vomitu ſæpius de hoc eclegmate:

℞. *aquæ ſtillatit. cinnamomi opt.* ʒij.
oxymell. ſcyllitici ʒj. Miſce.

Uſurpari etiam poterit vinum, in quo millepedes ſeu aſelli, panno lineo incluſi, fuerunt immacerati & expreſſi. Uti etiam croci ſcrupulus unus cum vino malvatico exhibitus.

Inter horum uſum adhiberi poterunt brachiorum & crurum frictiones, & ligaturæ ſubinde ſolvendæ & reiterandæ; quibus materia ad pectus fluens ad illas partes revelletur.

Ubi æger *à paroxyſmo* erit liberatus, humores, in pulmonibus & reliquo corpore exiſtentes, erunt alterandi, & præparandi tali remedio:

℞. *rad. helenii* ʒjß.
glycyrrizæ, petroſelini an. ʒj.
herb. marrubii, betonicæ, capilli vener., pulegii, hyſſopi, tuſſilaginis an. m. j.
ſem. fæniculi ʒiij.

caricar.

caricar. pinguium. par. vj.
paſſular. ℥j.
Decoq. in aqu. hord. ad lib. j.
In Colat. diſſolve ſyr. de hyſſopo, glycyrrizæ an. ℥j.
M. F. Apozema, de quo bibat hauſtum bis terve in die.

Poſtea ii ſubinde purgentur tali potione:

℞. *agarici* ʒiij. *fol. ſennæ* ʒj.
cremor. tartari ℈j.
cinnamomi, zinzib. an. ℈ſ.
infundantur per noctem in aqu. cardui benedicti ℥iiij.
mane colaturæ adde elect. diaphœnici ʒij. *oxymell. ſcyl.* ℥j.
Miſce F. hauſtus.

Vel his pilulis ſingulis menſibus corpus ejus evacuetur:

℞. *pil. de hiera cum agarico* ℈ij.
ſcammonii gr. vij. *cum ſyr. roſ. q. ſ.*
F. pilulæ No. vij.

Et quotidie ad intemperiem pulmonum corrigendam de hoc electuario ſumat caſtaneæ quantitatem, bis in die:

℞. *rad. helenii condit.*
conſervæ violar., betonicæ, an. ℥j.
pulv. liquiritiæ ʒj *ſ. pulmon. vulp.* ʒij.
Cum ſyr. de hyſſopo q. ſ. miſce in formam Electuarii.

Utile hic etiam eſt decoctum guajaci, ſaſſafras, ſalſæ, & chynæ, cum pectoralibus factum, & citra ſudores ſæpius & diu uſurpatum.

Neque hic omittendi fonticuli, in brachio & crure geſtati.

In *victus ratione* aër ſit calidus & ſiccus. *Cibus* ſit ex carne vervecina & gallinis: ex fæniculo, thymo, hyſſopo, calamintha. *Potus* ſit vinum tenue, aqua mulſa. *Exercitium* ſit lenta ambulatio, ante cibum ad laſſitudinem uſque facta; & partium infernarum frictio. *Somnus* ſit moderatus. Vitentur *animi* vehementiores perturbationes.

MEDI-

V.

MEDICATIO JUVENIS, PALPITATIONE CORDIS LABORANTIS.

JUvenis viginti quinque annorum biliosus, dum æstivo tempore se vehementius exercebat, incidit in vehementissimum & inordinatum cordis, arteriarumquè motum, qui ipsum adeò torquebat, ut penè in syncopen incideret. Postea ex levi excandescentia, vel alio vehementiore animi motu, eodem affectu sæpiùs correptus fuit; & jam novum patitur paroxysmum.

Afficiuntur in hoc ægro *cor & arteriæ*; quod ex vehemente & inordinato eorum motu, & syncopes periculo patet.

Morbus, qui ægrum torquet, est intemperies biliosa, & acris sanguinis; quæ in corde, & arteriis vehementem & inordinatum motum intumescentiæ & detumescentiæ, sive diastoles & systoles, efficiens, *Palpitatio cordis* vulgò appellari solet.

Procatarctica hujus morbi causa est ætas juvenilis, & intemperies biliosa nostri ægri. Hinc enim multi bilioſi & acres in ipsius corpore fuerunt geniti humores, qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum, primò vehementioribus illis exercitiis ab ægro nostro, tempore æstivo, factis, & deinde etiam vehementioribus animi pathematis, à reliquo sanguine separata, vel ex loco aliquo, in quo extra vasa antea existebat, in venas propulsa, sanguinique commixta, & postea ad cor delata, illudque vellicans, & effervescentiam pravam ibi efficiens, *continens* hujus morbi & symtomatum est causa.

Ex vellicatione enim ista, à biliosis & acribus humoribus in corde facta, defertur iste motus pravus per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum, cerebrique spiritus; quo pori cerebri ita aperiuntur, ut spiritus, in cordis fibras ve-

hementiùs inordinatiùsqué fluentes, inordinatum vehementemque illum motum, qui *Palpitationis cordis* nomine vulgò indigitatur, inducant.

Quia autem per vehementem inordinatumque illum motum ſpiritus & utiles ſanguinis partes valdè diſſipantur, ſanguiſque reliquus ad dilatandum ineptus evadit, hinc parùm abfuit, quin *in Syncopen* noſter æger incideret.

Morbus hic periculoſiſſimus eſt, quia cor, omnium partium pars nobiliſſima, adeò gravitèr afficitur, ut lethalis Syncope inde ſit metuenda.

Curatio itaque diligenter eſt inſtituenda. *Eaque* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, & intemperiei ablatione, conſiſtet.

Primò itaque per triduum tali utatur medicamento:

℞. *ſyr. de ſuc. acetoſæ, de acetoſit. citri, de ribes an.* ℥j. *aq. cich., borrag., bugloſſ. ana.* ℥iij. M. *F.* Julapium, *quod ſumat quotidiè jejunus, per triduum.*

Poſtea tali purgetur potione:

℞. *rhabar. ſelect.* ʒjſ. *ſpic.* ƒſ. *aq. cichor.* ℥iiij. *poſt levem ebullitionem infundantur per noctem. colat. add. diaprun.* ʒiij. *ſyr. roſ. ſol.* ℥j. *M. F.* Potio.

Evacuato corpore, matutino tempore quotidie utatur tali electuario, tribus horis ante paſtum, magnitudine caſtaneæ majoris:

℞. *conſerv. roſ., violar., bugloſ. ana.* ℥ſ. *meliſ.* ʒiij. *ſpec. diarrhod. abbat., diatrium ſan., diamarg. frig. an.* ʒij. *oſſis. de cord. cervi, ſem. citri ana.* ƒj. *corall. rubr. præp.* ƒſ. *cum ſyr. de limon. q. ſ. F.* Electuarium.

Et hoc epithema cordi manè, & veſperi, admoveatur tepidum:

℞. *corall. rubr. & alb., ſant. omnium, ſpec. diamarg. frig. an.* ʒj.

croci

croci ℈j. *camphor. gr.* iij.
aq. ros. lib. ſ., borrag., bugloſſ. ana. ℥ij.
acet. vin. opt. parùm. M. F. Ephithema.

Poſt uſum epithematis talem ſacculum cordis regioni admoveat:

℞. *flor. ros. rubr. exſiccat., bugloſ. borrag. ſiccor. ana* ℥j.
fol. meliſ. exſiccat. ʒj. *ſantal. omnium, ana* ʒjſ.
oſſis de corde cervi pulv., coral. rubr. pulv. ana ʒj.
behen alb. & rubr. ana ʒſ.
omnia in pulverem redacta includantur ſacculo ſerico, multis locis interſuendo, qui aq. roſ. irroratus, & in olla munda calefactus applicetur regioni cordis.

In *victûs ratione aër* ſit temperatus. *Cibus* eupeptus, elixus potiùs quam aſſus, ſucco limonum conditus. *Potus* ſit cereviſia, & vinum mediocre. *Fugiat* vehementiorem corporis motum, & vehementiora animi pathemata. *Somnus* ſit mediocris. *Alvus* reſpondeat naturâ vel arte.

VI.

MEDICATIO MULIERIS, SYNCOPE LABORANTIS.

Mulier triginta annorum, temperamento biliosa, videns ancillam ſuam cum infante, quem ulnis geſtabat, periculoſiſſimo lapſu ex ſcalis decidere, magno terrore fuit perculſa. Inde mox incidit in ventriculi roſiones, vomitum bilioſum & ſeroſum concitantes; atque etiam in magnos artuum dolores: quos paulo poſt inſecutus eſt cadaveroſus totius faciei pallor; membrorum flaccidorum refrigeratio, & ſudor; pulſus rarus, obſcurus, & interdum quaſi abolitus; omnis penè ſenſus & motus ablatio. Ab hac anxietate difficulter poſtea liberata, iam ſæpius ſimiles paſſa

est insultus. Quoties ad se redit, de magna oris conqueritur amaritudine.

Afficitur in hac ægra *ventriculus;* ut constat ex rosionibus, in eo circa os enitiforme perceptis, & oris amarore: item *artus*; quod docent eorum dolores: nec non *cor*; quod ex pulsu languido, & totius corporis refrigeratione: & denique *cerebrum*; quod ex abolito sensu & motu patet.

Morbus præcipuus; qui eam jam aliquoties torsit, est intemperies cordis frigida, quæ pallorem vultus cadaverosum; frigidum totius corporis sudorem; pulsum rarum & pene abolitum; nec non omnis pene sensus & motus abolitionem accersens, *Lypothymia* vel *Syncope* nuncupatur.

Nec obstat, quod ea à biliosâ materiâ, in cor effusâ, oriatur: Nam & oleum nimis copiosum, in ignem injectum intemperiem frigidam in foco inducit.

Causa *prima* sive *procatarctica* hujus morbi fuit terror, quo hæc fœmina, ex infantis periculosè labentis conspectu, vehementer fuit perculsa. Causa *antecedens* est congeries biliosorum, acrium, & serosorum humorum, in vasis & circa ventriculum collecta. Ea verò ubi à perturbatione spirituum, ex vehementi terrore excitatâ, in ventriculum & artus, nec non in cor copiosius defertur, *continens* ejus est causa.

Ex magno enim illo terrore spiritus in cerebro ita primum fuerunt determinati, & pori cerebri, in nervos spectantes, ita aperti, ut spiritus in totum corpus magnum impetum fecerint, quo humores serosi & biliosi, in corpore collecti vel geniti, à reliquo sanguine fuerunt separati; iique, ex receptaculis suis in varias partes propulsi, excitarunt in *ventriculo* rosiones & vomitus biliosos & serosos; in *artubus* dolores articulares; in *corde* verò, copiâ & crassitie, aliâque ad dilitandum ineptitudine, refrigerationem inducentes, impediverunt justam sanguinis effervescentiam:

& præ-

& præterea peculiari suâ acrimoniâ moverunt ita nervos sextæ conjugationis, cordi implantatos, ut per poros cerebri, eâ apertos, spiritus animales copiosius in fibras cordis constrictorias fluxerint, & sufficientem cordis dilatationem impediverint, Atque ita, propter duas illas causas, justa sanguinis calefactio, & cordis justus motus, & calor, impedita fuerunt. Atque hinc factus est primo *pulsus languidus, rarus, & pene abolitus*: qui cùm corpus satis calefacere & sanguinem satis copiosè per corpus distribuere non posset, idcirco hunc deinde, ob defectum sanguinis rubicundi, insecutus est *cadaverosus faciei pallor*, item (ob defectum caloris) *omnium membrorum refrigeratio*: & (ob vaporum, ex corpore perpetuò alioquin exhalantium, ex eâ refrigerationem & incrassationem) *sudor frigidus*: nec non, (ob spirituum animalium, in cerebro ex tam debili cordis motu deficientium, inopiam) *omnis sensus & motus ablatio.*

Ubi autem materia illa prava tandem à corde & ventriculo magnam partem fuit discussa, vel aliò translata, sanguis melior, ad cor paulatim rediens, majorem concepit effervescentiam; & spiritus, ex cerebro copiosius in fibras cordis dilatatorias fluentes, auxerunt cordis motum, sanguinemque calidiorem per totum corpus distribuentes, *revocarunt ægram nostram ad se.* Quæ deinde, aliis partibus pravorum humorum, ad cor & ventriculum subinde redeuntibus, vel ibi auctis, vel genitis, *in lypothymiam rursus subinde incidit.*

Amaror autem, *quem in ore percipit*, oritur à bile, tum in ventriculo, tum in vasis existente, & in linguam & palatum sese inde effundente.

In hoc affectu, quia cor tam graviter afficitur, magnum imminet periculum. Quia tamen ex animi pathemate est ortus, bene de illius *Curatione* est sperandum. *Eaque* tum

in paroxysmo, *tum extra eum*, consistet in pravorum humorum discussione, & sanguinis & cordis intemperie corrigenda: *extra paroxysmum* verò, etiam in pravorum humorum evacuatione.

Ubi itaque *in paroxysmo* versabitur ægra, aquæ frigidæ in faciem sparsione, sternutatoriorum in nares inflatione, extremorum frictione & ligatione, nec non aquæ cinnamomi in os infusione, ad se erit revocanda.

Extra paroxysmum verò, primò exhibeatur tale purgans;

℞. *fol. sennæ* ʒiij.
rhabarb. ʒj.
fol. absinthii ʒj.
sem. anisi, fæniculi an ʒs.
aq. hordei ℥iiij.
Post levem ebullitionem macerentur simul per noctem in loco calido. Forti expressioni mane factæ
addatur syr. ros. solut. ʒj.
Misce F. haustus, aliquoties reiterandus.

Si amaror oris perseveret, utatur tali vomitorio:

℞. *vini emetici* ʒj s.
salis vitrioli albi ℈s.
vini albi ℥ij.
Misce pro Vomitorio.

Interim utatur hoc medicamento cardiaco, quod etiam in ipso paroxysmo exhiberi poterit:

℞. *aq. cinnamomi* ʒj.
succi limonum ʒij.
spec. cord. ʒs.
Misce. Capiat tribus vicibus.

Quo consumpto, utatur hoc julepo:

℞. *julepi rosati* ʒij.
aq. cinnamomi,

syr. de

Syr. de limonibus an. ℥ß.
manus Christi ʒij.
Misce, & capiat frequenter cochleare unum vel alterum.

Pro oris amarore uti etiam poterit subinde de hac potione:

℞. *Syr. de limonibus,*
de agresta an. ʒj ß.
aq. cinnamomi ʒij.
Misce.

Uti etiam poterit vino absinthite pro eodem amarore.

In *diæta aër* sit temperatus & modicè lucidus. *Cibus* sit concoctu facilis, ex jusculis carnium, hordeatis, & amygdalatis. *Potus* sit vinum tenue, cerevisia tenuis. *Motus* vehementior vitetur, & quiescat moderatè. *Vitet* vehementes animi perturbationes. *Utatur* amicis jucundis.

VII.

MEDICATIO JUVENIS, PLEURITIDE LABORANTIS.

JUvenis viginti duorum annorum, ex cursu æstuans, ac sudore madens, cerevisiam tenuem frigidam copiosè hausit; unde paulò post atroci dolore lateris dextri in pectore correptus fuit; cum tantâ respirandi difficultate, ut suffocari videretur. Accessit deinde horror, quem secutus est calor totius corporis perpetuus, & magna sitis. Pulsus est celer, creber, & inæqualis. Tussis adest etiam molesta; & sputum sanguine tinctum.

Afficitur in hoc ægro *membrana*, pulmonem dextrum investiens; & forsan etiam *pleura*, in dextra pectoris laterali parte; atque etiam *pulmo*. Idque ex dolore illo atroci, pecto-

pectoris latus dextrum occupante, item ex maxima illa respirandi difficultate, & sanguinolento sputo nostri ægri patet. Afficitur etiam *cor*; uti ex pulsu celeri, crebro, & inæquali, item ex totius corporis horrore, & insecuto perpetuo calore, ac siti, febrim continuam indicantibus, est manifestum.

Morbus hujus ægri est membranæ pulmonem dextrum investientis, & forsan etiam pleuræ ejusdem lateris, inflammatio: quæ atrocem dolorem lateris dextri in pectore; respirandique maximam difficultatem; nec non febrim continuam inducens, *Pleuritis* vulgo appellatur.

Causa hujus morbi *procatarctica* fuit potus cerevisiæ frigidæ, copiosè ab hoc juvene æstuante, & sudore madente, haustus. Cerevisia enim illa frigida per æsophagum in pectore copiosa transiens, & in ventriculo existens, clausit, suo frigore, multos in pulmonibus & pectore, valde cum reliquo corpore æstuantibus, plurimosque vapores undique emittentibus, poros; quo magna vaporum istorum pars per alios meatus egressum, cum aliis vaporibus, eodem tendentibus, sibi parare, meatusque illos pectoris & pulmonum plus justo aperire cogebatur. Præterea ab illo frigido ingesto potu forsan fuit sanguis, in pulmonibus & pectore existens, in quibusdam vasis aliquantum condensatus & coagulatus, quo justa sanguinis circulatio nonnihil fuit impedita, unde vasa vicina a sanguine impulso valde intumuerunt, eoque pori eorum nimium fuerunt dilatati & expansi. Poris autem plus justo in pulmonibus & pleurâ, propter duas, vel singulas has causas, plus justo apertis, & expansis, humores quidam fervidi, ex sanguine totius corporis copioso (qui *antecedentem* huic morbo præbet causam) à corde extra vasa in membranam pulmonem dextrum investientem, & forsan etiam in dextro lateris pleuram, propter majorem ipsarum præ cæteris laxitatem, copio-

copioſè fuerunt impulſi & etiamnum impelluntur; iique ibi corrupti, & tales ex corruptela poros adepti, ut a ſubtili æthere ibi vehementiſſime & varie agitentur, eoque valde incaleſcant, inducunt jam, tanquam cauſa *continens*, inflammationis, in dextri lateris membranis pulmones & coſtas inveſtientibus, *tumorem*; unde omnia *ſymtomata* hunc ægrum graviſſimè infeſtantia, nunc porro conſequuntur.

Cum enim, propter inflammationis tumorem, pectus & pulmones inter reſpirandum ſufficienter dilatari non poſſint, hinc oritur *reſpirandi* in noſtro ægro *difficultas*; & quia, propter reſpirationem qualemcumque noſtri ægri, membrana pulmones inveſtiens & pleura, quæ valde hic tument, & acutiſſimi ſenſus ſunt inſtrumenta, vehementius diſtenduntur, hinc oritur in inſpirando *vehemens ille punctorius pectoris dolor lateralis*; & quoniam pars fervidorum & pravorum humorum ex partibus inflammatis per venas, ope circulationis ſanguinis, ad cor perpetuò pervenit, ibique febrilem incaleſcentiam continuò concipit, & inde per totum corpus diffunditur, hinc eſt *febris illa continua*, quæ inflammationem hanc comitatur; & quia ex partibus inflammatis, per poros earum nimis apertos, in bronchia pulmonum ſanguis & quidam acres vapores & humores frequenter impelluntur, qui membranas bronchiorum frequenter vellicant, hinc in hoc affectu obſervatur *frequens tuſſis & ſanguinis ſputum*.

Morbus hic, propter vehementiam ſymtomatum, parteſque affectas, & empyematis metum, valde eſt periculoſus; ideoque diligenti *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in cauſæ antecedentis, continentis, tumoris, intemperiei, ac doloris ablatione conſiſtet.

Primò itaque, ad ſanguinem affluentem & allapſu-

rum commodissimè à partibus affectis revellendum & ex corpore evacuandum, mox aperiatur vena brachii dextri lateris, & sanguis educatur ad uncias decem vel duodecim, pro ratione virium.

Post venæ sectionem injiciatur talis clyster alterans & purgans:

℞. *malvæ, bismalvæ, mercurialis, violariæ an. m.* j *s. hordei mundati m.* j. *prunor. damascen. par.* vj. *decoq. in aq. comm. q. s. ad lib.* j *s. in Colat. dissolve elect. diacathol., sacchari rubr. an.* ℥j. *olei violar.* ℥j *s. vitell. ovi* No. 1.
Misce F. Clyster, *subinde reiterandus.*

Si dolor his non imminuatur, venæ sectio poterit eodem die vel postridie, imo & aliis diebus, pluries reiterari.

Thorax, in parte dolente, spongiis vel linteis lacte tepido imbutis & expressis aliquamdiu fotus, oblinatur hoc linimento:

℞. *olei amigdalar. dulc., violacei an.* ℥j. *unguenti althææ* ℥j. *Misce.*

Et de sequenti decocto ter quaterve in die bibat:

℞. *fol. violariæ, borrag., scabiosæ, bugloss., bellidis an. m.* j. *capill. vener., tussilag. an. m.* ß. *glycyrrizæ rasæ* ℥ß. *prun. damascen.* No. vij. *passular.* ℥j ß. *decoq. in aq. hordei q. s. ad lib.* jß. *in Colatura dissolve syr. capill. vener., violacei, papaveris rhœados an.* ℥ß. Misce F. Apozema.

Interdum bibat haustum tenuis cerevisiæ in quo dissoluta sit ℥j. salis prunellæ.

Ad sputum facilitandum utatur hoc linctu:

℞. *syr. capill. veneris, violacei, an.* ℥j.

de

de liquiritia, papaver. rhœad. an. ʒß. Miſce.

Si dolor ingens urgeat, hoc utatur bolo anodyno, & materiam acrem retundente, ac diſſipante:

℞. *requiei Nicolai, theriacæ an.* ʒß.
laudani opiati gr. iv. *Miſc. F.* bolus, *veſperi dandus.*

Et hoc utatur cataplaſmate:

℞. *caricar.* ʒiij.
decoq. in lactis q. ſ. & contundantur
cum olei camomill. q. ſ. F. Cataplaſma,
cum linteo calide adhibendum.

Si ex dolore, in eodem loco fixo, & febri auctâ, ſuppuratio metuatur, ea erit promovenda hoc exemplaſtro:

℞. *rad. althææ mundat.* ʒij.
lilior. alb. ʒj. *enulæ camp.* ʒß.
fol. malvæ, violariæ an. m. ij.
flor. camomill., meliloti an. m. j.
bulliendo ad mollitiem coctis, & colatis, adde
farinæ fœnigræci, tritici an. p. j.
fermenti acris ʒij.
pingued. porci, butiri an. ʒß.
ol. amigdal. dulc., comm. an. q. ſ.
croci ʒß. *Miſce F.* emplaſtrum.

Ubi pus eſt genitum, quod ex imminutâ febri conſtabit, danda opera ut abſceſſus rumpatur tuſſi, ſternutatione, forti loquela, vomendi conatu.

Abſceſſus, verſus interiora pulmonum ruptus, detergendus hydromelite, & decocto pectorali.

Si pus ſeſe in cavitatem thoracis effundat, cauſtico & inciſione latus intra quintam & ſextam coſtam eſt aperiendum, & pus partitis vicibus moderatè erit educendum.

In *diæta*, *Aër* ſit ad calidum inclinans. *Cibus* in principio, ſit tenuis ex juſculis gallinarum, cremore ptiſanæ, lacte amigdalato; qui poſtea plenior offerri poterit. Concedi

hic possunt amigdalæ dulces, passulæ, mala dulcia, malva, endivia. *Potus* sit cerevisia tenuis. Vinum vitetur usque ad morbi finem. *Quies* imperetur. *Somnus* sit solito longior. *Excrementa* alvi indies movenda.

VIII.

MEDICATIO, PLEURITIDIS IN PUERPERA.

PUerpera, post æstuationem corporis, in dextra parte pectoris potissimum refrigerata, horrore & deinde febre continua ac sanguinis sputo insequente fuit correpta; jamque punctorios lateris dextri dolores, cum magnâ respirandi difficultate, sentit; & lac in ipsa valde est imminutum.

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex horrore; *cor*, ut ex febri continuâ; *pulmo*, ut ex sanguinis sputo; item *membrana dextrum pulmonem investiens*, & forsan etiam *pleura* dextri lateris, ut ex doloribus punctoriis in dextro latere perceptis, & respirandi difficultate inde orta, est manifestum.

Dico autem membranam, pulmonem investientem, hic certò affici, quia sputum sanguinis hic tam citò & commodè ejicitur; quod in sola pleura affecta hic non ita fieri solet.

Morbus, qui hanc ægram torquet, est membranæ, pulmonem dextrum investientis, & forsan etiam pleuræ in dextro latere, inflammatio, febri continuâ, lateris dextri punctorio dolore, & respirandi difficultate, comitata; quæ vulgo *Pleuritis dextri lateris* appellari solet.

Causa Procatarctica hujus morbi fuit partis dextræ pectoris post æstuationem refrigeratio; quâ multi pori ibi clausi

clausi coegerunt multos vapores, per illos copiosè antea transeuntes, per alios poros viam, cum aliis copiosis vaporibus illos transeuntibus, simul affectare, atque ita poros in pulmonum & pleuræ dextrâ parte nimium laxare. Poris autem in illa pulmonum & forsan etiam pleuræ parte nimium laxatis & apertis, humores quidam fervidi, ex sanguine totius corporis, (*antecedente* hujus morbi causâ,) copiosè in istas partes a corde fuerunt propulsi & corrupti atque incensi, iique sua copia & incendii calore, *inflammationis tumorem inducentes, liberamque*, ex illo tumore, *pectoris pulmonumque expansionem & contractionem impedientes*, parteisque illas membranosas, distensionis vehementiâ *dolore acuto perfundentes*, calidioresque & corruptas quasdam sanguinis partes ad cor & pulmones perpetuò, ex partibus illis affectis, referentes, atque ita *febrim continuam excitantes, sputumque sanguinolentum efficientes*, *contineus* hujus morbi, ejusque symtomatum sunt causa.

Lac ipsi est imminutum; quia sanguis, qui lactis est materia, ad vicinas partes pectoris inflammatas, ob poros ibi nimis apertos, copiosè fluens, uberibus lactis materiam subducit.

Morbus hic, ob febrim continuam, doloris vehementiam, magnam respirandi difficultatem, & empyematis metum, est *periculosissimus*.

Atque ideo diligentissimâ *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in causæ antecedentis, continentis, tumoris, intemperiei, ac doloris ablatione, consistet.

Primò itaque vena aperiatur in dextro brachio, sanguisque, ad revulsionem & evacuationem, citra lochiorum sufflaminationem, faciendum, educatur ad ℥iij, & post tres horas educantur aliæ tres unciæ.

Et, si post sex horas dolor adhuc valde sæviat, educendæ erunt adhuc aliæ sanguinis unciæ duæ.

Et porro pro libitu bibat de hoc decocto:

℞. *hordei mundati, flor. bugloſſi an. p.* j.
paßular. ℥ij.
Decoquantur in aq. comm. q. ſ. ad lib. ij.
& F. Colatura, in qua diſſolvatur interdum
ſyr. violaceus & capilli veneris, q. ſ. ad
gratam dulcedinem.

Quarto die purgetur tali hauſtu:

℞. *ſyr. roſati ſol. cum ſol ſennæ* ℥j ß.
cremor. tartari ℈j. *ſcammonii gr.* viij.
aq. decoct. hordei ℥ij. *Miſce* F. hauſtus.

Et ſumat, quotidie mane, raſuræ dentis apri ʒj. cum præcedente decocto q. ſ. Cum hoc remedium peculiariter huic morbo convenire dicatur.

Vel, ad dolorem illum punctorium acutiſſimum ſedandum, adhibeatur pulvis ſequens, qui præſentaneum hujus doloris eſt remedium:

℞. *fl. ſulphuris compoſitor.* ℥ß.
raſ. dentis verris aprugini,
mandibular. lucior. piſc. ana ʒij.
ſem. cardui Mariæ,
fl. papaver. erratici ana ʒj. F. pulvis.

Detur ʒj. cum aq. fl. papav. erratici, aut aq. cærefol., mane, meridie, & veſperi.

Si lactis defectus perſeveret, mane & veſperi etiam bibat de hoc decocto:

℞. *hordei p. j. ſem. aniſi* ʒij.
ficus No. x.
Decoquantur in juſculo carnium
pro duabus vicibus.

Dolore punctorio adhuc urgente,

℞. *Caricarum* ℥iij. *& decoquantur in lacte, contundantur*
addito oleo chamomill. q. ſ. *Et lateri dolenti cum linteo*
applicentur calidiuſculè.

In

In *diæta Aer* sit temperatus. *Cibus* sit ex jusculis carnium vervicinarum & gallinarum, cremore hordei, & amigdalatis, uvis passis, amigdalis, malis dulcibus. *Potus*, præter decoctum antea præscriptum, sit cerevisia tenuis. *Quieti & somno* omni ratione studendum. *Excrementa alvi*, vel arte, vel naturâ, respondeant.

IX.

MEDICATIO FOEMINÆ, PERIPNEUMONIA LABORANTIS.

Juvencula annorum octodecim, post victum satis lautum, incidit in tantam anhelitus difficultatem, ut suffocari videatur. Dolor gravis pectus occupat, isque ad mammillam & dextrum humerum se extendit. Sputum adest sanguinolentum, & febris satis acuta. Genæ rubent. In dextro latere decumbere non potest.

Afficitur in hac ægra *pulmo*, quod ex magnâ illa respirandi difficultate, & sputo sanguinolento, nec non ex genarum rubore; *item pectoris in dextrâ parte musculi*, quod ex dolore ejus, ad mammillam & humerum dextrum sese extendente, & decubitum in eo latere non ferente; denique etiam *cor*, quod ex febri acuta, est manifestum.

Morbus, quo hæc ægra affligitur, est inflammatio interioris substantiæ pulmonum; quæ difficillimam respirationem, pectorisque dolorem, & febrem acutam, sanguinisque sputum inducens, *Peripneumonia* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est victus lautus, quo hæc fœmina, in adolescentia usa, copiosum sanguinem in toto corpore produxit; qui *antecedentem* huic morbo præbuit

buit causam. Pars verò ejus in pulmonum substantiam & pectoris musculos, & mammillam dextram, propter eorum laxitatem nimiam, sese copiosè effundens, caloremque præter naturam ibi concipiens, parteſque illas vehementer distendens, *continens* hujus morbi & ejus symtomatum est *causa*.

Humores enim illi sanguinei, in pulmonum substantiam, & pectoris musculos, mammillamque dextram effusi, ibique corrupti, & hinc vehementius incalescentes, arctant bronchia pulmonum, respirationisque vehementioris necessitatem inducunt, parteſque illas gravant: *atque hinc, cum substantiæ interioris pulmonum inflammatione, oritur anhelitûs difficultas, quæ magnitudine suâ suffocationis periculum fere inducit.* Atque hinc etiam *dolor gravis pectus occupat, qui ad mammillam & dextrum humerum se extendit.*

Et quia pars effusi istius sanguinis per tunicas bronchiorum pulmonum in bronchia se effundit, hinc per exspirationem attollitur ille in os, *spuendoque sanguis ab ægra rejicitur.*

Et quoniam, ex peculiari illa sanguinis in pulmonibus efferveſcentia, sanguis ita in hoc affectu adaptari solet, ut ille copiosus in genas propelli soleat, hinc *genæ in ægra nostra plus solito rubent.*

Et quoniam, à decubitu dextro, partes pulmonum & pectoris dextræ affectæ, ab incumbentibus ex illo situ partibus, magis premuntur, quam ab alio decubitu, hinc *dextro lateri difficilius incumbit* ægra.

Et quia pars fervidi istius sanguinis, à pulmonibus in ramos arteriæ venosæ perpetuò se insinuans, ad cordis venculum sinistrum perpetuò defertur, ibique nimiam malignamque efferveſcentiam efficit, hinc fit, ut *febris acuta hunc morbum comitetur.*

Cum hic morbus sit inflammatio partis cordi adeo vici-

næ,

næ, tantamque respirandi difficultatem, febrimque acutam inducat; morbus hic maxime *periculosus* est censendus.

Curatio ejus consistet in causarum, & intemperiei, ac tumoris ablatione.

Vena itaque mox aperiatur, sanguisque educatur ex dextro brachio satis liberaliter: ita tamen ut vires constent, eæque ad expectorationem sufficiant.

Ad sitim utatur subinde tali Julapio:

℞. *syr. de limonibus* ℥j ß.
violacei ʒvj.
aqu. hordei lib. j. *ol. vitrioli q. s. ad grat. acor.*
Misce F. Julep.

Postridie utatur tali purgante:

℞. *syr. ros. sol. cum fol. sennæ* ℥ij.
spec. diaturbit. ʒij. *cremor. tartari* ʒß.
aq. hord. q. s. F. Haustus brevis.

Si dolor non levetur, reiteretur venæ sectio in eodem latere.

Interim inungatur latus & mammilla dolens tali linimento:

℞. *ol. amigdalar. dulc., anethini an.* ʒvj.
unguenti resumtivi ℥j.
Misce, pro linimento.

Ad expectorationem sputi facilitandam, utatur tali linctu:

℞. *syr. violacei, de liquiritia.*
capill. veneris an. ℥j.
sacchari candi ℥s., *Misce.*

Diæta hic servanda, qualis in pleuritide fuit præscripta.

X.

MEDICATIO JUVENIS, EMPYEMATE LABORANTIS.

JUvenis 26. annorum, post vulnus, in pectoris cavitatem penetrans, consolidatum, jam ab aliquot mensibus ad summam maciem redactus, pus quotidie exspuit; magnumque dolorem in illo pectoris latere, ubi vulnus fuit inflictum, sentit. Tumor etiam, quatuor digitis à vulneris cicatrice distans, ibidem inter costas observatur, liquorisque alicujus fluctuatio ibi digitis percipitur. Vigiliæ ipsum magnopere affligunt. Febris adest, quæ hecticam refert. Nisi in lecto erectus sedeat, præ respirandi difficultate suffocari metuit.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod ex ejus summa macie: item *pulmo*, quod ex puris sputo, & respirandi difficultate: nec non *pleura & musculi intercostales*, quod ex dolore lateris, ejusque tumore: præterea etiam *cerebrum*, quod ex vigiliis: ad hæc quoque *cor*, quod ex febri est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est cavitatis thoracis, à pure, in ea collecto, nimia angustatio; quæ à puris illa collectione, angustiam cavitatis thoracis faciente, *Empyema* vulgò appellatur.

Causa prima hujus morbi fuit, vulneris, in pectoris cavitatem usque penetrantis, inflictio; vulneris verò consolidatio, ante justam sanguinis è pectore evacuationem, & vasorum vel pororum, sanguinem in cavitatem thoracis emittentium, justam conglutinationem facta, pro *secunda ejus causa*, est habenda; sanguis autem post intempestivam vulneris consolidationem in pectore retentus, & per vasa pectoris læsa in cavitatem ejus descendens, eamque replens,

plens, ibique in pus conversus, parteſque vicinas vitians, *tertiam & continentem*, proximamque hujus motbi, ejuſque ſymptomatum, conſtituit cauſam.

A copiâ enim ipſius ſanguinis, in pus converſi, in cavitate thoracis collectione, facta fuit magna cavitatis thoracis anguſtia, juſtam pulmonum expanſionem impediens; *reſpirationemque tam difficilem inducens, ut jam æger, niſi erectus ſedeat, ſuffocari*, à magnâ copiâ puris, (jacentes pulmones magis, dum illud ſurſum attollitur, quam eos ex aſpera arteria, in erecto corporis ſitu, pus deorſum pellente, recta ſive perpendiculariter dependentes, prementis & gravantis,) *metuat*.

Quia autem jam, ab aliquot menſibus, pus illud pulmonum ſanguiniſque, per eos perpetuò tranſeuntis, temperiem vitiavit, eumque ad corpus nutriendum ineptum reddidit, & pulmonum poros, imo ipſa eorum bronchia, ingreſſum eſt, ac cordis ventriculis ſeſe inſinuâvit, temperiemque malignam ipſius parechymati impreſſit, ac membranam pleuram & muſculos intercoſtales ſuâ acrimoniâ pungit, & jam ab aliquo tempore corroſit, hinc, *ſumma ægri macies, cum hectica febri & magnis vigiliis conjuncta; dolorque in pectoris latere moleſtus; item puris ſputum; tumor etiam inter coſtas, circa vulneris cicatricem, cum liquoris fluctuatione perceptibilis, originem duxeruut*.

Morbus hic *periculoſiſſimus* eſt, propter febrim, hecticam referentem, puris ſputum, & ſummam maciem, quæ ſummam pulmonum & cordis arguunt corruptelam. Quia tamen experientia docet, nonnullos, ita affectos, fuiſſe ſanatos, ideoque *Curationem* etiam tentandam cenſeo.

Eaque in puris evacuatione, per apertum thoracem faciendâ, ulceris mundatione, & conſolidatione, & intemperiei pulmonum, per contraria, correctione, conſiſtet.

Quam primum itaque pectus, circa locum tumoris, scalpello aperiatur, & pus ad quantitatem libræ vel sesquilibræ, pro ratione virium, & sequentibus diebus quotidie paulo minus, educatur, donec totum pus evacuatum fuerit. Partitis autem vicibus educendum pus, ne conferta ejus evacuatio spiritus subitò effundat, & ita ægrum valde debilitet, vel enecet.

Pure evacuato, & ulcere mundato, ejus consolidatio erit, more solito, procuranda; quæ ut felicius procedat, tali æger, ab aperto thorace, utatur decocto vulnerario, sanguinem purgante, ulcera detergente, & putredinem inhibente:

℞. *herb. saniculæ, bugulæ,*
scabiosæ, betonicæ,
hyperici, card. bened.,
pilosellæ, pimpinellæ,
vincæpervincæ, agrimoniæ,
plantaginis an. m. j.
flor. cord. p. j.
coq. in hydromelite ad lib. j. *s.*
& colentur pro Apozemate,
de quo sumat æger ℥vj, *bis in die.*

Ex hoc eodem decocto poterunt fieri injectiones, in cavum thoracis injiciendæ, ad puris evacuationem, & detersionem, & ulceris consolidationem, promovendam.

Victus ratio sit siccans, attenuans, & abstergens. Ideoque cibi condiendi hyssopo, fæniculo: utiles amygdalæ dulces, pineæ, &c. Abstineat æger à leguminibus. *Potus* conveniens est hydromel, præcipuè hyssopo conditum, item aqua hordei, vel cerevisia saccarata. Vinum oligophorum etiam concedi potest; nisi febris sit magna.

MEDI-

X.

MEDICATIO VIRI, EPHEMERA FEBRI LABORANTIS.

VIr quadraginta annorum, cùm autumnali tempore in aëre ventoso, frigido, horrido, versatus esset, frigore, totius corporis musculos & cutim invadente, correptus est; quem, cum ad ignem luculentum esset calefactus, insecutus est pulsus paulò velocior, & justò major, æqualis tamen, citra ullam sitim quatuor horis post, æger mitius se habere cæpit, & quodam quasi madore perfusus est. Tota deinde nocte benè dormivit, & nonnihil sudavit. Mane omni alteratione febrili se quidem liberatum, sed tamen valdè debilitatum, sensit.

Affectum fuit in hoc ægro *totum corpus*, quod ex frigore & calore insequente, & totum corpus occupante: item *cor*, quod ex pulsu justo majore & celeriore est manifestum.

Morbus, quem passus est, fuit intemperies quædam prava massæ sanguinis, quæ, secundum partes spitituosas, malignam, & justo fervidiorem incalescentiam, post totius corporis refrigerationem, concipiens, & per unum tantùm diem durans, & deinde desinens, *febris Ephemera* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi fuit aër frigidus ventosus, & horridus, in quo noster æger, autumnali tempore versatus, incurrit pororum totius corporis constrictionem; quà transpiratio solita impedita, & fuligines excernendæ in corpore retentæ, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Spirituosiores verò sanguinis partes inde malignam, & primò minorem, ac deinde justo vehementiorem,

& celeriorem in corde efferveſcentiam contrahentes, ac per totum corpus deinde cum reliquo ſanguine diffuſæ, *continentem* hujus morbi conſtituerunt cauſam.

Inde enim, cum partes illæ fuliginoſæ cum reliquo ſanguine nondum ſatis bene eſſent mixtæ, ortum fuit primò *frigus, muſculos totius corporis invadens.* Fuliginibus verò illis exquiſitiùs cum reliquo ſanguine mixtis, orta fuit vehementior, & celerior ſanguinis in corde efferveſcentia; atque hinc *pulſus evaſit vehementior, & celerior*: ac ob æquales ſanguinis cor ingredientis partes, æqualemque & ordinatum ſpirituum in cordis fibras influxum, etiam *æqualis ac ordinatus.* Calor autem ille quia non tantus erat, ut fauces & œſophagum poſſet exſiccare, hinc *nulla ægrum torſit ſitis.* Poſt horas 4 quia magna pars fervidiorum ſpirituum fuit diſſipata, & cum humoribus nonnullis in cutim propulſa, hinc *æger* tunc *mitiùs habere cœpit, & madore quodam levi fuit perfuſus, ac ſequente nocte benè dormivit.* Et quia inter dormiendum reliqua materia morbifica in ſudores fuit converſa, & cum multis utilibus ſpiritibus fuit diſcuſſa, hinc *æger omni febri manè quidem fuit liberatus, verum magnoperè ſe debilitatum ſenſit.*

Debilitas, à febri in ægro noſtro reliqua, *metum* facit recidivæ; vel ne in tertianam, vel quartanam mutetur.

Ideoque *curandum*, ut reliquiæ, ſi quæ materiæ morbificæ ſuperſint, evacuentur, & vires inſtaurentur.

Mox itaquè purgetur æger tali purgante medicamento, jejuno ventriculo exhibito:

℞. *elect. diapruni* ℥j. *diſſol. in aq. card. bened. q. ſ.*
M. F. Hauſtus.

Veſperi, poſt purgationem factam, excitetur ſudor tali ſudorifero calidè ſumendo, & corpus bene tegendo:

℞. *extract. card. ben.* ʒj. *lapid bezoar. gr.* iiij.
aq. card. ben. ℥iiij. *M. F.* Hauſtus.

Dum

Dum his utitur, subindè sumat quantitatem castaneæ majoris, de hoc condito:

℞. *Conser. ros.* ℥jß. *rob. de rib.* ℥ß.
spec. diarrhod. abbat. ʒj. *diamargar. frig.* ʒß.
cum syr. de limon. q. s. F. Conditum.

In *victûs ratione Aër* sit temperatus. *Cibus* euchymus, & eupeptus. *Potus* cerevisia, & vinum tenue. *Motus* moderatus, ut & *somnus*.

XI.

MEDICATIO JUVENIS, SYNOCHA FEBRI LABORANTIS.

Juvenis 26. annorum, temperamento sanguineus, sanguinem è naribus mittere solitus, sed jam à biennio nullam narium hæmorrhagiam patiens, sæpe etiam vino rubro utens, postquam pedestri itinere vehementius esset fatigatus, calore totius corporis præter naturali & acriori correptus fuit, magnopereque sitire cæpit, cum pulsu magno, celeri, frequenti, inæquali, & inordinato. Caput ipsi etiam valde dolet, ac tempora ipsi vehementius pulsant; in iisque venæ, ut & in oculis, valde sunt conspicuæ ac rubræ. Dulcedinem in ore percipit. Urina est tenuis & rubra. Adsunt vigiliæ, & corporis varia jactatio, & gravitas. Hæc symptomata jam per biduum fere æqualiter sese habent.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod ex calore præter naturali & acriore, ac gravitate totum corpus occupante, & ex corporis jactatione: item *æsophagus*, quod ex siti: nec non *cor*, quod ex pulsus illis vitiis: ac etiam *caput*, tempora, & oculi, quod ex eorum dolore, pulsatione, vigiliis & venarum rubore, & tumore, est manifestum.

Mor-

Morbus, qui eum affligit, est intemperies quædam massæ sanguinis & viscerum sanguinea & malignior, quæ perpetuâ nimiæ incalescentiæ æquabilitate ægrum nostrum torquens, *febris Synocha homotonos* vulgo dicitur. Eaque ex totius corporis calore præternaturali & acriori, siti, pulsu magno, celeri, & inæquali, ac inordinato, corporis gravitate, vigiliis, reliquisque commemoratis symptomatibus, jam per biduum æqualiter durantibus, patet.

Causa procatarctica hujus morbi est iter illud pedestre, ab ægro nostro factum, quo humores illi sanguinei, in corpore nostri ægri ex ætate juvenili, temperamento sanguineo, vini rubri copioso usu, & hæmorrhagiæ solitæ suppressione, nimia quantitate geniti, (qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam,) nimis magnam & malignam effervescentiam in corde & reliquo corpore contraxerunt, & ita *continentem* hujus morbi & symptomatum constituerunt causam.

Inde enim æsophagus exsiccatus *sitim magnam* excitat; & ex humoribus illis in corde nimium effervescentibus & in varias partes translatis, *totum corpus valde incaluit*; & ob eorum copiam, *venæ oculorum gravitate & tumore molestantur. Caput* vero *& tempora*, ob vehementiorem eorum motum, *excruciantur dolore. Pulsus justo major, celerior, & inæqualis, ac inordinatus*, ob nimis celerem & vehementiorem sanguinis rarefactionem, inæqualesque sanguinis partes, ac inæqualem & inordinatum spirituum in cordis fibras influxum, observatur. *Et* ob spiritus fervidos in cerebri ventriculos nimium & perpetuo exhalantes, *torquent nostrum ægrum perpetuæ vigiliæ*. Partesque seri sanguinei tenues & rubicundæ, ad renes & vesicam delatæ, faciunt *urinam tenuem & rubicundam*.

Partes verò sanguinis dulces in ore separatæ, & os perfundentes, faciunt *in ægri ore dulcedinis perceptionem*. Hæc

symp-

ſymptomata jam per biduum æqualiter affligunt, quia humores ſanguinei, qui hic peccant, ejus ſunt temperiei, ut nullas vehementiores efferveſcentiæ & deferveſcentiæ habeant vices. Denique *corpus variè jactatur*; quia partes acres ſanguinis, varias partes variè agitantes, illaſque dolore afficientes, non patiuntur corpus in eodem ſitu diu retineri.

Morbus hic quia gravia inducit ſymptomata, ſatis eſt periculoſus, facileque maniam, vel phrenitidem, alioſque graviores morbos, poſſet inducere: quia tamen eſt in homine valido, & eſt ab humore blandiore, ſatis bona ſanitatis affulget ſpes.

Curatio conſiſtet in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei per contraria correctione.

Mox itaque injiciatur, ſi æger alvum ſponte non depoſuerit, talis clyſter:

℞. *malv., biſmalv., violar. an. m.* j.
mercurial., lactuc. an. m. ß.
flor. violarum p. ij. *Pruna acida.* No. vij.
ſem. 4 frigid. maj. an. ʒj. *Decoq. in aq. hord. q.ſ. ad* ℔j.
In colat. diſſolv. elect. diaprun. ℥j ß. *ol. violac.* ℥ij.
ſalis commun. ʒ ß. *M. F.* Clyſter.

Poſt clyſteris operationem aperiatur vena in brachio dextro, ſanguiſque educatur ad ℔j: à venæ ſectione, liberalem hauſtum ſumat de ſequenti ptiſana frigida, & paſſim ad ſitim extinguendam de ea bibat:

℞. *hord. mund. p.* j. *glycyrrizæ raſæ* ʒiij. *pruna. acida.* No. ix.
coq. in aq. pura ad ℔j. *& Colentur* pro *Ptiſana.*

Ad ſitim & febrilis caloris moderationem, ſumat ſubinde ceraſa condita, rob de ribes, lactucam conditam.

Quarto ab invaſione die, purgetur hoc purgante, ſubinde reiterando.

℞. *Elect. diaprun. ſimp.* ʒ x.

dißolv. in aq. Decoct. hord. q. ſ.
M. F. Potio.

Utatur etiam ſubinde de ſequenti Julapio & condito:

℞. *ſyr. acetoſ. ſimpl., de endivia an.* ℥jſ.
de limonib. ℥j. *aq. hord. lib.* j. *ſ.*
ol. vitriol. q. ſ. ad gratum acorem
M. F. Julep.

℞. *conſerv. rad. bugloſſ.* ℥j ſ.
cichor., acetoſ.
pulp. citriorum vel limonum an. ℥ſ.
ſp. diamarg. frigid. ℈iſ.
rob. de ribes ℥j.
M. F. Conditum,

In *victus ratione Aër* ſit frigidus. *Cibus* ſit tenuis & refrigerans,& humectans,& paucus,ex juſculis refrigerantibus, & pomis, endivia, acetoſa, lactuca, ceraſis, prunis acidis, conditus. Si carnes vitulinas & pullorum gallinaceorum virium dejectio deſideret, alterentur ſucco limonum,arantiorum, ribeſiorum. *Potus* ſit cereviſia tenuis. *Somnus* concilietur lacte amygdalato veſperi dato, cui interdum. ʒij vel iij. ſyr. de papav. addi poſſunt. *Alvus* reſpondeat naturâ, vel arte clyſteribus injectis. *Curas* ſollicitudineſque fugiat. Bonam habeat ſpem.

XIII.

MEDICATIO PUELLÆ, FEBRI TERTIANA CONTINUA LABORANTIS.

Puella annorum viginti, malâ diætâ, eâque calidiore, aliquamdiu uſa, incidit poſt rigorem, in magnum perpetuumque totius corporis ardorem, alternis diebus ingraveſcentem, &

cum

cum pulsu celeri, crebro & inæquali, ac ingenti siti & vigiliis conjunctum. Isque etiam per triduum continuò durat. Adest etiam capitis dolor insignis, & linguæ nigredo. Vermes nonnullos excrevit.

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex totius corporis ardore; *cor*, ut ex pulsu vitiato; *caput*, ut ex dolore; *lingua*, ut ex nigredine; *œsophagus*; ut ex siti; & *intestina*, ut ex vermibus excretis est manifestum.

Morbus, affligens hanc ægram, est intemperies quædam sanguinis biliosa malignior, quæ perpetuò vehementerque efferveſcens, & alternis diebus ingraveſcens, pulsumque celerem, crebrum & inæqualem, aliaque symtomata gravia, hic commemorata, excitans, *febris Tertiana continua* appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diæta calidior, qua hæc puella diu fuit usa. Ab hac verò multi biliosi in corpore geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. In vasis verò hi putreſcentes, ibique calorem præter naturam contrahentes, & ad cor perpetuò delati, & malignè incensi, ac deinde per totum corpus distributi, *continens* hujus morbi, & symtomatum commemoratorum, sunt causa.

Cum enim materia hæc biliosa in vasis primum vehementius efferveſceret, quia multas aqueas partes habebat admixtas, ad cor delata, fervorem ejus solitum nonnihil iis imminuens, & in cerebrum cum spiritibus evecta, eosque inordinatè movens, totum corpus eo refrigerando, inordinatoque spirituum influxu movendo, *rigorem produxit*. Discussis verò particulis istis aquosis, materia illa majorem perpetuumque, sed *alternis diebus* ex biliosâ suâ temperie *ingraveſcentem*, *calorem* in corde concepit; qui per arterias in totum corpus, sed inæqualiter tamen, distributus, *pulsum celerem crebrum & inæqualem*; & in capitis membranas & cerebrum sublatus, *dolorem*

ſtum ingentem & vigilias; os vero exurens, *nigredinem*; & fauces perpetuò æſophagumque exſiccans, *perpetuam ſitim inducit*. Et quia pars materiæ morbificæ, in inteſtinis exiſtens, habet particulas putridas, quæ in vermes efformantur, ideoque *vermes* ægra noſtra aliquos *excrevit*.

Febris hæc, quia eſt continua, nec ullas inducias præbet, & gravia inducit ſymtomata, tertio die ingraveſcentia, periculoſa eſt; atque ideo diligentem deſiderat *Curationem*.

Quæ conſiſtet in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

Primo itaque injiciatur mox talis clyſter:

℞. *fol. violariæ, lactucæ an. m.* j. *flor. nymphææ albæ, violar. an. p.* j.
hord. mundi m. ß. 4. *ſem. frig. maj. an.* ʒj.
prun. damaſcen. N. x. *Decoq. ex aq. comm. pro lib.* j.
in colatura diſſolve diapruni ſol. ℥j.
ſacchari rubr. ℥ ß. *ſalis* ʒj.
Miſce F. Clyſter, *mox injiciendus.*

Poſtridie vena ſecetur, & educatur ſanguis ad ℥vj. vel viij. pro ratione virium.

Interim utatur tali julapio:

℞. *ſyr. acetoſi ſimplicis, oxyſacchari ſimpl. an.* ℥j ß.
aqu. acetoſæ, borrag, endiviæ an. ℥ iv.
ol. vitrioli gutt. vj. *Miſce f.* Julep, *de quo ſubinde bibat hauſtum.*

Tertio die hoc purgetur hauſtu:

℞. *caſſiæ recens extractæ* ℥ ß.
elect. de ſucco roſar. ʒiij.
aq. cichorii ʒiij. *ſyr. de cichor. cum rabarb.* ℥ ß.
Miſce F. hauſtus, *aliquoties, uſu exigente, repetendus.*

Ad ſitim mitigandum utetur decocto hordei, cum ſyr. de acetoſitate citri vel de limonibus, in cujus lib. j. diſſol-

van-

vantur syrupor. ℥ij. vel ℥iij.

Pro eadem utatur etiam tali condito:

℞. *conservæ violar., oxalidis, nymphææ an.* ℥ß.
rob. de ribes ʒiij. *spec. diatragacanthi frig.* ʒij.
syr. de limonibus q.s. F. Conditum, *de quo sumat subinde castaneæ quantitatem.*

Ab somnum conciliandum præscribatur emulsio amigdalata cum sem. papaveris albi, vel sumat laudani opiati gr. iij.

Pro mitigatione cephalalgiæ, post venæ sectionem adhibeatur oxyrhodinum ex aq. ros. & nymphææ ac aceto factum, cum pannis intinctis tepidè.

Pro linguæ nigredine tollenda, admoveantur vicissim panni linei intincti mucilagini, extractæ cum aq. rosar. lactucæ & malvæ æqualibus partibus ad lib. j. Vel humectetur lingua mucagine sem. cydoniorum.

Ad viscera hepatis & cordis refrigeranda tale epithema adhibeatur:

℞. *aq. ros.* ℔ ß.
acetos., buglossæ an. ℥iiij.
vini albi ℥j.
santali citrini, rubri an. ʒj ß.
spec. diamargariti frigid. ʒj.
croci ℈ß.

Misce *pro* Epithemate, *cum pannis lineis & postea expressis, hepatis & cordis regioni tepidè adhibendo.*

Ad vermes enecandos & exturbandos, tali utatur linimento:

℞. *aloes pulverisatæ* ʒij.
pulv. cornu cervi ʒj ß.
olei amigdalar. amarar. ℥j.
succi portulacæ ℥ ß. *ceræ parum.*

M. F. Linimentum, *umbilico inungendum.*

Intro sumat hoc medicamentum:

℞. *cornu cervi, in scobem subtilem redacti* ʒj. *mercur. dulc.* ϑ. ß *syr. de limonibus* ʒj. *Misce, sumatur è cochleari.*

XI. In *Aëre versetur* frigidiore. *Cibus* sit refrigerans & humectans, tenuis & paucus, ex cremore hordei, jusculis gallinaceis, vervecinis, oleribus, qualia lactuca, acetosa; item piscibus sexatilibus; nec non prunis, pomis acidis; *Potus* sit aqua hordei, cerevisia tenuis. *Somnus* omni ratione procurandus. *Excretio* alvi mediocriter provocanda. *Fugiat* tristitiam, bonam habeat spem.

XIV.

MEDICATIO FOEMINÆ, FEBRI QUOTIDIANA INTERMITTENTE AFFLICTÆ.

Fœmina triginta annorum, pituitosa, in otio vivens, aliquamdiu difficili respiratione & præcordiorum dolore gravativo afflicta, incidit circa vesperam in totius corporis magnam refrigerationem, quam comitabatur pulsus debilis. Hanc postea insecutus est calor totius corporis justo intensior, pulsus celer & creber ac inæqualis; item sitis magna. Eaque symptomata durarunt per horas quindecim: in quarum fine illa cum levi sudore finita sunt. Iam per quatuor continuos dies eadem symtomata, circa vesperam, ægram invaserunt, & postquam per quindecim præter propter horas durassent, tandem cessarunt. Adest in somnum proclivitas, appetitus prostratus, & interdum etiam animi deliquium.

Afficitur in hac ægra *pulmo*, quod ex difficili respiratione; *ventriculus vicinaque viscera*, quod ex dolore præcordiorum gravativo; *cor*, quod ex pulsu vitiato, & animi deliquio; *caput*, quod ex somnolentia; *fauces*, quod ex siti, &

ti; & denique *totum corpus*, quod ex totius corporis refrigeratione, & insequente ardore, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies quædam sanguinis pituitosa & malignior, quæ quotidie, post justo minorem in corde incalescentiam, nimis vehementer effervescens, & tandem post quindecim horas penitus defervescens, *febris quotidiana intermittens* appellari solet.

Procatarctica hujus morbi causa est vita otiosa, quâ, adjuvante temperamento corporis pituitoso, multi pituitosi in corpore geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ejus, lapsu temporis circa ventriculum, pulmones, & cor, majorem corruptelam & febrilem malignitatem effervescentiamq; quotidianam contrahens, *continens* hujus morbi & symtomatū existit causa.

Quæ enim pars circa præcordia existebat, produxit suo pondere *dolorem in iis gravativum*. Quæ verò in substantiam & pulmonum bronchia fuit impacta, *respirandi induxit difficultatem*. Et quæ, quotidie sub vesperam ob pituitosam suam temperiem effervescens, in vasa venosa effunditur, aut invasis existit, ac ad cor defertur, inducit *quotidie*, minus accuratâ suâ mixtione, primò *totius corporis refrigerationem*; & accuratiore mixtione deinde insequente, totius corporis *ingentem calorem febrilem*, *pulsum celerem*, *crebrum*, *& inæqualem*, *ac sitim*. Et, dissipatâ tandem post quindecim horas per sudores materiâ illâ fervidâ, insequitur *paroxysmi finis*. Dum vero sequenti vesperâ alia pars materiæ morbificæ in vasis & extra vasa incipit novam effervescentiam primò minorem, & deinde majorem contrahere, eaque tandem dissipatur, fit *tum etiam novi paroxysmi* principium, augmentum, status, declinatio, & finis. Et quoniam pars hujus materiæ febrilis in cerebrum sese effundit, illudque gravat, hinc oritur *somnolentia*. Et quia materia, ad cor subinde delata, inepta est, quæ in corde sufficientem acquirat

quirat rarefactionem, hinc, deficientibus ſpiritibus, advenit interdum *animi deliquium.*

Hæc febris ob diuturnitatem vires valde proſternere ſolet, atque ideo haud tuta eſt; præſertim cum hic ſæpe adſit animi deliquium. Atque ideo diligenti *Curâ* erit impugnanda.

Quæ conſiſtet in cauſæ procatarcticæ, antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei per contraria correctione.

Primò itaque utatur, ad præparationem & alterationem materiæ morbificæ, dragmâ unâ cremoris tartari cum juſculo, paulo ante prandium, per biduum. Et tale ſumat Apozema:

℞. *rad. glycyrrizæ raſæ* ℥ß. *ſ.*
cichorii ℥j.
herbar. betonicæ, agrimoniæ, centaur. min.
an. m. j.
flor. camomill. M. *ſ.*
ſem. aniſi, fæniculi. an. ʒjß.
tartari albi ℥ß.
Decoquantur ex aq. communi ad lib. j.
In Colatura diſſolve oxymell. ſimpl. ℥jß.
Miſce F. Apozema, *pro tribus doſibus, mane & veſperi ſumendis.*

Deinde purgetur ſubinde tali hauſtu:

℞. *fol. ſennæ* ʒiij. *agarici trochiſc.* ʒj.
ſem. aniſi ℈ij. *crem. tartari* ℈j.
Decoquantur in aq. hordei q. ſ. Colaturæ adde elect. diaphœnici ʒij. Miſce. F. Hauſtus, *mane jejuno ventriculo ſumendus, & aliquoties reiterandus.*

Sanguis hic non videtur educendus, niſi valde parvâ quantitate.

Ventriculus illinatur oleo maſtichino, & de abſinthio, cum

cum pauxillo olei macis, & foveatur sacculo tali:

℞. *herb. absinthii, menthæ, rorismarini an. M. s.*
flor. rosar., rorismarini an. p. j.
sem. anisi, fæniculi, coriandr. an. ʒj.
cariophyllor., nuc. moschatæ an. ϑj.
Contusa & incisa includantur linteo, & F. Sacculus, *ventriculi regioni adhibendus.*

Postquam aliquoties purgatus fuerit, tali utatur sudorifero:

℞. *theriacæ* ϑij. *extracti card. bened.* ϑj. *croci orient. gr.* iij.
Misce, F. bolus sudoriferus.

Febri jam mitescente, alternis diebus, sumat paulo ante cœnam scrupulum dimidium aloes rosatæ.

Et roboret ventriculum, sumendo electuarii aromatici rosati & diarrhodon abbatis dragmæ unius quantitatem, ante singulos pastus.

In *diæta Aër* sit purus, calidus, siccus. *Cibus* sit parcus ex jusculis pullorum gallinaceorum & vervecum, petroselino, hyssopo, buglossa, & pulegio conditus; ovis sorbilibus, pane candido. *Potus* sit cerevisia mediocris, & in pastu vinum oligophorum. *Exercitii* loco sint frictiones. *Somnus* sit moderatus. *Excretiones* alvi & vesicæ bene procedant. *Gaudio* studeat, fugiat tristitiam.

XV.

MEDICATIO JUVENIS, FEBRI TERTIANA Intermittente Laborantis.

Juvenis viginti octo annorum, robustus & validus, postquam cibo opiparo & potui generosiori, in conviviis frequentioribus, largius indulsisset, tandem, post spontaneas lassitudines ali-

quot dies perceptas, circa horam quartam pomeridianam incidit in universi corporis vehementem rigorem, pulsu parvo, raro, & tardo comitatum. Hunc paulatim mitescentem subsecutus est intensissimus totius corporis calor; pulsusque evasit magnus, frequens, celer, & inæqualis; accessit etiam sitis magna, oris amaritudo & siccitas, corporisque inquietudo, & ingens capitis dolor. Duravit ardor usque ad quartam matutinam, quâ tandem cum sudore solutus est. Postridie æger bene se habuit, excepto, quod dolorem gravativum, circa ventriculum in hypochondriis, & circa os xiphoides ac dorsum, sentiret. Tertio die, circa horam secundam pomeridianam, rediit rigor, cum vomitu bilioso; quem ut prius reliqua subsecuta sunt symtomata. Paroxysmus, post duodecim ab invasione horas, per sudores rursus solutus est. Urina & alvi excrementa sunt biliosa.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus* & *pancreas*, vel alia aliqua pars vicina, circa ventriculū hepar & lienem existens; quod ex dolore gravativo, circa ventriculum, os xiphoides, & dorsum percepto, item ex vomitu bilioso, & siti patet. Afficitur etiam per sympathiam *cor*, & ab illo *totum corpus*; quod indicat rigor, pulsus immutatus, corporis ardor, & inquietudo: item *caput*, cujus indicium est cephalalgia.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam sanguinis & viscerum, ventriculo vicinorum, biliosa & malignior; quæ tertio quoquo die, post justo minorem efferveſcentiam, nimis vehementer in corde efferveſcens, & tandem post duodecim horas deferveſcens, *Febris Tertiana*, vel *Tertiana intermittens exquisita*, appellatur. *Eaque* ex rigore cum pulsu tardo, parvo, raro, & insequente fervore, cum pulsu magno, celeri & inæquali, ac reliquis symtomatis, tertio quoquo die redeuntibus, & duodecim horas durantibus, & postea cessantibus, est manifesta.

Causa procatarctica hujus morbi est *mala illa diæta*, in copioso, opiparo, & generoso cibo potuque diu servata: quâ multa

multa *cacochymia bilioſa*, in venis, & circum ventriculum, in viſceribus vicinis, collecta, *antecedentem* huic morbo ſuppeditavit cauſam. Ea verò ibidem talem ex morâ corruptelam contrahens, quâ tertio quoquo die præter naturæ modum & malignè in corde efferveſcit, & inde in totum corpus diſtribuitur, *continens* hujus morbi & ſymptomatum exiſtit cauſa.

Nam materia illa morbifica, circa viſcera abdominis exiſtens, dum pondere & quantitate ſuâ partes illas tendit & gravat, *producit* ibidem *dolorem gravativum*; dumque pars ejus in habitum corporis transfertur, & in cerebro in ſpiritus craſſos, nec ſatis agiles, convertitur, *ſpontaneæ totius corporis*, eâ nimis gravati, nec ſatis agiliter his moti, *oriuntur laſſitudines*.

Pars verò iſtius materiæ morbificæ, *propter ſuum temperamentum bilioſum, tertio quoquo die efferveſcere circa illa viſcera incipiens*, effundit ſeſe per vaſa gaſtrica, meſenterica & alia vicina, partim in ventriculum, quo *vomitum & oris amarorem excitat;* partim in venam cavam, unde deinde ad cor cum reliquo ſanguine aſcendit. Verùm quia illa primò reliquis ſanguinis partibus non ſatis benè miſcetur, ac præterea multas partes aqueas aliaſque craſſas admixtas habet, idcirco, ubi ad cor primum eſt delata, *imminuit primò ejus calorem*, eoque *excitat pulſum parvum, tardum, rarum, & totius corporis frigus*: in cerebro verò talem efficit ſpirituum animalium motum, ut illi, inordinatè in partes fluentes, *convulſivum quendam* per totum corpus producant *motum*, *quem* nos, cum prædicto totius corporis frigore conjunctum, *rigorem appellare* ſolemnus. Diſſipatis verò aut diſperſis ex ſanguine aqueis & craſſis iſtis partibus, iiſque ſatis attenuatis, reliquæ illæ efferveſcentis humoris partes, cor ingreſſæ, & cum ſanguine melius mixtæ, concipiunt majorem calorem; *unde oritur*

pulsus magnus, celer, creber, & propter heterogeneas sanguinis partes, etiam *inæqualis*; item, ob æsophagi ex ardore exsiccationem, *sitis*, & ob acres & ferventes, in cerebri & reliqui corporis membranas sublatos, humores, *dolor capitis & corporis inquietudo*. Eaque tam diu durant, donec tota materia effervescens, vi fervoris, post duodecim horas in sudores soluta, per eosque discussa, *apyrexiam* sequenti die induxerit, Quo ille bene sese habet; excepto, quod *dolorem gravativum circa ventriculum*, à materia biliosa ibi hærente, & partes illas gravante, sentiat.

Febris hæc, quia est tertiana intermittens exquisita, si recta curatio instituatur, ultra septimum paroxysmum non durabit.

Curatio perficietur per causæ antecedentis & continentis ablationem; & præterea per intemperiei malignæ viscerum & sanguinis, per contraria, correctionem.

Primo itaque exhibeatur hoc purgans:

℞. *Spec. diaturbith cum rhabarb.* ʒs. vel ℈ij.
cremor. tartari. ℈j.
scammonii pulv. gr. xj.
aquæ stillat. cichorii, card. benedicti an. ʒiſs.
syr. de cichorio cum rabarb. ʒ vj.
Misce, F. Potio, *mane, die intermissionis, exhibenda,*

Postridie educatur sanguis ad uncias octo.

Postea tali utatur vomitorio, horis duabus ante initium paroxysmi exhibendo:

℞. *fol. asari viridia* No. xvij.
Contundantur in mortario marmoreo,
affundendo vini hispanici ʒiſs.
& exprimatur succus, cui addantur
vini vomitivi ʒvj.
F. Haustus vomitivus.

Morbo perseverante tale apozema præscribatur alterans:

rans:

℞. *tamarindorum* ℥ij.
rad. cichorij ℥j ſ.
herbar. cichorii, acetoſæ, card. benedict.
an. M. j. ſ.
ſem. 4. frigidor. major.
aniſi, fæniculi an. ʒj.
Decoquantur in aq. commun. ad lib. j.
Colentur. & F. Apozema, *de quo ſumat æger*
hauſtum ℥iij. *vel* iv. *ter quaterve in die.*

Huic ſubjungatur tale alterans & purgans:

℞. *rad. cichorii* ℥ij.
fæniculi, petroſelini an ℥ſ.
herb. cardui benedicti, cichorii, meliſſæ,
fumariæ, acetoſæ ana M. j.
ſummit. lupuli, abſinthii romani an. m. ſ.
fol. ſennæ ℥ij.
robarb. ʒij.
tamarindor. ℥iij.
ſem. aniſi, fæniculi, an. ʒjſ.
Decoquantur in aq. commun. ad lib. j. ſ.
& colentur pro Apozemate, *de quo ſumat*
quotidie mane ℥iiij.

Subinde autem bibat de hoc julapio:

℞. *ſyr. è ſucco limonum* ℥j.
granator acidor.,
violar. ex infuſione multipl. an. ℥ſ.
aq. cichorii, cardui benedicti an. lib. ſ.
olei vitriol. q. ſ. ad gratum acorem,
Miſce, F. Julep.

Ubi corpus aliquoties purgatum fuerit, detur ipſi tale ſudoriferum, duabus horis ante invaſionem paroxyſmi:

℞. *aq. cichorii, cardui bened. an.* ℥jſ.

ſalis abſinthii ʒſ.
ſpiritus ſulph. gutt. xij.
M. F. Hauſtus, *calide ægro exhibendus; cujus corpus tum plus ſolito tegendum, ut ſudores proliciantur.*

Carpis manuum adhibeantur emplaſtra, quæ fiunt ex terebinthinâ, telis aranearum ſimul mixtis ſubactâ; vel ex fermento ſecaliceo acri, cum aceto, ſale, & pulvere nucis muſcatæ. Hac enim ratione topicorum iſtorum vis inſinuatur ibi vaſis; quæ inde cum ſanguine ad cor delata, & poſtea per totum corpus diſtributa, diſſipat illam malignitatem, quæ proxima hujus febris eſt cauſa.

Æger verſetur in *Aëre* aperto, puro, & refrigerante. *Victus* ſit ex pullis gallinaceis, carne vitulinâ, lactucâ, portulacâ, endiviâ, cichorio, acetoſâ, & ſucco limonum alteratus. Die intermiſſionis, paulo pleniore utatur cibo. Die paroxyſmi, ſi inedia ferri non poteſt, ſit valde parcus, & ſumatur quinque horas ante invaſionem. *Potus* ſit cereviſia tenuis, julep ex ſucco limonum. Iſque in paroxyſmo, exhibeatur in ejus vigore. In quo etiam abſtineat à ſomno; ſed dormiat in ejus declinatione. *Exercitatio* vehementior vitanda.

XVI.

MEDICATIO VIRI,

FEBRI QUARTANA

Intermittente fatigati.

Vir quadraginta quinque annorum, temperamento melancholicus, poſt multas curas, animum ipſius valde angentes, incidit, circa horam quartam pomeridianam, in oſcitationes, & pandiculationes; quas horror totius corporis, cum pulſu debili tardoque, per horam unam eſt inſecutus; qui paulatim in calorem

rem commutatus, magnum ardorem, pulsum celerem, crebrum, & magnum, ac inæqualem, ægrò nostro, per quinque vel sex horas, cum magna siti, capitis dolore, & totius corporis inquietudine, durantem, exhibuit. Postea fervor, pedetentim imminutus, ægrum cum sudore totus deseruit: sequentibusque duobus diebus ægrum ab eo immunem reliquit. Quarto post die, circa duodecimam meridianam, pandiculationes, horror, calor, pulsus vitiatus, sitis, & capitis dolor, rursus invaserunt; eaque tandem rursus aucta, deinde imminuta, ipsum ut prius reliquerunt. Postea intermittentibus paribus, ut antea, diebus, jam quater similes passus est paroxysmos.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, quod ex horrore, cum oscitationibus & pandiculationibus præcedentibus conjuncto, & calore insequente; item *cor*, quod ex pulsu vitiato; nec non *æsophagus*, & *caput*, quod ex siti ac capitis dolore est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam sanguinis melancholica & malignior; quæ quarto quoquo die, post sanguinis justo minorem in corde effervescentiam, nimis vehementer incalescens, & tandem post quinque vel sex horas penitus defervescens, *febris Quartana*, sive *Quartana intermittens* appellari solet. *Eaque* ex horrore, cum pulsu debili ac tardo, & insequente magno calore, cum pulsu crebro & celeri, magno & inæquali, ac reliquis symtomatis, quarto quoquo die redeuntibus, & postea cessantibus, est perspicua.

Causa procatarctica hujus morbi est diuturnus animi, ex multis curis, angor, unde, adjuvante melancholico nostri ægri temperamento, multi melancholici in toto corpore retenti & geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, lapsu temporis, malignam pravitatem contrahens, quæ, quarto quoquo die, post præcedentem horrorem, in corde præter naturæ modum

dum

dum & malignè incaleſcit, & inde in totum corpus diffunditur, *continens* hujus morbi, & ſymtomatum, exiſtit cauſa.

Dum enim pars iſtius materiæ morbificæ, *propter melancholicum ſuum temperamentum, quarto quoquo die efferveſcere incipit*, ipſa primò reliquis ſanguinis partibus non ſatis bene miſcetur, multaſque partes aqueas aliaſque craſſas admixtas habet; atque ideo, ubi ea ad cor primum eſt delata, imminuitur primò ipſius calor, eoque *excitatur pulſus debilis & tardus, & totius corporis frigus*; in cerebro verò hinc talis efficitur ſpirituum animalium motus, ut illi, inordinate & vehementius in muſculos & cutim influentes, convulſivum quendam in toto corpore producant motum, qui, cum prædicto totius corporis frigore conjunctus, *rigor & horror* nuncupari conſuevit. Diſperſis & diſcuſſis ex ſanguine aqueis & craſſis iſtis partibus, iiſque ſatis attenuatis, reliquæ efferveſcentis humoris partes, cor ingreſſæ, & cum ſanguine ibi melius mixtæ, concipiunt majorem calorem: unde tunc oritur *pulſus magnus, celer, creber*, & propter hererogeneas ſanguinis partes, inæqualemque ſpirituum in cordis & arteriarum fibras influxum, *etiam inæqualis*: item ob æſophagi, ex ardore iſto, exſiccationem, *ſitis*; & ob acrem & fervidum ſanguinem, in cerebri & totius corporis membranas ſublatum, *dolor capitis & totius corporis inquietudo*. Atque hæc ſymtomata tam diu durant, donec materia efferveſcens, vi efferveſcentiæ poſt quinque vel ſex horas in ſudores ſoluta, per eoſque diſcuſſa, ægrum à febrili paroxyſmo immunem, per ſequens biduum, fecerit. Alia vero pars materiæ morbificæ, propter melancholicum ſuum temperamentum, quarto quoquo poſt die, ſimiliter efferveſcens, paroxyſmos alios quartanarios, & ſimilia hactenus induxit ſymtomata.

Metus eſt, ne hæc febris ex natura ſua longiſſima ſit futura,

tura, & cachexiam, hydropen, ſcorbutum, vel alia gravia mala accerſat, ideoque *Curatio* diligentiſſimè erit inſtituenda.

Eaque, in pravorum humorum eductione, & intemperiei ſanguinis, per contraria, correctione conſiſtet.

Primò itaque, die apyrexiæ, æger purgetur ℈j. *tartari vitriolati, & ſcammonii gran.* IX. *cum juſculo exhibitis.*

Poſtridie ſanguis educatur ex brachio ſiniſtro ad uncias ſex.

Deinde utatur hoc apozemate, bis de die; ſumendo ſingulis vicibus hauſtum trium vel quatuor unciarum:

℞. *herb. fumariæ, ſcolopendriæ,*
card. bened., agrimon.,
ceterach, capill. ven. an. M. j.
flor. cordial. an. p. j
Cort. rad. fœnicul., liquirit. raſ. an. ℥ſ.
ſem. agni caſti ʒiij.
aniſi ʒjſ.
rad. capparum, tamariſci ʒijſ.
epithymi, polypod. querc. an. ʒiij.
pruna damaſcena No. xiij.
Decoque in aq. hord. q. ſ. ad lib. j. *ſ.*
Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rhabar. ʒjſ.
Miſce. F. Apozema.

Ubi ſedimentum in urinis apparere inceperit, purgetur interdum tali medicamento purgante:

℞. *caſſiæ recens extractæ* ℥ſ.
confect. hamech. ʒiij.
aq. hord. ℥iij.
Miſce F. Hauſtus.

Et ſubinde ante paroxyſmum exhibeatur hic bolus:

℞. *ſal. abſinth., card. benedict. an.* ℈ſ.
theriacæ, extracti cardui benedict. an. ℈j.

cum syr. de lim. q. s. F. Bolus.

Vel ℞. *salis absinthii card. benedict. an. gr.* xv.
tartar. vitri olat. gr. vj.
sacchar. perlati ʒß. Misce, F. Pulvis,
immediatè ante paroxysmum assumendus.

Summe etiam hic commendatur cortex indicus, China China dictus.

Aër *sit* temperatus; *Cibi* eupepti & euchymi; *Potus* cerevisia & vinum mediocre; *Somnus* moderatus; *Exercitia* mediocria, *Vitet* tristitiam.

XVII.

MEDICATIO VIRI, HEMITRITÆA FEBRI LABORANTIS.

Vir 40. annorum, robustus, malâ diætâ diu usus, incidit matutino quodam tempore in horrorem totius corporis; quem insecutus est calor magnus, pulsus creber, celer, perpetuò durans. Sub vesperam ipsum eodem die invasit refrigeratio totius corporis, post quam sequebatur pulsus jùsto celerior & crebrior. Sequente die, calore illo perpetuo & pulsu celeri & crebro durante, leviter perfrigeratus est, calorque deinde increvit & pulsus increbuit. Tertio die rursus mane exhorruit & deinde incaluit; & vesperi, postquam refrigeratus esset, etiam increvit calor. Quarto verò die, leviter denuo sub vesperam refrigeratus, incaluit, & pulsus increbuit. Adest ventriculi dolor, sitis, & capitis gravitas.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*, ut ex horrore, refrigeratione, & ejus incalescentiâ: *cor*, ut ex pulsu vitiato: *æsophagus*, ut ex siti: *ventriculus*, ut ex dolore: & *caput*, ut ex gravitate est manifestum.

Morbus

Morbus, qui ipsum affligit, est *febris*, quæ ex tertianâ continuâ, & quotidianâ intermittente, composita, *Hæmitritæa*, vulgo appellatur. Idque ex symtomatum hic descriptorum ordine, & invadendi ratione & modo, clare innotescit.

Causa procatarctica hujus morbi est mala diæta, qua noster æger diu est usus. Inde verò nata cacochymia pituitosa & biliosa, tum in vasis, tum extra vasa existens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. *Pars* verò ejus *una biliosa, mane alternis diebus* horrorem, & perpetuum calorem, pulsumque crebrum ac celerum; *altera* verò *pituitosa, quotidie sub vesperam*, primò corporis refrigerationem & deinde corporis totius incalescentiam, & pulsus celeritatem & crebritatem, item sitim, ventriculi dolorem, & gravitatem capitis inducens, *continens* hujus morbi & symtomatum ejus est causa.

Morbus hic, quia totum corpus affligit, & ex cacochymia contraria, biliosa sc. & pituitosa, maligna & putrescente, originem ducit, satis est periculosus. *Curatio* itaque diligentissime est instituenda.

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis & continentis, ac intemperiei, per contraria, ablatione.

Primò itaque injiciatur clyster emolliens, quo intestinis evacuatis, sanguis, ex brachio dextro, tempore minoris afflictionis, educatur ad ℥vj.

Et bibat de hoc julapio:

℞. *Syr. acetosi simplicis* ℥ij.
capill. veneris ℥j.
aq. borrag., cardui bened. an. ℔ß.
Spirit. vitriol. q. s. pro grato acore, Misce, F. Julep.

Purgetur etiam subinde, tempore minoris afflictionis, tali purgante medicamento:

℞. *electuarii diacatholici* ℥ß.

diapruni sol. ʒiij.
cassiæ recent. extr. ʒij.
aq. car. bened. q. s. Misce F. Haustus.

Et utatur hoc apozemate:

℞. *rad. petrosel., polypod. querc. an.* ℥j. *cichor.* ʒß.
fol. agrimoniæ, acetosæ, cichorii melissæ, an. m. j.
flor. centaur. min., genistæ an. p. j. *tamarindor.* ℥j.
decoq in aq. hord. ℥xvj, *addendo sub finem decoctionis fol. sennæ* ℥j ß., *in Colatura dissolve syr. de cichor. cum rabarb.* ℥j ß. *Misce pro* Apozemate, *de quo quotidie sumat* ʒiiij.

Victus sit tenuis, temperatus. Tempus cibandi sit circa horas minoris afflictionis. *Potus* sit cerevisia tenuis, bene defæcata, item julep ex aq. endiviæ, cichor., ros., viol., borrag., de succo citri, ribium, & similibus. *Perturbationes animi* fugiendæ, & cum spe eventus exspectandus.

XVIII.

MEDICATIO PUELLÆ, FEBRI PESTILENTI LABORANTIS.

Puella viginti annorum, grassante peste, subitò magno horrore fuit correpta; quem primo die insecutus est pulsus celer, creber, & debilis, magnus corporis calor, & capitis dolor, magnaque virium animalium debilitas. Postridie in inguine dextro apparuit bubo, & infra illud, in femore, erupit anthrax.

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, ut ex horrore; *cor*, ut ex pulsu vitiato, & virium animalium debilitate; *caput*, quod ex dolore; item *inguen*, quod ex ejus bubone; & denique *femur*, quod ex ejus anthrace est manifestum.

Mor-

Morbus, qui eam affligit, est intemperies epidemica maligna, calida & contagiosa sanguinis & cordis, ac fixa sive coagulatoria spirituum: quæ primò horrorem, & deinde pulsum crebrum celerem & debilem, calorem magnum corporis, doloremque capitis, virium debilitatem, ac bubonem, cum anthrace, inducens, *Febris pestilens*, vel *Pestis* vulgò appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* est aër, pestilenti halitu sive vapore, ob pestem grassantem infectus; unde primò levi vitio, per inspirationem, sanguis in pulmonibus existens, & inde in totum corpus delatus, fuit affectus; isque *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus majorem malignitatem & calorem adepta, & ad cor delata, ibique spiritus sanguinis figens, & ita in varias corporis partes delata, *continens* hujus morbi, & symtomatum ejus, est causa.

Cum enim materia ista efferveſcens & corrupta multas aqueas & crassas contineret partes, & cum reliquo sanguine non satis bene esset mixta, hinc ea in corde non satis bene incalescens, spirituſque in cerebro inordinate movens, *horrorem* illum in ægra nostra excitavit. Dissipatis verò & dispersis istius sanguinis efferveſcentis & cor ingredientis partibus aqueis & crassis, reliquæ fervidi sanguinis partes, cor ingressæ, magnum conceperunt *calorem*, qui deinde per arterias toti corpori, & præsertim capiti, secundum acriores partes fuit communicatus, atque inde *totius corporis calor* & ingens *capitis dolor* fuit productus.

Et quia in hoc affectu, ob ejus fixatoriam & coagulatoriam malignitatem, spiritus figuntur sive coagulantur, & multæ sanguinis partes incrassantur, hinc *pulsus* nostræ ægræ est quidem, ob fervorem, *celer & creber*, sed ob fixionem & coagulationem spirituum *debilis*: atque hinc etiam *illa virium animalium adest debilitas*. Partesque sangui-

nis quædam craſſæ, ad inguen, ob pororum ejus laxitatem, propulſæ, *produxerunt bubonem*; & calidiores ac acriores ad femur depoſitæ, *anthracem ibidem genuerunt*.

Metus eſt, ne hic morbus, ob ſummam ejus malignitatem, ex ſymtomatum vehementiâ manifeſtam, ægram noſtram citò interimat. Quia tamen eſt juvenis, & multi ex hoc morbo evadunt, ſpes omnis nondum decollavit.

Idcirco magna cum diligentia *Curatio* eſt adhibenda; *quæ* in malignitatis expulſione, & per contraria, ac præſertim volatiliſantia, correctione, & tumorum ablatione, conſiſtet.

Primo itaque exhibeatur talis potio cardiaca, ſudorifera, & bezoardica:

℞. *aq. theriacalis* ℥ij.
elect. de ovo, vel diaſcordii ℥j. *Miſce pro* Potione, *quam mox ſumat corpore bene tecto, ut proliciantur ſudores.*

Sudore jam peracto, ſumat cochleare unum vel alterum ſequentis ſyrupi, per ſe, vel cum juſculo:

℞. *ſyr. de limonibus.*
de acetoſitate citri an. ℥j ß. *Miſce.*

Et reficiatur ſæpe juſculis efficacibus, contuſis, & congelatis: ac bibat lac amigdalatum.

Anthraci hoc imponatur cataplaſma:

℞. *fol. ſcabioſæ, pulpæ ficuum an.* ℥ß.
contuſis adde ol. lilior. q. ſ. *Miſce pro* Cataplaſmate, *cui poſtridie reſina laricea & vitellus ovi q. ſ. addi poterit.*

Buboni adhibeatur tale medicamentum:

℞. *herb. malvæ m.* j. *flor. camomill. p.* j.
caricarum pingu. ℥ij.
cocta piſtentur, ac addatur pulv. rad. althææ ℥ß.
farin. ſem. lini, fænigræci an. ℥ij.
vitell. ovor. No. ij.
emplaſtri diachyli diſſoluti in ol. lilior. ℥j. *ſalis* ʒij. *F.*

Cata-

Cataplasma, *bis in die renovandum.*

Epithema quoque pulsuum & cordis regioni tale, cum linteis expressis, calide adhibeatur:

℞. *aq. ros.* ℥ij.
scabiosæ, acetosæ, an. j. *melissæ,*
aceti ros. an. ℥ß. *pulv. diamarg. frig* ʒß.
succ. pom. redol. ℥ß. Misce.
Applicetur tepide, & sæpe reiteretur.

Postridie talis potio antiloimica & sudorifera exhibeatur:

℞. *aq. theriacalis.*
julapii rosati an. ℥j.
syr. de limonibus ℥ß.
de agresta ʒij.
Misce. F. potio, *quæ exhibeatur mane, corpus bene tegendo, ad sudores proliciendos.*

Sudore finito, sumat subinde ʒj. tab. diamagariti frigidi.

Sequentibus diebus, si adhuc periclitetur, (quod ex pulsu debili constabit,) in usu cordialium, propinatorum, admotorumque, erit pergendum: quibus hæc potio antiloimica & julapium alterans addi possunt:

℞. *aq. theriacal.* ℥ß, *vel* ʒvj.
syr. de agresta ℥ß.
julapii rosati ℥j.
aq. calendulæ, scabiosæ an. ℥ß.
pulv. diamargariti frig. ʒß. Misce
F. Potio.

℞. *oxysacchari simpl., syr. de limonib. an.* ℥j ß.
syr. acetos. ℥ß. *julapii rosat* ℥j ß.
aq. cinnamomi ℥ß. *spirit. vitrioli gutt.* iij.
camphor. gr. iiij. Misce, *f.* Julapium, *quo utatur frequenter.*

Interea curet quotidie bubonem & anthracem Chirurgus.

In

In *victus ratione*, *Aër* rectificetur rebus odoratis aliquoties in die. *Cibus* sit tenuis & refrigerans. Jusculà convenient gallinarum & pullorum, duabus horis vel unâ à sudore elapsâ. Congelata etiam dicta, ex carne vitulina, gallinacea, uvis, saccharo rosato. *Potus* sit cerevisia tenuis cum succo limonum. Jusculis incoquantur, borrago, buglossa, card. bened., fl. violar., rosar. *Somnus* sit moderatus; nam nimius veneni expulsionem impedit. *Vitet* tristitiam:

XIX.

MEDICATIO PUELLÆ, HECTICA FEBRI LABORANTIS.

PUella 18. annorum, nobilis & opulenta, à febri continua putrida, quæ eam aliquamdiu periculosè afflixerat, liberata; quamvis nulla febris amplius, uti prius, jam appareant indicia, ipsaque cibos non invita assumat, & ambulare pro arbitrio possit, urinæque sint laudatæ; tamen non reficitur; sed lassa & prostratis manet viribus; corpusque, priore febri acutâ emaciatum, non restituitur in integrum; sed potius magis magisque consumitur; & ubi scalas ascendit, vel alio se exercet paulo majore motu, uti & post cibum assumtum, statim plus justo incalescit, & cor ac arteriæ, circa jugulum, & colli latera, ac hypochondria, sensibilius pulsant; reliquo quoque tempore pulsus est concitatior, sed parvus.

Afficitur in hac ægra *totum corpus*, quod ex ejus macie & lassitudine; sed præcipuè *cor*, quod ex corporis consumtione perseverante, & pulsus cordis & arteriarum vitiis, in historiâ propositis, est manifestum.

Morbus

Morbus, qui eam affligit, est intemperies quædam calida & maligna, ipsam substantiam cordis potissimum occupans; quæ totius corporis continuam consumtionem, & lassitudinem; pulsumque perpetuò concitatiorem & parvum, &, post assumtum cibum, & exercitia paulo majora, pulsationem cordis & arteriarum in collo & hypochondriis sensibiliorem, inducens, *Febris hectica* appellatur.

Causa hujus morbi est febris illa continua & putrida, quâ ægra nostra aliquamdiu periculose afflicta fuit. Illa enim, aptitudine dispositionis cordis nostræ ægræ concurrente, intemperiem illam malignam ipsi substantiæ cordis impressit: unde symtomata superius commemorata originem ducunt.

Ab hac enim intemperie maligna cordis cum producatur sanguis, qui ad nutritionem & spirituum animalium generationẽ est ineptior: hinc fit, ut ægræ nostræ *corpus*, quod perpetuò à calore nativo dissipatur, & à sanguine pravo non satis restauratur, *indies magis magisque consumatur*, & *non nisi cum magna lassitudine*, ob defectum spirituum animalium, moveri queat.

Cumque ea intemperies, substantiæ cordis inhærens, sit justo major, & perpetua; hinc *pulsus perpetuo est concitatior*; *qui tamen*, ob paucitatem spirituum in sanguine existentium, *est parvus*,

Ob eandemque intemperiem cordis calidam contingit, ut *post scalarum ascensum, vel cibi sumtionem, pulsus cordis & arteriarum circa collum & hypochondria vehementius & sensibilius moveantur, corpusque ejus plus solito incalescat.* Ab his enim causis calor cordis magis intenditur, & toti corpori mediante sanguine, per totum corpus à corde diffuso, communicatur, & *circa collum & hypochondria*, ubi arteriæ sunt copiosiores & carne minus tectæ *pulsus arteriarum magis percipitur.*

Morbus hic, quia consistit in ipsa cordis intemperie, valde est *periculosus:* præsertim cum ægra ex præcedente febri valde sit debilitata, & metus sit, ne malum hoc in tabem, ipsas carnosas corporis partes consumentem, abeat.

Diligentissimâ itaque *Curatione* erit impugnandus: *eaque* in intemperiei istius cordis, & totius corporis, per contraria, ablatione, & totius corporis viriumque restauratione, consistet.

Ad corpus itaque humectandum, & modicè refrigerandum, tale apozema præscribatur, de quo bis terve in die haustum bibat:

℞. *rad. cichorii, buglossi, asparag. an.* ℥j.
glycyrrizæ rasæ ʒvj.
herb. borrag., violarum, portulacæ, buglossæ, an. M. j.
flor. borrag., violar., rosar. provinc. an. p. ij.
sem. 4. frig. major. an. ʒj ß.
papav. albi ʒij.
passular. mund. ℥ij.
Coq. in aq. hord. q. s. ad lib. j ß. *Colaturæ adde syr. violacei, de cichorio an.* ℥j. *Misce F.* Apozema.

Ad viscerum etiam corroborationem utatur tali condito:

℞. *spec. diatragacanth. frigid., diamarg. frig. an.* ʒj.
diarrhod. abbatis ʒß.
conserv. flor. rosar. pallid.
borrag. an. ℥j. *M. F.* Conditum,
de quo sumat bis terve in die castaneæ quantitatem.

Consumto apozemate & condito, alternis diebus sumat mane tepide lactis amigdalati ℥iiij, in quibus sacchari rosati tabulati ʒij. sunt dissolutæ, in eoque ad septimanas quatuor perseveret.

Altero die, quo ab amigdalato abstinebit, utatur sequente confectione:

℞. *con-*

℞. *conserv. flor. violarum, bugloss., rosar., scabiosæ an.* ℥j.
lactucæ condit. ℥j *s.*
spec. diatragacanth., diamarg. fr., diapenid. an. ʒj.
syr. de portulaca & violacei q. s. Misce in formam
Conditi. Capiat ʒij. pro vice.

Cordis regioni, & pulsibus in carpo utroque, adhibeatur ante somnum indies sequens unguentum:

℞. *succi bugloss., violariæ, portulacæ, lactucæ, simul expressi. an.* ℥j.
scabiosæ ℥*s.*
ol. rosar., nenuphar., an. ʒiiij.
Coq. ad succor. consumtionem, addendo sub finem
succi limon. ℥*s.*
mucilag. sem. psyllii, factæ cum aq. rosar. ℥*s.*
ceræ albæ parum, permiscendo spec. electuar. de
gemmis, diamargar. frig. an. ʒ*s.*
coralli, crystall. subtilissime pulv. an. ʒj.
Misce. F. Unguentum.

Ne illuvies aliqua, excrementorum congesta, morbum augeat, septimanatim sumat ℥j. mannæ calabricæ, dissolutæ in tenui cerevisia:

Et tribus diebus post, semper injiciatur hic clyster:

℞. *juris gallinæ in quo flor. Cord. 4. & portulaca recens*
decocta fuerint lib. s.
lactis caprini vel vaccini ℥iij, *in iis dissolv. mannæ* ℥j.
butyri recent. ℥j *s.*
vitell. ovi No. j. *Misce F.* Clyster

Victus rationem talem instituat: ut indies ter, horâ sc. decimâ matutinâ, tertiâ, & septimâ, *Cibus* illi exhibeatur duorum saltem vel trium generum, pro unâ mensâ: de quibus tantum assumat, quantum ventriculus optime ferre & digerere potest.

Hæc autem comedantur eupepta & euchyma: caro caponis non antiqui, gallinæ junioris, vituli, agni; percæ, piscis lucii junioris; recte præparata, nunc elixa, nunc assa. Ova elixa tremula. Leviter omnia salita, & vixdum vel tenuissime saltem, aromatibus condita. Martius panis, amigdalæ, passulæ. Pro secunda mensa, poma, pyra, pruna exsiccata cocta. Ex lacte amigdalino plus cum butyro recenti. Panis ex farina tritici pura pistus, non salitus. Oryza in jure cocta. Jusculis carnis incoquantur folia portulacæ & buglossæ. Vinum sit album, maturum, tenue. Cerevisia mediocris, non amara.

XX.

MEDICATIO JUVENIS,

APHTHIS,

cum febri ardenti, laborântis.

Juvenis viginti sex annorum, febri ardente laborans, linguam, vicinasque oris partes, scabras, fissas, multisque ulcusculis cum ardore obsessa, ac lentore viscido obductas habet: Atque difficulter oblata deglutire potest.

Afficitur in hoc ægro lingua: item vicinæ oris partes; quod ex oris inspectione, ægri querelâ & deglutiendi difficultate patet.

Morbus, præter febrim, quo hic æger laborat, est intemperies acris, calida, scabra, & viscida linguæ, vicinarumque oris partium, cum ulcusculis molestissimis conjuncta; isque *aphtharum* nomine vulgò venire solet.

Hæ in hoc ægro, ab humoribus & vaporibus fervidis viscidis & acribus, partim ex totius corporis cacochymiâ, per vasa ori vicina, ob poros ibi justo patentiores, partiumque istarum mollitiem, in illas partes propulsis; partim

tim ex pulmonibus & ventriculo per exhalationem & evaporationem eo delatis; parteſque illas vellicantibus, erodentibus, obducentibus, nimioque calore perfundentibus, *originem* ducunt.

Ulcuſcula hæc febris ardentis, quam comitantur, magnitudinem & pravitatem; ac proinde magnum ægri noſtri vitæ *periculum* ſignificant.

Curatio, præter venæſectionem, purgationem, aliaque remedia febri convenientia; qualia, in febri tertianâ continuâ, ſuperius fuerunt propoſita; in intemperiei,& ulcuſculorum per contraria ablatione, conſiſtet.

Primo itaque tali gargariſmo frequenter utatur:

℞. *hordei mund.* ℥ſ.
fol. plantag., portulacæ, prunellæ, an. m. j.
*ſempervivi, violar. an. m*ſ.
flor. roſar. rubr., balauſt., malvæ arbor. an. p. j.
ſem. cydon. ʒj. *cort. granat., ſumach an.* ʒjſ.
decoq. in aq. comm. ad lib. j. *in Colatura diſſolve mellis roſati, diamori an.* ℥j. *Miſc.* F. Gargariſmus.

Poſt gargariſationem os perfundat ſequente linctu:

℞. *ſyr. violacei, granator. acidor.,*
diamori an. ℥j. Miſce.

Et in ore teneat nodulos ex linteo confectos, in quibus ſemina cydoniorum parum contuſa,& ſaccharum candi dictum nonnihil tritum,contineantur:quique in aquâ hordei vel plantaginis ſunt macerati. Iiſdem etiam nodulis,bacillo alligatis, os lingua & fauces ſæpius detergantur. His enim ſcabrities linguæ & aphthæ molleſcunt, maturantur, & decidunt, & oris calor ſedatur.

Ubi aphthæ incipiunt decidere utatur hoc linctu:

℞. *ſyr. cydonior.*
de roſ. ſiccis an. ℥j. Miſce,

Diæta ſit,qualis in febri tertianâ continuâ fuit præſcripta.

XXI.

MEDICATIO FOEMINÆ, TUSSI CONTUMACE LABORANTIS.

FOemina 28. annorum dum per hiberna frigora nocturno tempore ex lecto, non satis bene vestita, surgens, per domum sæpius discurrere cogebatur ; incidit in tussim, quâ multa pituitosa, & sæpe etiam salsa, passim expectorat : quæque vesperi sub ingressum lecti valde exacerbari solet. Multis bechicis citra purgationem hactenus est usa : *sed frustra. Nam hoc malum jam sesqui annum continuum durat.*

Afficitur in hac ægra *pulmo* ; quod ex tussi illa pertinaci, & pituitosorum ac salsorum expectoratione, patet.

Morbus, qui ægram hanc affligit, est intemperies pulmonum pituitosa, salsa, frigida, & acris, cum eorum nimiâ pororum apertione conjuncta ; quæ frequentem tussim, pituitosamque expectorationem efficiens, ab effecto sive symptomate hoc suo, *tussis* appellari solet.

Causa Procatarctica hujus morbi fuit discursus, ab hac fœmina non satis bene vestita per hiberna frigora in ædibus sæpius factus: hinc enim totum ejus corpus, ac præsertim caput & pulmones frigidam intemperiem contraxerunt; quâ pori capitis & pulmonum arctati retinuerunt magnam partem vaporum & exhalationum, quæ per illos copiose antea exhalabant. Vapores autem isti, eâ ratione in capite & pulmonibus retenti, partim in materiam serosam & pituitosam fuerunt, ob loci angustiam & intemperiem frigidam jam contractam, conversi ; partim ex retentione vehementius agitati magnos in illis partibus poros, humoribus serosis pituitosis salsis & acribus à reliquo sanguine sepa-

ſeparandis, & in alias partes propellendis, idoneos, aperuerunt. Atque ita *antecedentem* huic morbo præbuerunt *cauſam*. Pars verò humorum iſtorum in bronchia pulmonum delabens, eaque ſuâ acrimoniâ & copiâ vellicans, eoque poros cerebri, in muſculos thoracis deſinentes, vehementius & inordinatius aperiens, ſpirituſque animales modo in muſculos inſpiratorios, modo in exſpiratorios thoracis & faucium vehementius inordinatiuſque immittens: atque ita thoracem inordinate dilatando & contrahendo, aëremque & pituitam acrem & ſalſam, bronchiis pulmonum contentam, per vices vehementius cum ſtrepitu expellens, *intemperiei hujus, & tuſſis continens* eſt *cauſa*.

Morbus hic, quia eſt à materia acri; & jam tamdiu duravit, inducit *periculum* ſanguinis ſputi, exulcerationis pulmonum, & phthiſeos, quæ inde ſequi ſolet.

Diligente itaque *Curatione* erit inpugnandus; quæ in cauſæ antecedentis, continentis, & intemperiei, ac tuſſis, per contraria ablatione, conſiſtet.

Primo itaque purgetur ægra tali hauſtu:

℞. *Diapruni, diaphœnici an.* ℥ ß.
decocti pectoralis ℥iij ß.
Miſce. *F.* Hauſtus, *mane exhibendus, & ſubinde reiterandus.*

Poſtea utatur hoc decocto:

℞. *rad. althææ*
fœniculi, petroſelini an. ℥j.
glycyrrizæ raſ., enulæ an. ℥ß.
herb. tuſſilag., hyſſopi, capill. veneris,
bugloſſæ an. m. j.
jujubar., caricar. an. N. x.
uvar. paſſar. ℥ ß.
ſem. aniſi, carui, 4. frig. major. an. ℥j.

hordei

hordei mundati m. j.
F. decoctio in aq. hordei ad lib. j. *In Colatura dissolve syr. de hyssopo, de liquiritia an.* ℥j.
F. Apozema, *de quo bibat haustum bis in die.*

Corpore expurgato frequenter utatur de hoc ecleg-mate:

℞. *loch. de pino,* ℥j.
spec. diapenid., diatrag. an. ℥jß.
syr. violar., de liquiritia an. ℥ß.
Misce, F. Linctus.

Utiles hic etiam sunt trochisci bechici, & saccharum althææ, in ore detenta, ut sensim liquescant.

Vesperi etiam cubitum itura cochleare sumat de hac mixtura; quâ defluxus humorum egregiè sistitur; & pori nimis aperti clauduntur:

℞. *syr. de hyssopo, papaveris albi,*
oxymell. simpl. an. ℥j.
Misce.

Diæta hic observetur, qualis in Catharro superius fuit præscripta.

PRAXEOS

PRAXEOS MEDICÆ

LIBER TERTIUS.

De Medendis Morbis Abdominis,

I.

MEDICATIO PUELLÆ, CARDIALGIA LABORANTIS.

Puella viginti annorum, jam à multis annis, de rosione & compressione circa ventriculi regionem conqueritur : ructus continuò edit acidos, in hypochondriis murmura & rugitus audiuntur : torminibus ventris frequentibus & dolore capitis infestatur. Colore est pallido & cachectico, mensesque non decenter fluunt.

Afficitur in hac ægra *ventriculus*; ut patet ex rosione & compressione circa ejus regionem, quæ est circa mucronatam cartilaginem, perceptâ, & ructibus acidis emissis. Afficiuntur item vescera, *hepar* sc. & *lien* in hypochondriis sita, nec non *pancreas*, *intestina*, & *caput*; quod probant murmura in hypochondriis audita, & tormina ventris, ac dolor caput infestans. Deinde *totum corporis habitum & uterum* affici, testatur pallidus & cachecticus color, & menses non decenter, sive parcius & inordinatè, fluentes.

Morbus præcipuus, qui ægram nostram affligit, est intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida & aci-

da, imo etiam acerba, quæ rosionem, & compressionem ventriculi, ac ructus acidos; item murmura hypochondriorum & rugitus ac ventris tormina pariens, *Cardialgia*, sive *Cordis dolor*, vulgò appellari solet: sed *Ventriculi dolor* meritò appellandus; cum hic non cor, sed ventriculus præcipuè afficiatur.

Hæc intemperies ventriculi & vicinorum viscerum frigida, acida & acerba, est manifesta ex acidis ructibus & rosionibus atque compressionibus, circa ventriculi regionem perceptis. Illa enim producit acidum acerbum & crudum chylum, qui ventriculum pungit & constringit; & quia ex eo oriuntur obstructiones in variis partibus, crassique succi & vapores, hinc nata sunt omnia illa symtomata, quæ in Casu proposito narrantur.

Nam chylus ille crudus, acrimoniâ & acerbitate suâ pungens ventriculum, facit in eo *dolores rosivos & constrictorios*. In vapores crassos mutatus, qui ob crassitiem suam commodè per poros ventriculi & intestinorum distribui nequeunt, facit *ructuum acidorum per os excretionem*; & per vicina viscera discurrendo, & partes eas cum sonitu agitando, & dolorosè ventrem vel tunicas intestinorum lancinando, facit *in hypochondriis rugitus, & in ventre tormina*. Ad cor verò per venas mesaraicas & lacteas, & inde in caput delatus, & ibidem cerebrum & membranas vellicans, efficit *capitis dolorem*. Ad habitum vero corporis cum sanguine crudo delatus, *colorem pallidum & cachecticum*. Ad uterum denique delatus, ibique poros ejus obstruendo, sanguinemque ad commodam excretionem ineptum faciendo, facit *mensium parcam & inordinatam excretionem*.

Morbus hic propter magna symtomata, quæ inducit, periculum lipothymiæ, hydropis, aliorumque gravium affectuum, minatur. Atque ideo diligenti & cita *Curatio-*

ne

ne erit impugnandus.

Quæ in intemperiei, & ſymtomatum, per contraria impugnatione, conſiſtet.

Primò itaque utatur talibus pilulis uſualibus, quæ leviter purgabunt, ventriculumque roborabunt:

℞. *pil. de hiera ſimpl.* ʒj *ſ. alephanginar., aſſajereth, agarici trochiſc. an.* ʒj. *rabarb. elect.* ʒſ. *cinnamomi* ϑj. *cum ſyr. roſ. ſol. q. ſ. fiat* Pilularum maſſa, *de qua capiat ſingulis ſeptimanis* ʒſ. *cum pomo cocto, mane jejuno ventriculo.*

Et deinde porro utatur hoc electuario:

℞. *conſerv. roſar. antiq., flor. cichorii an.* ℥j. *conſerv. ſcolopendr., cort. citri condit. an* ℥ſ. *ſpec. aromat. roſ.* ϑiiij. *ſpec. de gemmis* ϑj. *ſpec. diatriaſantalini cum duplicato rabarb.* ʒj. *cineris inteſtinorum & pellicular. ventriculi gallinæ* ʒj. *ſ. limaturæ chalibis præparat. cum aceto* ℥ſ. *trochiſcor. de rabarb.* ʒiiij. *de eupatorio* ʒj *ſ. cum ſyr. de mentha q. ſ. F.* Electuarium, *de quo capiat quantitatem caſtaneæ majoris, mane duabus horis ante prandium, ſuperbibendo hauſtum vini generoſi, aquâ abſinthii dilûti.*

Poſt ſingulos paſtus utatur de hoc medicamento:

℞. *carnium cydon. ſaccharo condit.* ℥ij. *conſerv. roſar. antiquæ* ℥j *ſ. cortic. citri condit.* ℥ſ *coralli rubri uſti & loti, raſuræ eboris, cornu cervi an.* ʒj. *ſpec. diacydon. ſine ſpec.* ϑj. *cinnamomi* ʒſ., *ſacchari ad pondus omnium, f.* Mixtura, *de quâ capiat cochleare unum poſt ſingulos paſtus.*

Ventriculi regioni scutum hoc stomachale admoveat:

℞. *emplastri de mastiche,*
pro stomacho an. ʒj.
pulver. rad galangæ ʒiij. *cariophyllor.* ʒs.
ladani ʒj. *coralli rubri* ʒs.
cum ol. de absinth. F. Emplastrum, *extensum in corio, ad formam scuti.*

Hepatis regionem semper mane inungat hoc linimento:

℞. *ol. de absintio, nardini an.* ʒij, *ol. cydon.* ʒj.
spic. utriusque ʒj. *rad. cyperi, asari, santali rubr. & albi. an.* ʒß.
ceræ q. s. F. Linimentum.

In *diæta, Aër* sit temperatus. *Cibus* offeratur concoctu facilis, corruptioni minus obnoxius, ex aviculis, capis, perdicibus, pullis gallinaceis, jusculis carnium; conditus succo arantiorum. *Potus* sit vinum tenue, cerevisia mediocris. *Motus* sit corporis moderatus, ut & *Somnus*. *Alvus* indies naturâ vel arte respondeat. *Mæror* vitetur præcipue, ut & alii vehementiores affectus.

MEDICATIO JUVENIS,
Anorexiâ & cibi fastidio
LABORANTIS.

Juvenis 27. annorum, biliosus, plethoricus, postquam commessationibus frequentioribus diutule indulsisset, incidit in oris amarorem, toto die ipsum molestantem. Hunc insecutus est appetitus imminutus. Quod malum intra paucos dies ita fuit auctum, ut jam tanto ciborum laboret fastidio, ut non tantum ad oblatos nauseet; sed ne nominationem quidem eorum ferat. Adest ventriculi morsus, & totius corporis gravitas.

Affici-

Afficitur in hoc ægro *os*, & *ventriculus*; quod ex præcedente oris amarore, & insecuto appetitu imminuto, & tandem prostrato, atque etiam ex ventriculi morsu patet. Afficitur etiam *totum corpus*; quod ex ejus gravitatis perceptione est manifestum.

Morbus qui ipsum affligit, est intemperies quædam ventriculi biliosa, quæ appetitum ventriculi prosternens, & fastidium ciborum pariens, græcè Ἀνορεξία, & latinè *Appetitus prostratus* & *Cibi fastidium*, à præcipuò suo symtomate, appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est frequens & diutina illa commessatio, qua, adjuvante temperamento nostri ægri biliòso, multi humores biliosi, in corpore ejus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum ad os & ventriculum delata, ab iisque imbibita, produxit primum *oris amarorem*, toto die ægrum infestantem, & deinde etiam *appetitum imminutum*. Postea verò copiosius ad ventriculum delata, porosque ejus obstruens, impedivit succi fermentacei, & famem facere soliti, ex arteriis cæliacis in ventriculum ingressum; & siquis succus esset illapsus, ille ab intemperie illa biliosa ita fuit corruptus, ut non tantum peculiari suo pravo motu *appetitum prostratum*; sed etiam *tantum cibi induxerit fastidium, ut æger non tantum ad oblatum nauseet, sed etiam ejus nominationem*, utpote phantasiam ipsius excitantem, & spiritus pravè in ventriculum ejus moventem, non ferat.

Cum vero, ex hoc appetitu prostrato & cibi fastidio, æger nihil vel parum alimenti sumat, hinc valde imminutis spiritibus animalibus, ad corporis agilem motum necessariis, *gravitatis sensus* occupat totum nostri ægri corpus.

Interim dum ille succus biliosus suâ acrimoniâ ventriculum rodit, adest hic *ventriculi morsus*.

Atque ita ea materia biliosa, ad ventriculum delata, *continens* hujus morbi & symtomatum ejus est causa.

Morbus hic periculosus est, quia alimentorum sumtionem impedit; quo necessario languor, & tandem, nisi rectè curetur, mors supervenire debet.

Curatio itaque mox quam diligentissima erit adhibenda.

Eaque in causarum & intemperiei ablatione, per contraria remedia, consistet.

Primò itaque sumat æger tale vomitorium:

℞. *conserv. fol. asari* ℥j.
vini albi ℥j *s.*
contundantur in mortario marmoreo, & per linteum exprimatur liquor; expressioni forti adde aq. cinnamomi ℥*s.*
M. *pro* Vomitorio.

Corpore vomitu evacuato, quia hic adest plethora, *sanguis educatur*, pro ratione virium, ex dextro brachio.

Postea utatur tali apozemate.

℞. *rad. petroselini, fæniculi, apii, an.* ℥ *s.*
cichorii ℥j.
fol. acetosæ, taraxaci, an. m. j.
absinthii m. s.
flor. rosar., cichorii an. p. j.
sem. coriandr. præp. ℥j.
anisi ℥j *s.*
tamarindor. ℥j.
decoq. in justa quant. aq, decoct. hordei;
addendo sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j. *myrobalan. citrin.* ℥ *s. Colaturæ adde syr. de cichorio cum rabarbaro* ℥j. *s.*
M. F. Apozema, *de quo æger sumat haustum semel vel bis in die.*

Interea pro libitu bibat de tali julapio:

℞. *syr.*

℞. *ſyr. de limonibus* ℥j.
violacei ℥j.
aq. decoction. hordei lib. j ſ.
ol. vitriol. q. ſ. ad gratum acorem
Miſce F. Julep.

Poſt purgationem, ad ventriculum roborandum convenit myva cydoniorum, vel cydoniatum, vel tale conditum:

℞. *lactucæ conditæ* ℥j.
conſerv. acetoſæ, roſar.,
flor. cichorii, borrag. an. ℥ ſ.
pulv. ſantal. rubri, diarrhod. abbatis an. ʒj.
trochiſc. de ſpodio, ſem. acetoſæ an. ℈j.
cum ſyr. de limonibus q. ſ. F. Conditum
de quo capiat æger caſtaneæ magnitudinem, mane,
& ſerò, ſuperbibendo parum vini oligophori.

Exterius verò ventriculus inungatur tali unguento:

℞. *ol. roſacei, myrtini, cydoniorum, aceto roſ. lotorum*
an ℥j.
ſantalor. omnium, corallorum., coriandri præp., roſar.
rubr. an. ʒſ.
ſpodii ℈ij. *ceræ albæ q. ſ.* Miſce. F. Linimentum.
quo in vola manus calefacto inungatur regio
ventriculi, bis vel ter in die, addendo aliquid aceti
roſacei tempore unctionis.

In alimentis acetum, & acida omnia, ſunt utiliſſima.

III.

MEDICATIO JUVENIS, FAME CANINA LABORANTIS.

Juvenis 26. annorum, melancholicus, post longum multorum acidorum usum, incidit in ingentem famem, quâ quotidie sexies, septies, & amplius, cibum copiosum sumere cogitur. Post cibi sumtionem sæpe ventriculi sequitur dolor; quem deinde vel vomitus, vel magnus alvi fluxus, lipothymiam sæpius inducens, sequi solet.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus*; quod ex ingenti illa fame, item ex ejus dolore, nec non ex vomitu, est manifestum. Afficiuntur quoque *intestina*, quod ex alvi fluxu; & *cor*, quod ex lipothymia insequente patet.

Morbus, quo hic æger torquetur, est intemperies quædam acida & valde acris ventriculi, quæ illam ingentem famem, tam copiosam frequentemque ciborum sumtionem, & ventriculi dolorem, vomitum, alvi magnum fluxum, & lipothymiam inducentem, producens, *Fames canina* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi fuit diutinus ille copiosorum acidorum alimentorum usus. Hinc verò copiosi acidi humores in corpore geniti, & cum sanguine per illud diffusi, *antecedentem* hujus morbi constituerunt causam. Pars verò eorum copiosè & perpetuò ad ventriculum delata, eumque acore & acrimoniâ suâ magnâ vellicans, facit ingentem illam tam copiosè & frequenter sumendi alimenti imaginationem. Cum verò illud assumptum rectè à ventriculo non concoquatur, sed corrumpatur, & magnam acrimoniam præternaturalem adipiscatur, hinc oritur *ventriculi morsus*, spirituque ita ex illa morsus vellicatione deter-

determinantur, ut illi fluentes, modo in ventriculi & inteſtinorum obliquè aſcendentes fibras, *vomitum*; modò in obliquè deſcendentes, *alvi fluxum & lipothymiam*, per ſpirituum & utilium humorum diſſipationem & evacuationem, in hoc ægro pariant. Atque ita exiſtit acidus ille humor, in ventriculo genitus, vel ad ventriculum delatus, *continens hujus morbi*, & *remota ſymptomatum* ejus *cauſa*.

Morbus hic valde periculoſus eſt. Ab eo enim ſæpè cæliaca affectio, vel hydrops oriri ſolet; & quia hic adeſt lipothymia, metus eſt, ne æger ſubitò extinguatur:

Curatio itaque eſt acceleranda: *eaque* in cauſarum & intemperiei ablatione, bonæ temperiei reductione, conſiſtet.

Primo itaque præſcribatur tale vomitorium:

℞. *conſervæ fol. aſari* ℥j.
vini albi ℥iij.
contundantur in mortario marmoreo,
& exprimatur poſtea liquor,
cui adde aq. cinnamomi ℥ß. F. Vomitorium.

Vel ℞. *ſalis vitrioli albi* ʒß.
aq. decoct. hordei ℥ij.
oxymell. ſimpl. ℥ß.
M. *pro* Vomitorio.

Poſtea utatur tali Apozemate:

℞. *rad. acori* ℥jſ.
helenii ʒiij
cort. citri, arantior an. ℥ſ.
herb. menthæ, ſalviæ, pulegii,
roriſmarini an m. j. *abſinthii m.* ſ.
ſem. aniſi, fæniculi, coriandri, carui an. ʒij.
decoq. in vini gallici q. ſ. ad ℔jß.
in Colatura diſſolve ſyr. de menta ℥ij.
aq. cinnamomi ℥j. M. F. Apozema.

de quo ſumat æger hauſtum mediocrem, bis terve in die.

Subinde etiam purgetur talibus pilulis:

℞. *pil. de hiera* ℈j.
rhabarb. ℈ß.
cum ſyr. de mentha F. Pilulæ No. v. vel vi.

Poſtea utatur tali condito:

℞. *conſervæ roſar.* ℥iij.
diacydon. ℥j.
nuces moſchat. cond. No. ij.
corall. rubr. præparat. ℈j.
ſpec. aromat. roſ.
caryophyll. inciſor. an. ʒiij.
cum ſyr. cydonior. F. Conditum,
de quo æger aliquoties in die ſumat magnitudinem caſtaneæ majoris.

Si æger in paroxyſmum lipothymiæ incidat, ad ſe erit revocandus exhibito cochleari aq. cinnamomi, odore panis vino madidi, & ſimilium.

In ingenti ventriculi morſu exhiberi poteſt theriaca, vel mithridatium, requies Nicolai, vel ſimile.

In *Victus ratione Aër* ſit temperatus; æger quieſcat & diutius dormiat. *Cibi* ſint, qui tardè coquuntur & diſtribuuntur, quales ſunt cochleæ, cancri, caro ſuilla, & bubula, oryza, & ſimiles. *Vinum* & omnia attenuantia vitentur.

IV.

MEDICATIO PUELLÆ, PICA LABORANTIS.

Puella nata annos quindecim, pallida & gracilis, jam ab aliquo tempore lapillos, terram, cretam, frumentum, lanam, goſſypium, aliaque ſimilia, à conſuetis alimentis aliena, magna

cum

cum voluptate & copiosè commedit. Adsunt frequentes exspuitiones, oris ventriculi morsus, & anxietates totum corpus perturbantes. Hactenus haud magnum, ex prædictis alimentis, sentit nocumentum.

Afficitur in hac ægra *ventriculus*, quod ex pravo illo appetitu, item ex frequentibus illis exspuitionibus, ac ventriculi morsibus, & anxietate insequente, & *cor* & *cerebum* etiam afficiente, est manifestum.

Morbus, quo hæc ægra laborat est intemperies quædam humida & acris ventriculi; quæ rerum illarum jam dictarum, aconsuetis alimentis alienarum, appetitum, & jucundam & copiosam comesturam pariens, græcis Κίττα, latinis *Pica* vulgò appellatur.

Remota hujus morbi *causa* est pravus humor, peculiari acrimoniâ præter naturali præditus, & par totum corpus diffusus, illudque gracile, pallidum efficiens; cujus pars ad ventriculum delata, ab eoque imbibita, *proximam & continentem* huic morbo & symtomatis præbet causam.

A ventriculo enim imbibitus ille humor, inducit liquore suo, peculiari acrimoniâ, *commemoratam illam peculiarem intemperiem*; illaque agens primò in nervum sextæ conjugationis, & reliquum ventriculum, producit *rerum jam commemoratarum appetitum, & jucundam ac copiosam sumtionem, exspuitionesque frequentes, atque ventriculi morsum*; qui cor & cerebrum afficiendo, parit *anxietates, totum corpus*, inordinato sanguinis & spirituum influxu, *perturbantes*.

Intemperies verò illa ventriculi, deinde agens in alimenta illa appetita & assumta, subigit illa suâ peculiari acrimoniâ, eaque in nutrimentum utcunque bonum convertit; quo fit, ut ægra nostra *ex alimentis illis assumtis hactenus haud magnum sentiat nocumentum*.

Hoc malum periculo non vacat; quia sæpe in cacochymiam, hydropem, & alia plurima mala degenerat. Quanquam e-

nim fœminas præcipue, tali affectu laborantes, sæpe talia præter naturam assumta sine damno comedisse obsservatum sit: attamen, si malum diu duret, fieri non potest, quin pravi humores, & morbi inde generentur.

Tempestivè itaque ad *Curationem* progrediendum; *eaque* in causarum ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primò itaque tale præscribatur vomitorium:

℞. *conservæ fol. asari* ℥j.
vini albi ℥jſ. *aq. cinnamomi* ℥ſ.
contundantur in mortario marmoreo, & deinde trajiciantur per linteum, & forti expressione exprimatur liquor, & F. Vomitorium.

Postea talis fiat humorum præparatio & evacuatio:

℞. *herb. melissæ, rutæ, betonicæ, origani an. m.* jſ.
decoq. in q. ſ. aq. hordei ad lib. j.
Colaturæ adde syr. de mentha, beton., oxymell. an. ℥ſ.
Misce F. Apozema.
pro 4. *dosibus, mane & vesperi sumendis.*

℞. *fol. sennæ* ℥ſ. *sem. anisi* ʒj.
infundantur in aq. hordei q. ſ.
Colaturæ adde electuarii de hiera picra ʒij.
Misce F. Haustus

Vel ℞. *pil. de hiera* ʒſ. *scammonii gr.* x.
F. *pil.* No. vij.

Postea corroboretur ventriculus tali electuario:

℞. *conserv. rosarum, borrag., buglossæ an.* ℥j.
specier. diamargariti utriusque an. ʒj.
cum syr. de mentha q. ſ. F. Electuarium.

Foris illinatur ventriculus tali linimento:

℞. *ol. cydoneorum, nardini, mastichini an.* ℥ſ.
Misce F. Linimentum.

Et postea imponatur ipsi Ceratum stomachicum, super corio extensum.

In

In *diæta, Cibi* offerantur varii, qui ipsi sunt grati; ad imaginationem à rebus alienis avocandam. Ad pravos humores expellendos commendatur usus capparum & olivarum conditarum, irem succus arantiorum granatorum & limonum; amylum hic etiam a quibusdam laudatur, quod acrimoniam humorum temperat. *Potus* sit vinum generosum & adstringens.

V.

MEDICATIO FOEMINÆ,

Loquelâ amissâ, & deglutiendi difficultate LABORANTIS.

MUlier 65. annorum, subitò loquelam amisit, ita ut nulla verba proferre queat. Accessit huic malo tanta in deglutiendo difficultas, ut tantum jusculà vel lac, eaque minima quantitate, & guttatim, magno cum labore, deglutiat: hæc quandoque in asperam arteriam ipsi prolabuntur, tussimque magnam movent.

Afficiuntur in hac ægrâ *lingua, fauces, æsophagus, & aspera arteria*; quod ex loquelâ deperditâ, deglutiendi difficultate, & tussi, subinde ipsam torquente, est manifestum.

Morbus, qui illam affligit, est intemperies frigida & humida ramorum quorundam nervi sextæ & septimæ conjugationis, linguæ & faucium musculis ac æsophagi fibris implantatorum, cum valvularum, in nervos oppositosque musculos spectantium, nimiâ flacciditate, vel obstructione, conjuncta; quæ loquelam amissam, deglutiendique difficultatem inducens, *Paralysis linguæ & faucium motiva*, vel, à symtomatis præcipuis ægram torquenti-

bus, *Loquela amißa & deglutiendi difficultas*, appellari vulgò ſolet.

Cauſa hujus morbi *procatarctica* eſt ægræ noſtræ ſenectus. Illa enim, calorem nativum ejus imminuendo, frigidos in ipſius corpore produxit humores, qui *cauſam antecedentem* huic morbo præbuerunt. Pars verò eorum ad nervorum ſeptimæ & ſextæ conjugationis quoſdam ramos, linguæ & faucium & æſophagi fibris inſertos, defluens, eorumque valvulas & poros vel nimium laxans, vel obſtruens, ſpirituumque juſtum influxum, debitamque, ex unis muſculis & fibris in alios muſculos & fibras, locutioni & deglutitioni inſervientes, reciprocationem impediens, *continens* hujus intemperiei, & amiſſæ locutionis, ac deglutiendi difficultatis, eſt *cauſa*.

Morbus hic valde periculoſus eſt. Metus enim eſt, ne deglutitionem penitus tollat, & ita omnis alimenti ſumtionem impediendo, vitam huic ægræ adimat.

Curatio itaque diligenter inſtituenda eſt: quæ in cauſarum, intemperiei, & obſtructionis per contraria ablatione, conſiſtet.

Mox itaque talis injiciatur clyſter:

℞. *decocti emollientis* ℥viij.
electuarii diaphœnici ℥j.
olei lilior. ℥j ß.
ſalis comm. ʒ ß.
Miſce f. Clyſter, *qui ſubinde, pro virium ratione, reiterari poterit.*

Deinde decocto ſalviæ in vino facto, vel tali, ſæpe os & fauces gargariſando, colluat ægra:

℞. *rad. acori veri* ℥ß.
ireos ʒij.
herb. ſalviæ, roriſmarini an. m. j. *rutæ, m. ſ.*
flor. lavendulæ an. p. j.

nuc.

nuc. moſchat. No. ij. *Caryophyll.* ʒj.
Coq. in ſ. q. hydromellis & vini ad lib. j ß.
Colaturæ adde mellis anthoſati ℥ij.
aceti ſcillitici ʒj.
M. *f.* Decoctum, *pro oris collutione.*

Sæpe etiam in ore teneat aquam vitæ, in quo infuſus eſt thymus.

Dum hac deglutiendi difficultate laborat, exhibeantur juſcula carnium & lac: eaque minima quantitate, & ſæpe guttatim & ſenſim, ad tuſſim præcavendam, deglutiat; atque ita ſuſtentetur, donec hic affectus ſublatus vel imminutus fuerit, tumque copioſiora & ſolidiora exhiberi poterunt.

VI.

MEDICATIO JUVENIS,

Ventriculi Cruditate Nidoroſâ LABORANTIS.

Juvenis 26. annorum, temperamento bilioſus, cæpis, alliis, aliiſque calidioribus alimentis diu uſus, & crapulæ ſæpe indulgens, jam à tribus ſeptimanis poſt cibum ſumtum multos emittit ructus nidoroſos & fœtidos; ſæpe etiam ſentit mordicationes circa ventriculum magnam anxietatem parientes, quæ ipſum ad corruptorum ciborum vomitum nonnunquam ſtimulant. A vomitu anxietas levatur. Sæpe etiam magni inteſtinorum audiuntur rugitus. Fæces per alvum rejectæ ſunt fœtidiſſimæ. Magna etiam ſitis ipſum interdum infeſtat.

Afficitur in hoc ægro *ventriculus*, quod ex ructibus, vomitu & mordicationis dolore, circa ventriculi regionem percepto, eſt manifeſtum. Afficiuntur etiam *inteſtina*; quod ex eorum rugitibus, & fœtidiſſimis fœcibus alvo excretis, patet.

Mor-

Morbus, qui eum affligit, est intemperies ventriculi calida & nidorosa, quæ ciborum nidorosam corruptionem, & hinc ructus nidorosos & fœtidos, vomitum, ventriculi mordicationes, & cætera jam commemorata symtomata, inducens, *Dyspepsia, sive Cruditas nidorosa*, nuncupari solet.

Causa, unde hic morbus originem duxit, est cæparum, alliorum, aliorumque calidiorum alimentorum diutinus usus, & frequens illa antecedens crapula; hinc enim calida & nidorosa intemperies ventriculo fuit impressa; nidorosusque & fœtidus chylus in ventriculo à cibo assumto passim gignitur, qui in copiosos vapores conversus, *ructus nidorosos & fœtidos*, per æsophagum erumpentes; & acrimoniâ suâ ventriculum vellicans, *in eo mordicationes, & hinc anxietates ac corruptorum vomitum*; ad intestina verò delatus, ibique in vapores copiosissimos & crassos conversus, *intestinorum rugitus*; in intestinis vero valde putrescens, *fœtidissimarum fæcum alvi excretionem* gignit.

Ex hoc morbo *metus*, ne febres, erysepelata, scabies, nutritionis defectus, vel depravatio, qualis lepra, & alia similia mala oriantur.

Curatio itaque adhibenda: *eaque* in pravorum humorum eductione, ventriculi intemperiei correctione, bonæ temperiei reductione, & ventriculi corroboratione consistet.

Primò itaque præscribatur tale vomitorium:

℞. *croci metallorum gr.* xvj.
vini albi ℥iij.
F. infusio per noctem, & mane colentur per chartam emporeticam. Colaturæ adde aq. cinnamomi ℥ß.
Misce, pro Vomitorio, *mane exhibendo.*

Postea utatur tali apozemate alterante & purgante:

℞. *rad. cichorii* ℥jß. *fœniculi* ℥ß.
fol. absinthii pontici m. ß.

sem.

ſem. 4. frigid. major. an. ʒj.
aniſi, fæniculi an. ʒſ.
tamarindor. ℥j.
decoquantur in aq. decoct. hordei q. ſ. ad lib. j.
addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ ℥jſ.
mirabalanor. citrin. ℥ſ. *cinnamomi* ϑij. *Colaturæ adde ſyr. granator. acidor., de cichor. cum rabarb. an* ℥j.
Miſce, F. Apozema, *pro tribus doſibus, mane jejuno ventriculo ſumendis.*

Poſt purgationem, ad ventriculum corroborandum, conveniunt miva cydoniorum, aut cydoniatum ipſum, ſyr. cydoniorum cum ſyr. de abſinthio pontico mixtus, tabellæ diamargariti frigidi, vel diatrium ſantalῶν, vel etiam diarhodon abbatis, vel ſequens opiata:

℞. *condituræ lactucæ, & cucurbitæ an.* ℥j.
conſervæ acetoſæ, roſar., flor. cichorii, flor. bugloſſ. an. ℥ſ.
ſantali rubri, coralli præparati, & margar. præp. an. ʒſ.
trochiſcor. de ſpodio, ſem. acetoſæ an. ϑj.
cum ſyr. de limonibus. F. opiata, *de qua capiat magnitudinem caſtaneæ, mane & veſperi, ſuperbibendo parum vini dilutiſſimi.*

Exterius ventriculi regio inungatur tali unguento:

℞. *ol. roſar., myrtini, & cydonior., aceto roſ. lotor. an.* ℥j.
ſantalor. omnium, coralli rubri, coriandr. præp., roſar. rubr. an. ʒſ.
gran. kermes, & ſpodii an. ϑj.
ceræ albæ q. ſ. F. Linimentum, *quo tepido, & in vola manus tantum calefacto, inungatur dicta regio bis in die, addendo parum aceti inunctionis tempore.*

In *Cibo* utilis eſt uſus ptiſanæ. *Cibi* condiantur aceto & ſucco citri & aurantiorum acidorum. Utilis eſt caro bubula recens, utile etiam jus pullorum, in quo lactuca & endivia eſt cocta. *Potus* ſit cereviſia tenuis. Quantitas cibi ſit mediocris; panis ſit bene fermentatus, autopyrus.

VII.

MEDICATIO FOEMINÆ,

Cruditate acidâ ventriculi

LABORANTIS.

Fœmina annorum 24, facie admodum pallida, ſedentariam vitam agens, & diu crudioribus alimentis uſa, jam à longo tempore multos ructus, eoſque ſæpe acidos, emittit. Cibus aſſumtus in ventriculo fluctuat, & interdum etiam crudus & ſubacidus vomitu excernitur. Sæpe etiam adeſt tenſio circa os enſiforme, quæ emiſſis ructibus imminuitur. Urina alba & ſine hypoſtaſi obſervatur. Sitis nulla ægram afficit.

Afficitur in hæc ægra *ventriculus*, quod ex copioſis illis ructibus, tenſione circa os enſiforme perceptâ, & ex cibi aſſumti fluctuatione, ac vomitu interdum inſequente, eſt manifeſtum. Afficitur etiam *facies & totum corpus*, quod ex faciei pallore patet.

Morbus, qui illam affligit, eſt intemperies frigida & humida & acida ventriculi, cum pororum ejus aliqua obſtructione conjuncta; quæ depravationem coctionis cibi acidam, & hinc ejus in ventriculo fluctuationem, & multos ructus acidos, ac cibi crudi & ſubacidi vomitum, interdum etiam ventriculi tenſionem producens, *Ventriculi cruditas acida* vulgò dicitur.

Cauſa procatarctica hujus morbi, præter vitam ſedentariam, eſt diuturnus crudorum alimentorum uſus. Ab eo enim, adjuvante vitâ ejus ſedentariâ, frigidi humores in toto corpore geniti, pallorem, in facie præcipue obſervabilem, excitantes, *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò eorum ad ventriculum delata, ibique reſtagnans, & obſtru-

obstructiones aliquas iuducens, *continens* hujus morbi, & symtomatum, est causa,

Hinc enim primò oritur intemperies ventriculi frigida humida & acida, quâ alimenta assumta non satis attenuantur, ac partim in vapores crassos convertuntur; qui per ventriculum, propter crassitiem suam, & ventriculi obstructionem, variè vagantes, *ciborum in eo fluctuationes*; eumque distendentes, *tensiones circa os ensiforme, quæ emissis ructibus imminuuntur*, excitant: partim in acidum & crudum chylum convertuntur; qui *acrimoniâ suâ ventriculum* vellicans, eum ad *crudorum & acidorum ciborum vomitum* stimulat. Porro ex crudo chylo gignitur crudus chymus & sanguis; & hinc *urina est alba & sine hypostasi*: & à redundantia frigidorum humorum circa ventriculi os superius, oritur *sitis absentia*.

Coctio ventriculi læsa quia non potest corrigi a sequentibus, ideo vitium hoc *alia gravia mala*, ut cachexiam, atrophiam, hydropem, *inducere potest*.

Ideoque celeri *Curatione* huic malo est medendum: *quæ* in causarum, & intemperiei, ac obstructionis ablatione, per contraria faciendâ, consistet.

Primò itaque utatur tali apozemate alterante & purgante:

℞. *rad. acori vulgaris, cyperi, calami aromatici an.* ℥j.
cortic. citri siccor., rad. salsæpar. an. ʒvj.
herb. absint. pontici, menthæ, majoran., chamædr., chamæpit. an. m. j.
sem. citri, anisi an. ʒij. *fol. sennæ mund.* ℥j *s.*
carthami contusi ℥*s. agarici trochisc.* ʒiij.
flor. salviæ, anthos, lavendulæ an. p. j.
decoq. in aq. hord. & vini albi sub finem additi part. æqual. ad lib. j*s. In Colatura dissolve syr. de conditura citri* ℥ij.
Misce, F. Apozema, *pro* 5 *dosibus mane sumendis*

Postea utatur hoc condito:

℞. *conserv. anthos, menthæ, cort. citri condit.,*
nuc. mosc. cond. an. ℥ſ.
spec. aromatici ros., cinnamomi an. ʒj.
pellicular. interior. ventricul. gallin. præp. ʒij.
confect. alchermes ʒiij, *sal. absint.* ℈ij.
cum syr. de mentha, q. s. F. Conditum, *de quo sumat castaneæ majoris magnitudinem, mane jejuna, superbibendo haustum vini generosioris.*

Utile etiam erit tale vinum aromaticum:

℞. *cinnamomi electi* ℥ſ. *zinzib.* ʒj. *macis* ʒſ.
nucis moschat. ℈j.
cariophyll., piper. long., gran. paradis. an. ℈j.
Infund. in vini rhenani. lib. ij.
F. Claretum, *cui adde sacchari albi* ℥viij.
& de eo bis in die haustum bibat.

Commodissime etiam in hoc affectu usurpatur hic pulvis:

℞. *sem. anisi, fæniculi, an.* ʒij.
cinnamomi, cardamomi, zinzib. an. ʒj.
spicæ, croci, basilicon., sem. carui, apii, petrosel. an ʒſ.
limaturæ ferri præp. ad pondus omnium, sacchari ℥j.
F. pulvis, *de quo detur* ʒſ, *ante prandium*

Magnopere etiam hic conducit dragma dimidia oculorum cancri pulverisatorum, cum vino sumta, horâ unâ ante pastum.

Regio ventriculi illinatur tali linimento; cui deinde cum gossypio linteum imponatur:

℞. *ol. mastichini, de absinthio an.* ℥ſ.
nucis moschatæ, cariophyllor. an. ʒſ.
spec. aromat. ros. ℈j. *ceræ parum.* F. Linimentum.

In *diæta Aër* sit calidus. *Cibus* offeratur concoctu facilis, ex pullis gallinaceis, agnis; assis potius, quam elixis, & aro-

aromatibus conditus: & ex carnium jusculis: quæ eâ quantitate, quæ commodè digeri potest, exhibeantur. *Vinum* & cerevisia mediocris sumatur pro potu. *Motus* corporis sit moderatus, ut & *somnus*. *Alvus* respondeat arte, vel naturâ. Vitentur *tristes animi affectus*.

VIII.

MEDICATIO PUELLÆ, SINGULTU DIUTINO FATIGATÆ.

PUella, tredecim annos nata, jam ab integro anno laborat singultu admodum molesto; qui quater vel quinquies in die, nunc per quadrantem horæ, nunc per horam dimidiam, durat. Totâ præcedente hyeme hoc symtoma ipsam graviter afflixit; æstate verò ab eo fere fuit immunis; ita ut per longa intervalla interdum tantum rediret. Adventante autumno, rediit cum pristinâ molestiâ; & etiamnum durat.

Afficitur in hac ægra *superius os ventriculi*; quod ex singultivo isto sono est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies viscida & acris superioris oris ventriculi; quæ, nervos sextæ conjugationis ei implantatos vellicando, & influxum vehementem spirituum in illos identidem determinando, motum quendam convulsivum & sonorum stomachi, per vices subinde reiteratum, excitans, *Singultus* dicitur.

Causa hujus morbi *antecedens* est acris & viscidus humor sanguini admixtus; qui certis temporibus in ventriculi os superius effusus, illudque acrimoniâ suâ vellicans, *continens* hujus morbi, & singultuosi symtomatis, est causa.

Humor enim ille, ibi existens, inducit acrem & viscidam

dam intemperiem; quâ fibrillæ nervorum sextæ conjugationis, ventriculo & æsophago implantatæ, ita vellicantur, ut illæ suo motu ad cerebrum delato, tales in cerebri ventriculis subinde aperiant poros, per quos spiritus animales vehementius in os ventriculi superius influentes, fibras expulsioni per superiora faciendæ destinatas ita vicissim contrahant, ut aërem æsophago contentum certis vicibus tanto impetu expellant, ut inde *singultivus sonitus* frequenter oriatur. Discussio autem per motum singultivum isto humore acri, *cessat singultus*; eoque denuo ad æsophagum delato, *fit singultûs reiteratio.*

Infestavit molestum hoc symtoma puellam totâ hyeme; quia frigus hyemale materiam illam acrem in corpore retinuit: & quia calor æstivus eam dissipavit, ventriculique calorem auxit, ideoque *totâ fere æstate inducias fecit. Autumnali* verò *frigore* jam redeunte, materiamque acrem in corpore retinente, *rediit singultus*, magnâ frequentique molestiâ puellam lassans.

Quia hoc malum tam diu duravit, *metus* est, ne porro pertinacius sit futurum.

Curatio consistet in materiæ acris & viscidæ evacuatione, & intemperiei correctione

Primò itaque sumat hunc pulverem purgantem:

℞. *cremor. tartari* ℈j.
scammonii opt. gr. xij. *Misce.* F. Pulvis,
cum pauxillo cerevisiæ calidæ exhibendus, & bis vel semel in septimana reiterandus.

Post purgationem, utatur cerevisiâ, in qua sequens puppa fuerit decocta & macerata:

℞. *sem. anethi, carui, portulacæ, papaveris albi an.* ʒij.
contusa includantur linteo & F. Puppa, *quæ decoquatur & maceretur in cerevisiæ tenuioris lib.* j. *de qua subinde haustus bibatur.*

Si

Si malam perseveret, utatur hoc vomitorio:

℞. *aq., benedictæ Rulandi, sive vini emetici antimoniati* ℥j.
Sumat calidè.

A vomitu utatur in contumaci malo his pilulis:

℞. *pil. de cynogloſſa* ℈ij.
philonii rom. ℈j. *Miſce. f.* Pilulæ
N° xiij, *deutur tres ſub noctem.*

In victus ratione, Aer sit temperatus; *Cibus* eupeptus; *Potus* ex cereviſia tenui & amigdalatis.

IX.

MEDICATIO MULIERIS, DIUTURNO VOMITU LABORANTIS.

Fœmina quædam 24 annorum, jam à triennio laborat moleſto vomitu; quo poſt ſingulos paſtus omnem fere cibum & potum aſſumtum, pituitâ viſcidâ permixtum, evomit: unde jam ad ſummam maciem eſt perducta. Adeſt lumborum dolor, ad hypochondrium ſiniſtrum ſeſe extendens, & febris lenta.

Afficitur in hac ægra *ventriculus*, quod ex diuturno illo patet vomitu: item *lien*, quod ex dolore circa lumbos percepto, & ad ſiniſtrum hypochondrium ſeſe extendente: item *cor*, quod ex febri lentâ innoteſcit.

Morbus, qui ægram infeſtat, eſt ventriculi & lienis intemperies acris & viſcida, quæ, jam per triennium alimentorum, per ſuperiora, rejectionem excitans, *Vomitus diuturnus* à Medicis appellari ſolet,

Cauſa antecedens hujus morbi eſt colluvies humorum acrium & viſcidorum, in toto corpore, & præſertim in liene & vicinis locis exiſtens; pars verò ejus, in ventriculum ſeſe effundens, *continens* hujus pertinacis morbi & ſymtomatum eſt cauſa. Nam

Nam acris & viſcida illa materies, in ventriculum effuſa, efficit, ut alimenta aſſumta mox in acrem & viſcidam materiam à ventriculo convertantur; qua nervus ſextæ conjugationis, ventriculo implantatus, ita movetur, ut ex illo motu ad cerebrum delato, iſti in illo vehementius aperiantur pori, qui in fibras ventriculi, obliquè aſcendentes, deſinunt. Per illos itaque ita apertos, copioſiores in ventriculum influentes ſpiritus animales, illum, à cibo aſſumto irritatum, ita verſus ſuperiora movent, ut *quicquid in illo continetur, paulò poſt ejus aſſumtionem, vomitu rejiciatur.* Et quia, ob celerem illam ac frequentem alimentorum corruptionem & rejectionem, toti corpori juſtum nutrimentum ſubducitur; *hinc oritur illa macies, quæ totum corpus hujus ægræ occupat.* Et quia pars iſtius corruptæ materiç ad cor fertur, & malignitatem febrilem habet, hinc *lenta illa febricula noſtram ægram infeſtat.*

Morbus hic, ob diuturnitatem, & corporis conſumtionem, valde periculoſus eſt.

Curatio conſiſtet in cauſæ antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei, per contraria, correctione.

Primò itaque educatur ſanguis ex brachio dextro ad uncias quatuor vel quinque.

Deinde per quindecim dies tali utatur juſculo:

℞. *rad. cichorii, aſparagi, ruſci, bugloſſi an.* ℥ſ.
fol. agrimoniæ, ceterach., capill. veneris, pimpinellæ an. M. ſ.
Coq. cum pullo gallinaceo. In Colatura diſſolve cremor. tartari ʒj. F. Juſculum, *mane ſumendum, & per ſexdecim dies continuandum.*

In quarto quoquo juſculo infunde per noctem fol. ſennæ ʒiij, & colatura exhibeatur mane cum regimine.

Poſt uſum juſculorum tali utatur ſemicupio per triduum.

℞. *hor-*

℞. *hordei integri, amigdalar. dulc. an. lib.* j.
contundantur & decoquantur in aq. comm. q. ſ. pro
Semicupio, *quod ingrediatur tepidum bis in die, mane ſc. & ſub horam quartam pomeridianam.*

Poſtea utatur his pilulis per dies quindecim:

℞. *chalibis cum ſulphure præparati* ʒj.
aloes optim., fol. ſennæ mund., rabarbari electi, agarici trochiſc. an. ʒij.
ſpec. electuarii diarrhod. abbatis ʒſ.
croci oriental. ∋ſ.
cum oxymel. ſimpl. F. Maſſa pilularum,
de qua capiat dragm. j. *ſingulis diebus mane tribus horis ante paſtum, & poſtea deambulet.*

Poſt uſum pilularum reiteretur ſemicupium per quatriduum vel ſextiduum.

Toto curationis tempore *Cibus* ſit euchymus & eupeptus; *Motus & Somnus* moderatus; vitet *Triſtitiam.*

X.

MEDICATIO JUVENIS, VOMITU SANGUINIS LABORANTIS.

Juvenis 28 *annorum, temperamento biliosus, vinis calidioribus delectari ſolitus, ſubitò incidit in magnam cardialgiam, qua in deliquium animi eſt prolapſus. Illud paulò poſt ſecutus eſt copioſiſſimus ſanguinis concreti vomitus, ejuſdemque, ſed valde nigri, per alvum dejectio.* Mox *ad ſe quidem rediit; ſed valde debilitatus pallet, & ſanguinolentæ excretiones etiamnum perſeverant. Abhinc biennium, ſimilis excretio ſanguinis, ipſum invaſit.*

Afficitur in hoc ægro *ventriculus & inteſtina*, atque po-

tissimum *secundum vasa sua & cavitatem*, quod ex sanguinis vomitu, & per alvum excretione, satis est manifestum. Afficitur item *cor*, quod ex animi deliquio; & *totum corpus* quod ex pallore patet.

Morbus, quo hic æger affligitur, est vaforum quorundam in ventriculo & intestinis apertio; quæ sanguinem in ea effundens, eaque ad ejus effusi excretionem per superiora & inferiora faciendam stimulans, à potiore symtomate, *Vomitus sanguinis* vulgò solet appellari.

Causa procatarctica hujus morbi est usus copiosior vini calidioris, quo noster æger valde delectatur. Inde enim adjuvante temperamento ejus bilioso, & ætate juvenili, magna copia calidorum & acrium humorum, in ejus corpore genita, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus crassioribus suis partibus in vasis ventriculi & intestinorum hærens, ibique lapsu temporis majorem acrimoniam adipiscens, ac effervescens, vascula quædam ventriculi & intestinorum erosit. Atque ita *continens* hujus morbi & symtomatum ejus est causa.

Hinc enim factum est, ut sanguis copiosissimus, per vascula aperta, se in ventriculum & intestina effuderit, ibique, dissipatis spiritibus & debito ejus motu circulationis cessante, coagulatus concreverit.

Sanguis autem ibi concretus, cum, tum copiâ, tum qualitate acri, tum aliâ pravitate ex morâ ibi acquisita, ventriculum & intestina vellicaret, peperit primum *cardialgiam* sive ventriculi dolorem; & per sympathiam, partim cordis vasa constringendo *lipothymiam*, partim mediantibus nervis sextæ conjungationis poros cerebri, qui in ventriculi & intestinorum fibras oblique ascendentes & descendentes desinunt, aperiendo, tantum talemque spirituum animalium in illas fibras influxum excitavit, ut *sanguis concretus per vomitum & alvi fecessum*, ex isto spirituum

tuum vehementi influxu, quam *copiosissimè fuerit excretus*, & *etiamnum excernatur*.

Malum hoc est *periculosissimum*; cum ægri præ sanguinis effusi copiâ sæpe subitò exstinguantur; vel in hydropem lethalem postea incidant.

Curatio itaque mox aggredienda. *Eaque* consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, vasorumque clausione; nec non in sanguinis, in ventriculo & intestinis existentis, eductione.

Præmisso itaque clystere detergente, aperiatur vena in brachio dextro, & educatur sanguis ad ℥iiij, & postea exhibeatur talis haustus vasa aperta claudens:

℞. *trochiscor. de carabe, de terra sigillata an.* ʒß.
aq. plantaginis, portulacæ an. ℥j ß. Misce.

Sextâ, à venæ sectione priore, horâ, sanguis rursus educatur è brachio, pro ratione virium ad ℥vj.

Postridie purgetur tali haustu purgante; isque postea singulis mensibus reiteretur:

℞. *rabarbari electi* ℈iv. *myrobalan. citr.* ʒj.
pulverisentur & irrorentur vino rubro adstringente.
Postea infundantur in aq. plantag. q. s. Colaturæ adde syr. ros. sol. ℥j ß. *Misc. f.* Haustus.

Et porro utatur per vices de hoc electuario:

℞. *conserv. rosar. rubr.* ℥ij.
fl. cichorii, tamaricis, bugloss., borrag.,
cort. citri condit. an. ℥j.
rad. cichor. condit.
trochisc. de rabarb. ʒs.
ras. eboris ℈ij. *coralli rubr.* ʒj.
cineris pellicul. ventriculi & intestinorum gallinæ ℈j.
spec. diatrium santalor. ʒs.
cum syr. de cichorio q. s. F. Mistura in modum electuarii, *de quo sumat æger subinde castaneæ majoris*

magnitudinem.

Pulvere ſequente utatur octavo quoquo die ſemel, &, ſi paroxyſmus ſuperveniat, bis vel ter:

℞. *ſuccini puri* ʒj *coralli rubri* ʒjſ.
balauſtior. ʒſ. *ſem. hyoſcyami albi* ʒj.
ſem. plantag. ʒſ.
F. Pulvis, *cui adde ſacchari roſ. tab. æqualem quantitatem. Capiat de eo* ʒij *pro doſi, cum vino rubro, vel lacte uſtulato.*

Magnopere etiam conducet hæmorrhoidum, per ſanguiſugas, cum arundinis cannâ adhibitas, apertio.

In *diæta Aër* ſit temperatus. *Cibi* ſint adſtringentes, emplaſticâ vi præditi, ex hordeo, amigdalis, oriza, ovis induratis; & juſculis pullorum cum oxalide & portulaca, pedibus & inteſtinis vervecum, hædorum; in principio menſæ ſumenda pyra, mala cydonia, ceraſa acida.

Vitentur acria, ſalſa, piperata, frixa. Parcè ſe nutrire debet æger. *Potus* ſit parcus, iſque ex cereviſia mediocri. *Somnus* ſit moderatus. Omnis *Motus* corporis vehementior fugiendus, ut & *Ira.*

XI.

MEDICATIO VIRI,

Imbecillitate hepatis ſeroſâ LABORANTIS.

Vir triginta quatuor annorum, poſt longam & largam narium hæmorrhagiam, cibos frigidos, & aquæ copioſæ potum, totum corpus tactu frigidum ac ſubtumidum, ac faciem albidam, habet. Cruda per alvum excernit, eaque ſæpe valde fœtida. Interdum etiam copioſè & frequenter evacuat materiam nigram inſtar ſanguinis coagulati: interdum materiam liquidam inſtar

instar aquæ, in qua carnes mactatorum animalium sunt lotæ. Nonnunquam ipsum infestat febricula languida & lenta.

Afficitur in hoc ægro totus *habitus corporis*; quod ex ejus frigore & tumore est manifestum. Item *intestina* & *hepar*; quod ex fœtidis & sanguinolentis excrementis patet. Nec non *cor*; quod lenta illa febricula probat.

Morbus, quo affligitur æger, est intemperies frigida & serosa hepatis, qua illud ita debilitatum est, ut, pro bono sanguine & chymo, serosum & corpori alendo ineptum gignat.

Causa procatactica hujus morbi fuit larga & longa illa hæmorrhagia narium; item usus ciborum istorum frigidorum, & potus aquæ copiosæ. Hinc enim ventriculus & intestina ex frigore fuerunt debilitata, quo chylus crudus fuit genitus; qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Is verò ad hepar delatus, corruptelamque contrahens, intemperiem hepati frigidam & tantam debilitatem conciliavit, ut pro bono chymo serosus & aqueus fuerit genitus. Qui deinde ad cor delatus, ac ibidem in sanguinem serosum conversus, atque inde in varias partes propulsus, varia hujus morbi producit symtomata.

Nam sanguis ille in habitum corporis delatus refrigerat & humectat ita sua frigiditate & aquositate totum habitum corporis, ut *ille ad tactum frigidus & tumidus, facies-que pallida appareat.* Ad intestina verò per arterias mesaraicas propulsus, interdum emittit ille excrementitias quasdam partes non satis coctas & fœtidas in intestina; quæ illis ad excretionem infernam irritata, faciunt *crudorum atque fœtidorum excrementorum evacuationem.* Interdum verò sanguis ille vitiosus talis est, ut modo crassiores, modo seriosiores quædam ejus partes, per arteriarum mesaraicarum poros, nimis apertos, vel erosos, in intestina propellantur, & quando crassiores eo propelluntur, tunc illæ

ibidem coagulatæ, & posteâ excretæ, faciunt *excretionem sanguinis nigri & coagulati* : ubi vero serosiores ibi copiosius in intestina effluunt, eaque suâ acrimoniâ ad excretionem copiosam & frequentem irritant, fit *excretio materiæ liquidæ instar aquæ, in qua carnes sanguinolentæ fuerunt lotæ.* Denique ubi materia illa corrumpitur, putredinemque & febrilem malignitatem contrahit, ac ad cor defertur, producit *febriculam illam lentam*, quâ æger noster sæpe infestatur.

Existimo autem *sanguinem per arterias mesaraicas à corde in intestina propelli*; quia venæ mesaraicæ nihil aut parum ad intestina devehunt, nec ob valvularum situm eò quicquam, quod sit copiosum, devehere possunt.

Hic *morbus* valde est periculosus: metus enim est, ne hydropem, vel totius corporis consumtionem inducat.

Curatio itaque sedulo erit aggredienda; *eaque* in humorum pravorum evacuatione, & intemperiei affectorum viscerum, & sanguinis correctione, consistet.

Primò itaque purgetur æger tali hausto:

℞. *fol. sennæ* ʒvj.
agarici ʒij *s. sem. anisi, fæniculi an.* ʒj.
fol. absinthii, marrubii, centaur. min.
capill. vener., schænanthi an. m. s.
decoq. in aq. com. q. s. pro ʒviij.
colaturæ adde syr. de eupatorio ʒj *s.* F. Potio, *pro duabus dosibus, alternis diebus mane sumendis.*

Postea utatur de hoc apozemate:

℞. *rad. fæniculi, petroselini, asparagi an.* ʒj.
herb. capill. vener., marrubii, absint., centaur. min. an. m j.
schænanthi, rad. cyperi an. ʒij.
sem. anisi, fæniculi, apii, cumin. an. ʒij.
Decoquantur in æqualibus part. aq. & vini ad lib. j *s.*
in Colatura dissolve syr. byssantini. ʒij.

Misce·

Miſce F. Apozema, *de quo bis in die ſumat hauſtum* ℥iiij; *eoque exhauſto, idem vel ſimile decoctum repetatur.*

Utatur etiam ſubinde de hoc condito:

℞. *conſerv. roſar. rubr.* ℥j.
abſinthii Rom. & vulgar. an. ʒij.
cort. citri conditi ℥ſ.
ſpec. diarhod. abbatis, diagalangæ an. ʒſ.
trochiſc. de abſinthio ʒj.
uvar. paſſ. ab arill. purg. ℥ſ.
ſem. aniſi drag. ſ. ſyr. de eupatorio. q. ſ.
F. Conditum, *de quo ſumat ante ſingulos paſtus magnitudinem caſtaneæ.*

Foris foveatur hypochondrium dextrum & abdomen hoc fomento:

℞. *fol. agrimoniæ, marrubii, abſinthii an m.* j.
flor. camomill. p. j. *ſpicæ nardi, ſchænanthi an. drag.* ij.
roriſmarini. m. ſ.
Includantur ſacculo, qui decoquatur in æq. porc. vini & aqu. Pro Fomento.

Poſt fotum adhibeatur hoc unguentum loco affecto:

℞. *olei nardini, abſinthii, maſtichini an.* ℥ſ.
ol. roſ. drag. ij.
ſpicæ nardi, cariophyll., ſchænanthi an ʒſ.
ſucci eupatorii, aceti, & ceræ parum,
F. Unguentum.

In *victus ratione* præſcribatur *Aër* calidus, *Cibus* ſit calidus, coctu facilis, & boni nutrimenti, ex pane bene fermentato, carnibus vervecinis, aromatibus mediocriter conditus. Utatur etiam ſalvia, mentha, petroſelino, naſturtio, ſemine petroſelini, aniſi, uvis paſſis. *Potus* ſit cereviſia abſynthites, vinum mediocrium virium. *Exercitium* ſit moderatum. *Somnus* mediocris. *Animi pathematis* non moleſtetur.

MEDI-

XII.

MEDICATIO PUELLÆ,

Imbecillitate pituitosâ hepatis LABORANTIS.

PUella octodecim annorum, pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, habet faciem, labia, & omnia reliqua membra pallore squallentia, genas ac pedes tumentes. Urina est clara ac alba. Gravitas & tensio, cum dolore obtuso, dextrum occupat hypochondrium. Dolorque augetur mox à cibo, præsertim ubi illa paulo majore corporis motu sese exercet. Spiritum impeditè ducit, ubi scalas vel alia acclivia loca ascendit. Pedes sub vesperam magis tument. In ore saliva scatet. Non sitit.

Afficitur potissimum in hac ægra *hepar*; quod constat ex dolore, in dextro hypochondrio percepto. Afficiuntur etiam, *facies, labia, pedes, & reliqua corporis membra*, ut ex eorum tumore & pallore est manifestum.

Morbus, qui illam affligit, est hepatis & aliorum vicinorum viscerum, chymosi inservientium, intemperies pituitosa, cum angustiis eorum conjuncta, ac chymoseos debilitatem inducens, quæ *Debilitas hepatis pituitosa* dicitur.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus usus alimenti crassi & humidi. Quo ventriculus, hepar, & aliæ partes, chylosi & chymosi inservientes, fuerunt refrigeratæ, atque hinc natus est chylus & chymus crassus & frigidus ac tenax, qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Ab his deinde ubi hepar ulterius est refrigeratum & debilitatum, illa *continentem* hujus morbi & symtomatum constituerunt causam.

Hinc enim factum est, ut sanguis genitus sit in corde pitui-

pituitosus, aqueus, frigidus, pallidus, & nonnullis partibus crassus, qui in faciem labia & reliqua corporis membra ab illo propulsus, *ea squallido pallore & tumore* affecit. Renesque porrò hinc obstructi & refrigerati faciunt, ut nil nisi id, quod tenue & aquosum, vi renum à reliquo sanguine separari possit; atque hinc *urina est alba & clara.* Crassus vero chymus, cum ob cruditatem & visciditatem suam per poros angustos hepatis satis commodè transire in venam cavam non possit, ibi magnam partem manet, *viscusque illud pondere gravat, & copiâ in hypochondrio dextro tendit: dolorque gravativus & tensivus, post cibum assumtum & post vehementiorem corporis motum, augetur*; quia assumto cibo & corpore moto nova & copiosior materia, per hepatis angustias transcolanda, ad illud viscus fertur, & per illud jam angustatum viam affectat. Et quia per omnem vehementiorem corporis motum, ac præsertim in scalis ascendendis factum, materia in hepate & vicinis diaphragmati partibus, atque in ipso pulmone existens, rarefit, eaque rarefacta valde premit diaphragma, & angustat bronchia pulmonum, hinc *ægræ acclivia loca ascendenti difficilem respirationem conciliat.* Et denique quia humores crassi & ponderosi toto diurno tempore, quo ægra corpus habet erectum, copiosius ad pedes descendunt, iique ex iis cum reliquo sanguine perpetuò per sanguinis circulationem difficulter ad partes superiores ascendere possunt, hinc oritur *major, sub vespertinum tempus, crurum tumor.*

Hic Morbus minatur hydropem; atque ideo fidelem desiderat *curationem.*

Quæ consistet in causarum remotione, intemperiei per contraria correctione, & angustiarum per aperientia & incidentia ablatione.

Primò itaque utatur tali apozemate:

℞. *rad. petroſelini, fæniculi, aſparagi, apii, graminis, an.* ℥j
herb. origani, roriſmarini, artemiſiæ, chamæd. an. m. j.
centaurei, cuſcutæ, agrimoniæ, chamæpyt.,
lupuli, fumariæ an. m. ſ.
ſem. fæniculi, dauci, paſtinacæ an. ʒj.
uvar. paſſ. ab arill. mund. ℥j.
glycyrrizæ raſæ ʒiij.
fol. ſennæ ℥j. *rabarb.* ʒj. *agarici* ʒj ß.
ſchænanthi, cyperi, calami aromat., zinzib. albi an. ʒß.
Coquantur in aq. communi ad lib. j. *Colaturæ adde ſyr. de*
cichor. cum rabarb. ℥j ß. F. Apozema,
pro iiij. *vel* v. *doſibus, jejuno ventriculo ſumendis.*

Subinde etiam purgari poterit his pilulis:

℞. *pilular. de hiera, aromatic. an.* ə*ſ.*
ſcammonii gr. ix. *cum ſyr. roſ. F. pilulæ* No. v.
mane jejuno ventriculo dandæ.

Utatur etiam decocto filicis, cum oxymellite in eo diſſoluto.

Et præſcribatur hoc conditum:

℞. *conſerv. capill. veneris, flor. betonicæ an.* ℥ſ.
trochiſc. de eupatorio, de rabarb. an. ʒſ.
ſpec. diarhod. abbatis, diatrium ſantalini an. ʒj.
ſyr. byſantin., de eupatorio an. q. ſ. F. Conditum, *de quo*
ſumat magnitudinem nucis avellanæ, paulo ante cibum, bis
in die.

Hypochondrium dextrum tali inungatur unguento:

℞. *olei nardini, amigdalar. amarar. an.* ℥jſ.
ſucci apii ℥ſ. *decoq. ad ſucci conſumt.*
addendo deinde ſpicæ nardi & celticæ,
ſchænanthi, aſar. an. ʒj.
ſem. apii, petroſolini an. ʒſ.
cyperi, roſ. an. ə*ſ.* Miſce, F. Unguentum, *quo dextrum*
hypochondrium mane & veſperi inungatur.

In

In *victus ratione*, *Aër* sit calidus, purus, tranquillus. *Cibus* sit attenuans & calidus, ex pane bene formentato, carnibus vervecinis, gallinaceis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. Vitet lacticinia. *Potus* sit vinum & cerevisia mediocrium virium. *Corpus* ante cibum mediocriter exerceatur. *Somnus* sit mediocris. *Vitet* tristitiam. Gaudio det operam. *Alvus* respondeat naturâ vel arte.

XIII.

MEDICATIO JUVENIS, HYPOCHONDRIACI.

JUvenis viginti septem annorum, temperamento melancholicus, jam ab annis tribus, post variam & negligentiorem diætam, laborat ventriculi cruditate & dolore; quibus interdum evomit biliosa, interdum acida & acerba, interdum multam pituitam, sed plerumque varios pravos humores. Dolor ventriculi, à vomitu & coctione assumtorum, sedatur; qui cibis rursus ingestis redit. Alvus plerumque est adstricta. Multi *adsunt ructus & rugitus in hypochondriis*: *nec non æstus, qui à cibo, & potu, præsertim calidiore, ingravescit; item metus & anxietas. Sæpe cor ipsi tam vehementi* & *inordinato motu palpitat, ut adstantes cordis pulsum audire queant. Urina modò tenuis est, modò crassa, & turbida, cum multo crasso & rubicundo sedimento. Adest sæpe febris ephemera, quæ vomitu vel sudore cessat.*

Partes affectæ hic sunt variæ. *Cerebrum*, ut ex metu & anxietate: *cor*, ut ex palpitatione & febre ephemera: *ventriculus*, ut ex vomitu & dolore: *hepar*, *lien*, *& pancreas*, uti ex rugitibus & æstu in hypochondriis: denique *intestina*, uti ex alvo astrictiore constat.

Morbus præcipuus, quo æger noſter laborat, eſt intemperies ventriculi, lienis, pancreatis, & vicinorum vaſorum varia; quæ, colluvie variorum humorum, circa viſcera hypochondriorum collectâ, dolorem ventriculi, vomitum, cordis palpitationem, metum & anxietatem, aliaque multa ſymtomata producens, *Affectio Hypochondriaca* vulgò appellatur.

Cauſa hujus morbi *prima* fuit negligentior & varia illa diæta, quâ principia quædam variæ intemperiei & obſtructionum, in ventriculo & viſceribus vicinis, ſunt genita; quibus primum exigua quædam colluvies variæ cacochymiæ circa illa viſcera fuit congregata; cumque ea inde nec per artificiales nec naturales evacuationes & alterationes tolleretur, intemperies, obſtructio, & cacochymia ibi ita fuerunt auctæ, ut graviſſima illa ſymtomata, jam enarrata, quotidie maximâ cum moleſtiâ ægrum noſtrum infeſtent.

Hinc enim primum moleſta eſt *cruditas* illa acida, acerba, bilioſa, pituitoſa, *ventriculum*, acrimoniâ rodente, *dolore afficiens*, & irritatione ſua *vomitum variorum humorum*, prout nunc hic, nunc ille ſeorſim, nunc multi & varii ſimul exitum in ventriculum inveniunt, per vices excitans, & *dolorem ventriculi ſua evacuatione levans, novâque alimentorum ingeſtione renovans*.

Et quia halitus, qui inter coquendum in ventriculo & inteſtinis ex alimentis excitantur, ob cruditatem ſunt craſſiores, quam ut commodè & ſatis copiosè diſſipentur, & pori ventriculi & inteſtinorum, propter obſtructiones ſunt anguſtiores & pauciores, quam ut per eos conveniente copiâ emittantur; hinc illi è ventriculo per æſophagum copioſè ſimul erumpentes, pariunt *ructus*, & inter inteſtina & *hypochondriorum* viſcera vagantes, varios in iis partibus exhibent *rugitus*.

Æſtus

Æstus ibidem percipitur, à bilioſis,& acribus humoribus, qui ibi ab hac cruditate geniti, à copioſo ingeſto potu, inſtar olei vitrioli ab addito oleo tartari, vel calcis vivæ ab infuſa aqua, vehementius incaleſcentis, vehementer efferveſcunt.

Et quia nonnunquam ſpirituoſiores quædam chyli partes putredinem concipiunt,quâ illæ ad cor delatæ febrilem poſſunt facere efferveſcentiam:hinc oritur in hoc ægro interdum *febris ephemera*; quæ, diſſipatis iſtis per ſudores vel vomitum ſpiritibus, *intra paucas horas finitur*.

Ab acerbis vero & adſtringentibus humoribus, hîc genitis, ita *adſtringuntur inteſtina*,ut illa.juſtam irritationem à fæcibus iis contentis & eò impellendis accipere nequeuntia, alvum plerumque, tanquam à meſpilis, corticibus granatorum, aliiſque ſimilibus conſtrictam, adſtrictam faciant.

Urina interdum eſt tenuis, ubi craſſiores ſeri partes,propter obſtructiones, in corpore retinentur; obſtructionibus vero illis interdum apertis, & craſſioribus ſeri partibus cum ſero per renes egredientibus,*evadunt urinæ craſſæ,craſſumque & copioſum ſedimentum habent*.

Anxietas & metus torquet interdum ægrum;quia craſſi illi, & acerbi humores, in cerebrum delati,ſuo craſſo & acerbo temperamento tam triſtes & anxias cogitationes excitant, *ut etiam à tutiſſimis ſibi malè metuat æger*.

Et quia humores hic geniti valdè ſunt heterogenei & inæquales, acres & pungentes, idcirco ad cor delati ſtimulant ita ejus fibras, ut ſpiritus valdè fortiter, ſed inordinatè tamen, ex cerebro in eas fluentes, tam inordinatum & vehementem cordis motum excitent, ut ſæpe ejus *palpitationis ſonus ab adſtantibus audiri poſſit*. Hanc cordis palpitationem juvat ſanguinis hujus inæqualis in cor ingreſſus, valde inæqualem & inordinatam efferveſcentiam,

tiam, ob ſuas craſſas & heterogenas partes, in corde excitans.

Neque putandum eſt hanc cordis palpitationem adeo vehementem à ſolâ ſanguinis vehementiore in cordis ventriculis efferveſcentiâ, non autem à ſpirituum in fibras influxu oriri: cum efferveſcentia illa magnum & ingentem calorem in toto corpore deberet excitare; qui tamen hic non obſervatur.

Morbus hic *difficilis erit ſanatu*: quia varias habet intemperies, imo contrarias; & magnas obſtructiones; item humores varios & pertinaces.

Curatio conſiſtet in humorum pravorum alteratione, evacuatione, obſtructionum ablatione, & intemperiei partium, per contraria, correctione.

Primò itaque præſcribatur tale, poſt venam in brachio ſiniſtro ſectam, Apozema:

℞. *rad. cichorii, polypod. quercini. an.* ℥j.
aſparagi, fœniculi, an. drag. vj.
hellebori nigri drag. iij.
cort. radic. cappar., tamariſci, ebuli. an. drag. ij.
herb. carduibenedicti, fumariæ. an. m. j*ſ.*
cichorii, acetoſæ, chamædryos, ſcolopendrii, an. m. j.
ſummitat. centaurei minor. lupulorum.
abſynthii rom., tamariſci an. ℥j. *ſ.*
Sem. 4 frigidor. major an. ℥j *ſ.*
cardui benedict., aniſi, fœniculi, dauci an. ℥ij.
tamarindorum ℥j.

Coquant. ex aq. hordei ad lib. j*ſ. Colaturæ infunde per noctem fol. ſennæ* ℥j. *agarici, rhabarbari, an.* ℥ij. *cinnamomi, macis, an.* ℈j. *mane forti expreſſioni adde ſyr. de cichorio cum rheo* ℥ij.

F. *Apozema*, de quo ſumat quotidie ℥iiij.

Corpore hoc modo purgato, utatur quotidie dragmâ harum pilularum, ad obſtructiones tollendas & viſcera alteran-

teranda & purganda:

℞. *chalybis cum ſulph. præparat.* ℥j.
ſennæ mund., rabarb., agarici recent. trochiſc. an. ʒj.
pulver. el. diarhod. abbatis. ʒſ.
oxymell. ſ. q. ſ.

Fiat *Maſſa* pilularum, de qua ſumat ʒj. tribus horis ante paſtum: & inter horum uſum hypochondria foveantur decocto emolliente & aperiente.

Adverſus cordis palpitationes & reliquos affectus, hac utatur Opiata corroborante:

℞. *conſerv. meliſſæ, flor. anthos, borragin., & cariophylli noſtratis an.* ℥j.
confection. alkermes, theriacæ veteris an. ʒj.
pulv. elect. diambræ, diamuſ. dulc., diarhon. Abbatis an. ʒj
oculor. cancri præp. ℈iv.
cum ſyr. de cortice citri,

F. *Opiata*, de qua capiat quotidie caſtaneæ magnitudinem, bis in die aut ſæpius.

Geſtet etiam hunc ſacculum cordialem in cordis regione:

℞. *roſar. rubr., flor. roriſmarini, an.* ʒj.
flor. lavendul. ʒj.
ſem. angelicæ, cort. citri, gariophyllor., cinnamomi, macis an. ʒſ. *croci* ℈j. *moſchi, ambræ an. gr.* vj.
cum ſindone rubra,

F. *Sacculus*, qui irroratus aquâ roſaceâ calidâ applicetur tepidè.

In *diæta Aër* ſit temperatus. *Cibus* eupeptus & parcior, ex carnibus avium & vervecum elixis, & eorum jure, alterato borragine & bugloſſâ: nec non ex piſcibus ſaxatilibus: item pomis, prunis, uvis paſſis, endiviâ, & cichoreo. *Cereviſia*, ut & *Vinum*, ſit tenuis, & mediocrium virium. *Fugiat* multum aceti uſum. *Somnus* ſit largus. *Exercitium* moderatum. *Curæ* & ſollicitudines vitentur. *Det* operam hilaritati.

MEDI-

XIV.

MEDICATIO VIRI,

Inflammatione Hepatis

LABORANTIS.

Vir 36. annorum crapulæ passim indulgens, incidit in dolorem gravativum, hypochondrium dextrum, cum inani tussicula, & respirationis difficultate, occupantem. Dolor ab hypochondrio ad claviculam sese extendit. Facilius æger supinus, quam in latere jacet. Pulsus est valde celer ac creber & inæqualis. Lingua arida rubensque. Sitis adest inexhausta, cum nauseâ, cibi fastidio, & singultu. Urina observatur rubicunda.

Afficitur in hoc ægro *hepar*; quod ex dolore gravi, hypochondrium dextrum occupante, & tussicula inani, ac respirationis difficultate, nec non nauseâ, cibi fastidio, & singultu comitatâ, potissimum patet. Afficitur etiam *cor*, quod ex pulsus illis vitiis; item ex siti inexhausta, & lingua arida, & urina rubicunda, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est *Inflammatio hepatis*: eaque ex dolore hypochondrii dextri, siti perpetua, febri continua, aliisque symptomatis in historia commemoratis, innotescit.

Causa procatarctica hujus morbi est crapula, cui æger passim indulsit. Hinc enim multi sanguinei & fervidiores in corpore ejus geniti humores *antecedentem* huic morbo præbuere causam. Pars vero eorum sese extra vasa in substantiam hepatis effundens, ibique putrescens, & vehementer incalescens, *continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

A copiâ enim istorum humorum, hepar occupantium, & in

& in eo vehementer incalescentium, oritur in eo tumor inflammationis, indeque *gravis sive gravativus hypochondrii dolor*; qui, propter pondus visceris, & viciniam, connexionemque cum diaphragmate & pleurâ, *ad claviculam sese extendit, & respirationis difficultatem inducit* : & quia ardor hepatis & ejus humores per evaporationem, propter viciniam, ventriculo & pulmonibus perpetuò & copiosè communicantur, hinc oritur in nostro ægro *singultus, nausea, & cibi fastidium, & sitis inexhausta, ac inanis tussicula. Parte verò* istorum accensorum humorum perpetuò ab hepate ad cor per venam cavam ascendente, vehementiusque ac malignius ibi incalescente, & in os ex pulmonibus exhalante Hinc in nostro ægro, *febris est continua symptomatica*, sese per pulsum celerem & crebrum & inæqualem, & sitim illam inexhaustam, nec non linguâ aridâ rubenteque se prodens.

Morbus hic, propter magnitudinem suam, ac partem affectam, graviaque, quæ inducit, symptomata; ac etiam ob metum atrophiæ, hydropis, aliorumque gravissimorum morborum, est periculosissimus.

Curatio itaque diligens adhibenda est: *eaque* in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, per contraria ablatione, consistet.

Primò itaque mox vena in dextro brachio aperiatur, sanguisque ad ℥viij vel x, pro ratione virium, educatur. Venæ sectioque reiterari poterit.

Sequenti die tali lenitivo medicamento purgetur:

℞. *Cassiæ recens extractæ* ℥j.
rhabarb. pulverisati ℈j.
aq. cichorei q. s. m. f. Haustus *brevis*.

Expurgato corpore, inungatur regio hepatis unguento santalino, & pannum lineum eodem unguento inunctum apponatur, citra calefactionem.

Interea etiam sequenti utatur decocto:

℞. *rad. cichor., endiv., an.* ℥j.
taraxaci, petroselini, fœnicul. an. ℥ſ.
herb. endiv. cichor. taraxaci, acetos., violar.,
lactuc. an. m. j. *fumariæ, agrimoniæ, capill. ven.,*
borrag., bugloss., chamæpitis, an. m. ſ.
sem. 4. frigid. major. an. ʒij. *anisi* ʒj.
Tamarind. ℥j. *pruna. acid.* No. vj.
uvar. pass. ʒx. *hord. mund. p.* j. *liquirit. rasæ* ʒiij.
Decoq. in aq. com. ad ℔j ſ. *Colat. adde*
syr. de limonib. ʒij. F. Apozema, *de quo sumat æger*
subinde haustum, ter quaterve in die.

Morbo magis inclinante, pro dolore utatur sequenti epithemate, regioni hepatis pannis lineis adhibendo:

℞. *herb. endiv., cichor. viridis, ana m* j.
florum camomill., melilot.,
rosar. rubr., an. m. jſ.
summit. absinth. p. j.
coq. in aq. communi ad ℔jſ. *in fine*
addendo aceti opt. ʒij. *spec. diatrium sant.* ʒjſ.
Iterum ebulliant, & postea colentur pro Epithemate.

Post Epithematis adhibitionem inungatur locus tali linimento:

℞. *ol. amygd. amarar., camomill., an.* ℥ſ.
ol. rosacei, unguenti santalini an. ʒij.
M. pro Linimento.

Porro si inflammatio invalescit, atque ejus suppuratio, (quæ tamen omni studio præcavenda, ne ulcus immedicabile sequatur,) prohiberi nequeat, natura mollientibus & maturantibus juvanda est; itaque tale tum adhibeatur cataplasma:

℞. *rad. althææ* ℥ſ.
fol. malvæ, flor. camomill.

farinæ

farinæ hord. an. m.j. sem. lini ℥ſ.
coctis iis & contusis adde pinguedinis gallinæ q.ſ. F.
Cataplasma.

Cognoscitur inflammatio ad suppurationem tendens ex febri, dolore, aliisque symptomatibus ingravescentibus; confecto pure omnia illa mitescunt, vires tamen debiliores relinquuntur.

Pus genitum vel in vasa, per hepar diffusa, se insinuat, & per sanguinis circulationem fertur illud ad cor, & inde vel in ventriculum, vel intestina, vel renes propellitur; vel pus genitum, disrupto epate, se infundit vel in cavitatem abdominis, quod sectione vel ustione ventris est educendum, vel illud peritonæo, cum musculis abdominis & cute, exeso, ex eo foras expellitur, tumque ulcus per vulneraria intro assumpta & foris adhibita, est sanandum.

Victus, pro ratione virium sit tenuis, ex ptisanâ & jusculis carnium, endiviâ & cichorio alteratis. Utendum hic abstergentibus, citra acrimoniam. *Aromata & vinum* vitentur. *Potus* sit cerevisia tenuis.

XV.

MEDICATIO FOEMINÆ, OBSTUCTIONE HEPATIS LABORANTIS.

Foemina 22. annorum, temperamento pituitosa, victu crasso & humido longo tempore usa, faciem & omnia fere membra pallore habet squallentia, genua & pedes, præsertim sub vesperam, ipsi tument. Urina ejus alba est & clara. Gravitas & distensio, cum obtuso dolore, dextro insidet hypochondrio; quæ, ubi mox se à cibo nonnihil exercet, ipsi potissimum est perceptibilis. Spiritum impeditè ducit, ubi altiora ascendit loca. Nulla adest

febris vel sitis. Os salivâ madet : nec ullus in hypochondrio hactenus observatur tumor.

Afficitur in hac ægra *facies & reliqua externi corporis moles*, quod ex earum pallore ; afficiuntur etiam *genæ & pedes*, quod ex eorum tumore ; afficitur quoque, & quidem primariò, *hepar*, quod ex gravitate, distensione, & dolore obtuso, dextrum hypochondrium potissimum à cibo occupante, item ex urina alba & clara, nec non respiratione à corporis motu difficilius ductâ, est manifestum.

Morbus, quo hæc ægra affligitur, est intemperies pituitosa & viscida hepatis, quæ poros ejus & meatus obstruens & chymosin vitians, reliquaque in historia commemorata symptomata inducens, à potiori suo effectu, reliqua producente, *Obstructio hepatis* vulgo appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* est diutinus crassorum & humidorum alimentorum usus, quo, adjuvante temperamento ejus pituitoso, multi crassi viscidi & tenaces & frigidi in ejus corpore geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum, partim ad hepar delata, ibique ejus meatus angustans & oppilans, intemperiemque ejus vitians ; partim ad genas, pedesque, totumque, corporis habitum perveniens, *continens* hujus morbi, symptomatumque jam enarratorum, est causa.

Dum enim humor ille pituitosus viscidus & tenax poros & meatus hepatis multis in locis occludit, ibique hæret, *parit in eo intemperiem pituitosam & viscidam, ac præterea obstructionem*, qua humores, hepar postea transituri, in eo retinentur, illique retenti, ac suâ copiâ & pondere, hepatis, in dextro hypochondrio siti, parenchyma gravantes, & distendentes, pariunt in *dextro hypochondrio gravitatis & distentionis, obtuso dolore citra tumorem comitatæ, sensum. Hic, post cibum assumptum, & corporis exercitationem, altiorumque locorum ascensum, magis est perceptibilis, difficilemque respirationem*

tionem gignit; propterea quod humores copiosiores eo ferantur, iique tum plus solito ibidem distendantur, & quod diaphragma, quod est præcipuum respirationis instrumentum, vehementius premant.

Et quoniam, ex hac hepatis intemperie pituitosa, cum obstructione conjuncta, chymus gignitur crudus & aquosus, qui deinde in aquosum in corde convertitur sanguinem, per totum corpus ad alituram diffundendum; hinc *facies totaque corporis externa moles*, quæ tali pituitoso sanguine nutriuntur, *squallido pallore perfunduntur.*

Et quia hic sanguis ad nutritionem est ineptior, calorque nativus ex eo debilitatus, justam excrementi vaporosi discussionem in habitu corporis efficere non potest; hinc oritur ex sanguine illo eo propulso, sed non bene agglutinato, & ex vaporoso excremento retento, *genarum & pedum*, vasis in nostrâ ægrâ porosioribus instructorum, *tumor*; *qui sub vesperam magis est observabilis*, quod ob corporis diurnum motum & erectionem, humores eô tum paulatim copiosius fuerint propulsi, nec per sanguinis circulationem in alias partes satis copiosè referri potuerint. Pituitosus vero ille sanguis, ad tonsillas oris delatus, ibique aquosiores suas partes in os, per ductus salivales, aliosque deponens, *facit sitis absentiam, salivæq; in ore abundantiam.* Ad cor vero citra putredinem, & deinde ad renes, ex viscidis illis humoribus obstructos vel angustatos, perveniens, producit *febris absentiam, urinamque albam & claram.*

Morbus hic, ob magnam hepatis affectionem, *periculosissimus est.* Metus enim est, ne in hydropem, vel scirrhum, vel alium gravem affectum, degeneret.

Diligentissima itaque *Curatione* erit impugnandus; *quæ* in causæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, & intemperiei, ac obstructionis, per contraria, ablatione consistet.

Primò itaque utatur tali apozemate alterante & purgante:

℞. *rad. apii, petroſelin., fœnicul. an.* ℥j. *chelidonii major.* ℥j ſ. *filicis, enulæ campanæ, cort. rad. capparum, fraxini, tamariſci an.* ℥ ß.
fol. abſinthii, agrimoniæ, capill. vener., chamædrios an. m. j.
flor. centaur. minor., hyperici an. p. j.
ſem. apii, petroſelini, aniſi, fœniculi, an. ʒij.
fol. ſennæ ℥ij. *rad. polypod. q.* ℥ß.
Decoq. in aq. hord. ad ℔j ß.
In Colatura diſſolve ſyr. de cichor. cum rhabarb. ℥j ß. *m.*
F. Apozema. *de quo ſumantur* ℥iij. *bis in die vel ſemel, pro ratione operationis.*

Dum hoc utitur apozemate, hypochondrium dextrum hoc foveatur fomento, mane & veſperi, ante uſum decocti:

℞. *rad. bryoniæ, althææ an.* ℥j ß.
ebuli, cyperi, eryngii, capparis, fraxini an. ℥j.
fol. malvæ, althææ, violariæ, agrimoniæ, chamæd., menthæ, abſinth., an. m. j.
ſem. lini, fœnugræci, baccar. Iunip., coriandri an. ʒij.
flor geniſt., ſambuci, chamomill., meliloti, an. p. j.
ligni ſantali citrini, ℥ſ.

Fiat omnium decoctio in duabus partibus aq. chalibeatæ, & una vini albi ſub finem additi; colat. adde aceti ℔ ß. *&* *fiat* Fomentum, *cum pannis lineis eo imbutis adhibendum, ut fuit dictum.*

Poſt fotum inungatur locus tali unguento:

℞. *ol. lilior, de capparib. an.* ʒij.
ſucc. bryoniæ, apii an. ℥j.
Bulliant ad ſuccorum conſumptionem
addendo ung. de althæa, gumm. ammon. acet. diſſol. & extracti an. ʒj.

ſem.

sem. dauci, spicæ nardi, an. ʒj ß.
ceræ flavæ q. s. F. Unguentum,
cui, tempore usus, addatur aceti rosacei parum.

Post horum usum, ad obstructionum reliquias tollendas, & partem affectam roborandam, conveniet sequens opiata:

℞. *conserv. flor. absinth.,*
flor. tamarisci, capill. ven. an. ℥j.
rad. enulæ campanæ, cort. citri cond., an ℥ ß.
myrobalan. cond. No. j.
nuc moschat. cond. ʒiij.
spec. diarhod. abbatis ʒj.
chalibis præp. ʒij.
salis absinthii, tamarisci an. ∋ ß,
croci ∋j. *ambræ gryseæ* ∋ ß.
cum syr. cond. cort. citri F. Opiata,
de qua capiat singulis diebus magnitudinem castaneæ majoris, duabus horis ante pastum, superbibendo vini Hippocratici parum.

Plurimum etiam conducent balnea tepida, in quibus emollientia & aperientia ebullierint.

Obstructiones si contumaces fuerint, utatur sequentibus pilulis:

℞. *aloës optimæ, succo absinthii diligenter nutritæ* ℥ ß.
gumm. ammon. aceto dissoluti & trajecti ʒiij.
myrrhæ electæ in vino calido solutæ & trajectæ ʒij.
pulv. diatrium santal., cristall. tartari an. ∋j.
agarici recenter trochisc., rhabarb. electi an. ʒij.
salis absinthii, tamarisci, an. ʒ ß. *croci* ∋ ß.
Cum syr. ros. sol. F. *mass.* pilularum, *de qua capiat* ʒ ß.
bis in septimana, duabus horis ante pastum.

Ad obstructiones pertinaces tollendas præ cæteris conducunt remedia ex tartaro, vitriolo, chalybe conflata,

quæ

quæ apud practicos occurrunt; & ideo hic etiam adhiberi possunt.

In *diæta*, *Aër* sit purus, calidus, tranquillus. *Cibus* attenuans & calidus, ex pane bene fermentato, & carnibus gallinaceis, vervecinis, ovis sorbilibus, capparibus, asparagis, hyssopo, petroselino. *Potus* sit cerevisia & vinum mediocrium virium. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Gaudio* det operam: moderatè se *exerceat*.

XVI.

MEDICATIO VIRI,

SCIRRHO HEPATIS

LABORANTIS.

Vir 40. annorum, pituitosus, alimentis frigidioribus & humidioribus diu usus, diutinamque ac contumacem obstructionem hepatis passus, paulatim incidit in durum tumorem, dextrum hypochondrium occupantem; qui, ipso erecto vel decumbente & in sinistrum latus inclinato, tactu facile percipitur. Situ & figurâ jecoris circumscribitur. Decubitus ipsius dexter est facilis, sinister verò adeo gravis, ut ægro, sinistro lateri incumbenti, moles quædam, velut suffocans, ventriculo & præcordiis inniti videatur.

Afficitur in hoc ægro *hepar*; quod ex præcedentibus ejus obstructionibus, & subsecuto tumore duro, qui in hypochondrio dextro percipitur, difficilemque in sinistro latere decubitum parit, est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies crassa & viscida hepatis; quæ tumore duro, & obtuso sensu prædito, comitata, *Scirrhus hepatis* vulgò appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus ille frigidorum

rum crassorum & humidorum alimentorum usus, quo, adjuvante temperamento nostri ægri pituitoso, humores frigidi crassi & tenaces, in ejus corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum ad hepar delata, & deinde poros ejus obstruens, & postea suâ copiâ & crassitie illud distendens, & in tumorem attollens, duritiemque sua partium firma cohæsione concilians, *continens* hujus morbi & ejus symtomatum est causa.

Hinc enim nata est *intemperies illa hepatis, tumore duro, & stupido sensu, comitata*, cujus pondere, cum per sinistrum decubitum ventriculus & præcordia premantur, quæ per dextrum decubitum à pressione sunt libera; hinc fit, ut *decubitus dexter ægro sit facilis, sinister verò adeo difficilis, ut difficilem respirationem suffocationisque metum inducat.*

Quia autem, per corporis erectionem & in dextras partes inclinationem, tumidum hepar magis versus exteriora à vicinis partibus propellitur, idcirco *tumor ejus, figuram & situm hepatis habens, corpore erecto & in dextrum latus inclinato, facile est perceptibilis.*

Morbi hujus magna solet esse pertinacia & periculum: cum viscus hepatis meatus habeat angustos, qui præcedente obstructione valde sunt obstipati, & à subsecuto hoc scirrho fere omnes sunt occlusi, ita ut vis medicamentorum eo difficulter sit perventura; unde vel *hydrops, vel atrophia hic est metuenda.*

Curatio itaque diligens instituenda est, *quæ*, in causarum, & intemperiei, ac tumoris, per contraria ablatione, consistet.

Primo itaque purgetur tali medicamento cathartico:

℞. *syr. rosati sol. cum fol. sennæ, & rhabarb.* ℥ij. ſ.
elect. diaphæn. ʒiij. *aq. decoct. hord. q. s.*
M. F. Haustus.

Deinde utatur tali apozemate alterante & purgante:

℞. *rad. fænic., petroſ., gramin., aſparag., in aceto macera-*
tar. an. ℥j.
herb. marrubii, ceterach, cuſcutæ, capill. veneris,
ſcolopendrii, chamædryos an. m. j.
ſem. aniſi, fæniculi, an. ʒj ſ.
fol ſennæ ℥j ſ. *agarici, mechoacann. an.* ʒj.
paſſul. ʒj. *ficus ſicc.* No. v.
Decoq. in aq. hord. ad lib. j ſ.
Colaturæ adde ſyr. de cichor. cum rheo ℥j ſ.
M. *F.* Apozema, *de quo ſumat ſemel, vel bis*
in die, hauſtum trium vel quatuor unciarum.

Reiterari ſubinde ſimile apozema debet, omiſſis vel additis purgantibus, pro ut res hic deſiderabit.

Purgari etiam ſubinde poterit tali hauſtu:

℞. *fol. ſennæ* ʒiij. *agaric. trochiſc., rhabarb. an.* ʒj.
ſem. aniſi ʒij. *infunde in aq. hord.* ℥iij.
Colaturæ adde diaphœnic. ʒij. M. *F.* Hauſtus.

Interea dum his utitur, admoveantur fomenta, unguenta & emplaſtra ſequentia:

℞. *rad. bryoniæ, liliorum, alth. an.* ℥j.
cucumeris ſilveſt. ℥ſ.
fol. malv., violar. parietar., abſinth., agrimon. an. m.ſ.
flor. camomill., melilot., roſarum an. p. j,
Coq. in tribus partibus aq. comm. & unâ vini ſub
finem additi. Colaturâ foveatur, cum pannis la-
neis, hypochondrium dextrum.

Poſt fotum adhibeatur tale linimentum.

℞. *ol. lilior., camomill., melilot., amygdal. dulc. an.* ℥j.
roſar., abſinthii an. ℥ſ.
gumm. ammon. in aceto diſſolut. ʒiij.
ceræ. ʒij. M. *F.* Linimentum.

Poſtquam pars affecta linimento illo inuncta fuerit, tale ei imponatur emplaſtrum:

℞. *Maſſ.*

℞. *Maſſ. emplaſt. de mucilag.* ℥j.
de melilot. ℥ſ.
gumm. ammon. liquati in ſucco abſinth. ʒiij.
malaxentur cum ol. abſinth. & liliorum q. ſ.
F. Emplaſtrum, *extendendum ſuper alûta.*

Si vero durities contumax nondum his cederet, ſequentes pilulæ per plures dies erunt uſurpandæ:

℞. *gumm. ammon. in aceto diſſolut.*
& trajecti & iterum inſpiſſati ʒij.
bdellii, ſtyracis, an ϑiiij. M.F. Pilulæ *juſtæ magnitudinis, capiat* ʒj. *alternis diebus.*

Intermediis diebus utatur opiatâ roborante & aperiente, in obſtructione hepatis præſcriptâ.

Uſus etiam chalybis præparati, ſuperius & inferius a nobis deſcripti, hic magnopere conducit.

In Victus ratione, Cibus ſit attenuans, ut in obſtructione hepatis, moderata quantitate exhibitus. Item incîdens & detergens. Vitentur dulcia. *Vinum* ſit tenue, odoratum, vel cereviſia clara, mediocrium virium. Cappares ſint in frequenti uſu. *Alvus* moderatè fluat. *Exercitia* ſint moderata. *Vitet* triſtitiam.

XVII.

MEDICATIO VIRI,

Cachexia Leucophlegmatica AFFECTI.

Vir quadraginta annorum, febri erraticâ diu fatigatus, & tandem ab eâ liberatus, incidit in pedum & tibiarum inflationem; quæ deinde, per femora & teſtes paulatim aſcendens, totum corpus, faciem ipſam, palpebras, labia, ac gingivas occupavit. Color corporis ad fœdam albedinem declinat. Digiti parti-

bus externis impressi aliquandiu profunda in iis reliquunt vestigia. Urina est pauca & cruda. Pulsus debilior. Coctio ventriculi tarda. Corporis motus lentus & languidus.

Afficitur in hoc ægro *totius corporis habitus*; ut ad oculum patet: item *hepar, ventriculus, lien, & aliæ partes, chylosi & chymosi ac etiam sanguificationi inservientes*; quod totius corporis inflatio & tumor indicant.

Morbus, quo æger laborat, est intemperies viscerum chylosi chymosi & sanguificationi inservientium serosa, pituitosa, & vaporosa; quæ, totum corpus tumore molli inflans & distendens, fœdoque pallore perfundens, *Cachexia leucophlegmatica* appellatur.

Causa prima sive *procatarctica* hujus morbi est febris erratica, quæ diu ægrum nostrum fatigavit. Hinc calor nativus, primò quidem nimis fuit intensus; sed postea, ex dissipatione spirituum & oleaginosarum partium, imminutus: unde humores serosi & pituitosi, item vapores crudi & crassi copiosè fuerunt in visceribus geniti; qui, in vasis cum sanguine contenti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Ii vero, propter debilem viscerum calorem, cum reliquis sanguinis partibus non satis bene mixti, atque ideo extra vasa in habitum corporis, cujus minor quam viscerum est calor, sese effundentes, & illi qualicunque modo se agglutinantes, *continentem* hujus morbi & symtomatum constituunt causam.

Nam serosa & pituitosa illa materia, circa viscera chylosos & chymoseos ac sanguificationis existens, producit ibi *intemperiem jam commemoratam*. Extra vasa verò in pedes, propter longiorem à corde & reliquis visceribus distantiam, & seri gravitatem, effusa, *facit ibi tumorem œdematosum, digitorum impressorum vestigia*, ob partium mollitiem, *aliquamdiu retinentem*. *Hic*, malo ingravescente, *primum tibias & femora, deinde totum habitum corporis, item*

item brachia & caput, in eoque faciem, labia & gingivas tandem occupavit.

Et quoniam ſeroſa hæc materia, ob dictas cauſas, in habitu corporis hæret, idcirco pauca ejus quantitas ad renes defertur; quæque eo deportatur, eſt craſſa & cruda, ac obſtructos etiam ibi invenit poros; hinc *urina etiam eſt pauca & cruda.* Quia verò ab hoc ſero & ſanguine crudo ac frigidiore calor ventriculi & cordis, jam antea à febri præcedente debilis, magis magiſque debilitatur; hinc pulſus eſt *juſto debilior, ac concoctio ventriculi, ut & aliarum partium, tarda.* Et denique, quia moles corporis ab hoc tumore eſt gravis, & ſpiritus animales, ob ſeroſam hanc cacochymiam, pauci: hinc *motus corporis eſt languidus & tardus.*

Morbus hic valde eſt periculoſus: quia chyloſis & chymoſis, atque hinc ſanguificatio, graviter eſt læſa, & difficulter corrigi poteſt. Non tamen deſperandum: ſæpe enim hujuſmodi cachexia ſanari ſolet.

Ne itaque in lethalem leucophlegmatiam, vel aſcitem abeat, *Curatio* quam primum erit inchoanda: *quæ* conſiſtet in cauſæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei viſcerum & habitus corporis, per contraria, correctione.

Primò itaque purgetur tali hauſtu:

℞. *diaphænici* ℥ſ.
tartari vitriolati ʒj.
diſſolve in aq. carduibenedicti ℥ijſ.
adde aq. cinnamom. ℥ſ. *ſcammonii gr.* viij.
miſce F. Potio, *mane jejuno ventriculo exhibenda.*

Poſtea utatur hoc apozemate aperiente, alterante, & purgante:

℞. *cort. rad. apii, ireos recent.,*
cbuli, an. ℥j.

bryoniæ

bryoniæ ℥ſ.
enulæ camp. ʒiij.
herb. cuſcutæ, agrimoniæ, ceterach,
carduibened., fumariæ an. m. j.
abſinthii vulg. & romani an. m. ſ.
flor. geniſtæ, ſambuci, centaur. min. an. p. j.
ſem. aniſi, fœniculi, carui, dauci an. ʒij.
Fol. ſennæ ℥jſ. *agarici, rad. eſulæ an.* ʒſ.
rabarb. ʒj
Zinzib., cinnamomi, ſchænanthi an. ϑj.
uvar. paſſ. ℥j. *prunor acidor. paria* viij.
liquiritiæ raſæ ʒij.
Decoq. ex. aq. com. & vini albi part. æq. ad lib. j ſ.
& colentur pro Apozemate, *de quo bibat æger*
uncias quatuor, mane jejunus.

Ubi aliquoties purgatus fuerit, utatur his tabellis corroborantibus & intemperiem viſcerum corrigentibus.

℞. *ſpec. el. aromatici roſati,*
diarhodon. abbatis, diamargar. frig.
an. ʒjſ.
raſuræ eboris, cornu cervi, an. ʒj.
ol. cinnamomi, caryophyll. an. ϑſ.
ſacchari albi diſſoluti in aq. roſ. ℥iij.
F. Tabellæ ʒiij. *pondere; capiat unam horâ ante*
prandium & cænam.

Ventriculus & præcordia hoc foveantur linimento:

℞. *ol. nucis moſchatæ, menthæ, abſinthii,*
amigdal. amarar. an. ℥ſ. *ol. cariophyll.* ϑſ.
ceræ parum. F. Linimentum, *quo regio ventriculi*
mane & veſperi illinatur, & ſuperponatnr
ſcutum ex bombace.

Alvus ſi poſtea ſubſtiterit, moveatur ſubinde his pilulis:

℞. *aloes*

℞. *aloes rosatæ.*
spec. hieræ simpl.
rabarb., agarici trochis. an. ʒj.
cum syr. de absinthio q. s. F. Massa, *de qua capiat*
℈j. *horâ unâ ante cœnam.*

Cibus sit euchymus, ex pane triticeo, bene fermentato, carnibus gallinaceis, vervecinis, perdicibus, ovis sorbilibus; aromatibus moderatè conditus. *Abstineat* à multis jurulentis & sorbitionibus, ac *multo potu*; *qui* sit cerevisia & vinum album, mediocrium virium. Bis terve in die alatur quantitate cibi, quam facile conficere potest. Versetur in *aëre* mediocriter calido. Moderatè ambulando *se exerceat*. Bene *dormiat*; & *tristitiam* fugiat.

XVIII.

MEDICATIO VIRI, HYDROPE ASCITE LABORANTIS.

Vir triginta quinque annorum, febri tertiana intermittente duplici aliquamdiu afflictus; & postea, ex mala victus ratione, in continuam; ac inde iterum in tertianam duplicem prolapsus; eâque per integrum mensem fatigatus; dum nullis aut paucissimis remediis uteretur, ac multum potum ingurgitaret; paulatim, jam à duobus mensibus, incidit in insignem abdominis, scroti, & crurum tumorem: cui nunc adest respirandi difficultas, virium debilitas, faciei ac totius corporis pallor, sitis perpetua, appetitus prostratus; & imi ventris, ubi æger se in lecto de latere in latus circumvolvit, fluctuatio. Urina est pauca, aquosa, & sedimento carens.

Afficiuntur in hoc ægro *crura*, *scrotum*, & imprimis *imus venter*: idque secundum illam cavitatem, quæ est intra

tra peritonæum & inteſtina; quod conſtat ex eorum tumore, & fluctuatione in abdomine percepta. Læditur quoque *jecur, cum liene & vaſis gaſtricis, meſaraicis, aliiſque chyloſi & chymoſi inſervientibus*; quod indicat totius corporis, & præſertim faciei, pallor, item ventris & crurum, ab aquis in iis collectis, tumor.

Morbus qui ipſum affligit, eſt intemperies ſanguinis, & multorum imi ventris viſcerum, ſeroſa; quæ multam aquam in abdomen, ſcrotum, & crura, effundens, illaque hac in tumorem attollens, *Hydrops aſcites* dicitur.

Cauſæ procatarcticæ hujus morbi ſunt febres illæ, quibus æger tamdiu fuit afflictus. Hinc enim calor nativus in partibus chyloſi & chymoſi inſervientibus primò quidem fuit plus juſto intenſus; ſed poſtea per diſſipationem ſpirituum & pororum apertionem imminutus; qui deinde ſeroſos & craſſos humores, ex copioſo illo potu & aliis aſſumtis alimentis, in vaſis, & obſtructiones in quibuſdam partibus, pariens, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Pars verò ſeroſæ iſtius materiæ ex vaſis & viſceribus, propter malam cum reliquo ſanguine, à debilitato calore, commixtionem, in cavitatem abdominis, per evaporationem, & forſan etiam per diapedeſin, ſeſe effundens, & liquorem, tum propter loci anguſtiam, tum ob minorem interioris ſuperficiei ventris calorem, coiens; & forſam etiam, per ductus aquoſos hepatis ruptos, in cavitatem abdominis effluens; ac inde in ſcrotum & crura delabens, parteſque illas ſuâ copiâ extendens & in tumorem attollens, *continens* hujus morbi & ſymtomatum evadit cauſa.

Dum enim aqua illa, cum ſanguine reliquo mixta, ad corpus recte nutriendum & calefaciendum eſt ineptior; *hinc oritur totius corporis debilitas ac pallor.* In abdomen vero diffuſa, &, ob circumvolutionem ægri, ab uno latere in alterum, inter inteſtina, magno impetu ruens, *fluctua-*

ctuationis excitat perceptionem. Et, copiâ ſuâ abdominis cavitatem replens, impedit juſtam diaphragmatis, in inſpiratione neceſſariam, depreſſionem; eoque *reſpirandi inducit difficultatem.* Secundem exteriorem vero vaſorum, *in ſcrotum & crura* ex abdomine deſinentium, ſuperficiem, in illas partes copioſè *deſcendens, magnum earum facit tumorem.*

Et quoniam ſerum maxima ex parte, jam dicta ratione, ex vaſis abdominis in cavitatem imi ventris exhalat, & per eorum poros nimis apertos forſan etiam tranſſudat; ſerumque, quod paucum in vaſis remanet, ob debilitatem caloris eſt crudum: hinc *parum ſeri* ad renes defertur, *urinaque pauca & cruda*, cum nullo ſedimento, *excernitur.* Quò etiam multum facit pororum renum obſtructio, & intemperies ſanguinis frigidior, qua ſerum ineptius evadit, quam ut vi renum obſtructorum à reliquo ſanguine ſeparetur.

Eadem aqua, ſecundum partes inſipidas, magnam partem per inſenſibilem tranſpirationem diſſipata, & ſecundum ſalſas, quæ difficilius, ob rigiditatem & craſſitiem ſuam, per poros abdominis diſſipari poſſunt, in ventre retenta, *majorem indies ſalſedinem acquirit. Eaque*, ſuperiori ventriculi parti ſeſe perpetuò inſinuans, *ſitim parit perpetuam.* In ventriculum verò defluens & ſuccum acrem, famis irritamentum, aquoſitate & ſalſedine ibi temperans, *proſternit penitus ægri appetitum.*

Dico ſerum, propter debilem viſcerum vaſorum & ſanguinis calorem nativum, *non ſatis bene cum reliquo ſanguine miſtum*, atque ideo facile ab eo ſeparabile, *per exhalationem potiſſimum, ex viſceribus* & eorum vaſis, *cavitatem abdominis ingredi, ibique in liquorem*, propter cauſas jam dictas, *coagulari*: quia hic ejus ingreſſus eſt facillimus, utpote qui majores pororum apertiones, quales in

diapedesi & diæresi requiruntur, non desideret; nec per anastomôsin, cum venarum & arteriarum extrema, per universum corpus, sint continua, fieri queat.

Neque seri in abdomine collecti salsedo his quicquam adversatur; cum particulæ seri salsæ, quæ hîc nullam sublimem difficilemque evectionem, sed lateralem facilemque tantum è vasorum & viscerum poris in abdomen ingressum, ibique cum partibus aquosis mixtionem, imo sæpissimè descensum solummodo postulent, facile à vaporibus aquosis, per tenues viscerum & vasorum tunicas, hic sæpe nimium dilatatas, in abdominis crassis partibus vestiti cavitatem, saltem sensim propelli, ibique facile ob abdominis partium crassitiem retineri, & ita magnâ copiâ colligi in eâ queant. Et certè, cum salsæ seri partes ex abdomine in crassum & densum œsophagum impellantur, ibique sitim, ut diximus, faciant; nullam causam video, cur non eædem, per tenues & raras vasorum & viscerum tunicas, in abdomen satis copiosè impelli possint.

Morbus hic valde est periculosus: cum aliis morbis supervenerit; & chymosis hic sit læsa; ac aqua per pharmaca difficulter; per paraxeyteſin verò periculosissimè educi; intemperiesque viscerum vasorum & sanguinis difficillimè corrigi; pororumque apertio nimia difficulter claudi; ac proinde aquarum in abdomine collectio summâ difficultate impediri possit. Quia tamen morbus est recens, & æger juvenis, de recuperatione sanitatis planè desperandum non censeo.

Curatio primo quoquo tempore est auspicanda. *Eaque* consistet in causæ continentis & antecedentis ablatione, & intemperiei ac obstructionum, & pororum nimiæ apertionis, per contraria, correctione.

Itaque æger alternis diebus una hujus pulveris dosi subinde purgetur:

℞. *sennæ*

℞. *sennæ mund., turbith gummosi, hermodactylor.*
sem. ebuli, salappæ, mechoacannæ an. ʒij.
guttæ gambi ʒs.
spec. diambræ, diarhod. abbat.,
sem. fæniculi ana ℈j.
sacchari candi ʒij.

F. Pulvis, *cujus dragma una vel duæ infundantur per noctem in vini rhenani unciis tribus, sumatque mane vinum & pulverem.*

Ubi bis terve purgatus fuerit, perveniendum ad diuretica; quæ serum sanguine exquisitius miscebunt, & evacuationi, per renes felicius instituendæ, adaptabunt; obstructiones tollent, ac viscerum intemperiem corrigent; quale ex. gr. hoc est:

℞. *rad. apii, petroselini, enulæ camp. an.* ℥j.
cortic. mediani fraxini, tamarisci. an. ℥s.
rad. azari ʒiij.
fol. agrimoniæ, ceterach, capillor. vener.,
cichorii, chamædryos, centaurei min.,
absinthii vulgar. & romani an. m. j.
sem. anisi, petroselini, dauci an. ʒij.
flor. genistæ, sambuci an. p. j. *tamarindor.* ℥ij.
coquantur in aq. communi ad quartaria quinque.
in Colatura dissolve syr. de limonib. ℥iij.

M. F. Apozema, *pro quatuor dosibus matutinis: addendo unicuique dosi salis juniperini, stipitum fabarum, & genistæ ana* ℈j. *spiritus salis* ℈s. *vel* ℈j.

Consumto hoc apozemate, idem vel simile sæpius reiteretur. Pro potu ordinario utatur vino albo, ex infusione chalibis parato; cum ptisana, ex decocto agrimoniæ, ceterach, capill. veneris, & corticum median. tamarisci, composita. Ad sitim extinguendam in ptisanæ ordinariæ sive cereviſiæ lib. iij. dissolvantur salis petræ, optimè purificati

ficati unc. ſ.; eâque utatur pro potu ordinario, cum vino chalibeato.

Verùm bibat quam parciſſimè; & ſitim toleret, quantum poteſt.

In cenſu diureticorum numerantur etiam aquæ ſpadanæ, aliæque minerales acidulæ & vitriolatæ; utpote quæ viſcera potenter deobſtruant, poros nimis apertos claudant, aquas per urinas evacuent, & viſcerum vaſorumque intem periem emendent. Atque hinc quotannis multi hydropici, uſu aquarum ſpadanarum ſimiliumq;, percurantur.

Hæ igitur etiam, ſed magnâ copiâ, uſurpari poterunt, ſi facilè & copioſè cum urinis tranſeant: alioqui erunt prætermittendæ; quippe tum inutiles & noxiæ futuræ.

Confugiendum etiam ad ea, quæ foris adhibita ſerum diſcutiant: ut ad lotiones, per aquas ſalſas & ſulphureas, vel cataplaſmata, ex rad. cucumeris aſinini, bryoniæ, rutâ, ſimo caprino, columbino, vaccino, farinâ lupinorum, ſulphure & ſimilibus: ut

℞. *ſimi bovini ſiccati lib.* j.
ſulphuris vivi, ſem. cumini pulv. an. ʒij.
urinæ pueri q. ſ. F. Cataplaſma, *tumidis cruribus & ſcroto adhibendum.*

Si his vel ſimilibus remediis morbus non cedat, cogitandum erit de evacuatione aquarum, per paraxeyteſin abdominis, infra umbilicum, vel ad latus, cute prius deorſum vel ad latus tractâ, vel per puncturam ſcroti, vel levem ſcarificationem ſurarum, vel veſicatoria talis adhibita, inſtituendâ, ſed cum magni periculi præmonitione.

Verùm tutiſſima paraxeyteſis eſt Sanctoriana, a Sanctorio Profeſſore Patavino, circa annum hujus ſeculi vigeſimum, inventa, quæ per acum in tubulum, tres vel quatuor digitos longum, formatam, ac tenuioris calami anſerini craſſitiem, & ſupra cuſpidis extremitatem foramen oblongum haben-

habentem, instituitur. Hac acu, sive tubulo acuminato, pertunditur ascitici sedentis abdomen, infra umbilicum, in dextro vel sinistro musculo recto, usque in ventris cavitatem, educiturque aquæ, prima vice, una vel altera libra. Post biduum vel triduum educitur similis unius vel alterius libræ aquarum quantitas, per idem vel aliud recens factum foramen. Talisque aquarum eductio reiteratur, quoties morbus & ęgri vires hoc permittunt. Post acum singulis vicibus eductam, imponitur foramini plumaceolum ex linteo carpto, illudque superimposito emplastro aliquo glutinoso ventri agglutinatur. Nec ulla aqua deinde ex abdomine, invito chirurgo, effluit. Nam educto, ex foraminulo abdominis, tubulo, mox partes cutis, musculorum, & peritonæi, quæ perforatione istius acus fueruut distentæ, sponte ad priorem viciniam, quantum possunt, resiliunt, atque ita foraminulum, ad aquarum effluxum impediendum, sufficienter claudunt. Simili modo pertunditur hìc etiam scrotum.

Toto autem curationis decursu, roborantia nunquam omittenda. Quia frustra aquas educimus, nisi novam earum generationem, per ea, quæ viscera reficiunt, & ad pristinam temperiem revocant, inhibeamus.

Inter præcipua roborantia recensenda est aqua cinamomi; cujus cochlear unum mane vel ante cænam exhiberi poterit. Vel usurpetur electuarium diarhodon abbatis, vel de passulis, dimidiæ unciæ quantitate, mane exhibendum; cujus descriptio talis est:

℞. *Passularum corinth. mundat. lib. ſ. Coquantur in vino generoso ad pultis consistentiam; contusas trajice per setaceum, & admisce conservæ anthos, cort. citri conditi, cinnamomi accerimi an.* ʒj. *pulv. aromatici rosati, diamargariti calid., diacinnamomi, an.* ʒſ. *croci* ℈ſ. M. F. Electuarium molle.

In *victus ratione*, *Aër* sit modicè calidus, & siccus. *Cibus* ex carnibus gallinaceis & vervecinis, ex ovis sorbilibus; & vesperi potius assus, quam elixus, ac cinnamomo & gariophyllis conditus. *Potus*, præter jam præscriptum, sit vinum tenue, parcissimè sumptum. *Exercitium* moderatum fiat ambulatione, navigatione, frictione. *Somnus* sit moderatus. *Alvi* excrementa respondeant quotidie alimentis assumtis. *Venus & tristitia* fugiantur.

XIX.

MEDICATIO VIRI, INFLAMMATIONE LIENIS LABORANTIS.

VIr 35 annorum, temperamento biliosus, post calidiorum alimentorum usum, & vehementiora corporis exercitia, jam à biduo sentit gravitatem & dolorem tensivum in hypochondrio sinistro; quod ubi manu premitur, pulsationis sensum exhibet. Adest febris continua, magna sitis, respirandi difficultas, vigilia, & oris amaritudo.

Afficitur in hoc ægro *lien*, quod ex dolore tensivo, & gravitate, & pulsatione, in hypochondrio sinistro perceptis; item, ex reliquis in historia enarratis symptomatis, est manifestum. Afficitur etiam *cor*, quod ex febri continua, & siti; atque etiam *cerebrum*, quod ex vigilia patet.

Morbus, quo hic æger laborat, est intemperies lienis sanguinea, & biliosa: quæ cum tumore conjuncta, *Inflammatio lienis* vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est calidiorum alimentorum, ab ægro nostro diu sumptorum, usus: quo, accedentibus vehementioribus corporis exercitiis, humores sanguinei & biliosi in nostro ægro copiosè geniti *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum

in lienis

in lienis ſubſtantiam extra vaſa effuſa, ibique putreſcens, caloremque præter naturam concipiens, & inde in alias partes tranſlata, *continens* hujus morbi, & ſymptomatum eſt cauſa.

Ab humoribus enim iſtis in lienis ſubſtantiam effuſis, ibique putreſcentibus, & præter naturam incaleſcentibus, oritur hæc *intemperies bilioſa & ſanguinea*; item *tumor lienis*: unde partes ejus membranoſæ & carnoſæ diſtentæ, & graviores factæ, arteriæque ejus preſſæ, *dolorem tenſivum, gravitatis & pulſationis ſenſum, in ſiniſtro hypochondrio*, &, propter ſympathiam diaphragmatis, *reſpirandi difficultatem*, exhibent. Dum verò pars iſtius fervidi ſanguinis, à *liene* per ductum ſplenicum, ad hepar, & inde ad cor, perpetuò adſcendit, ibique juſto majorem & maligniorem incaleſcentiam concipit, hinc oritur in noſtro ægro *febris continua*, quæ ſuo ardore *magnam ſitim, vigilias, & oris amaritudinem* producit.

Morbus hic, ob febrim continuam ſymptomaticam valde eſt periculoſus. Præterea metus eſt, ne hic in ſcirrhum abeat.

Diligenti igitur *Curatione* erit impugnandus: *quæ* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac intemperiei, tumoriſque ablatione conſiſtet.

Mox itaque vena in brachio ſiniſtro aperiatur, ſanguiſque educatur ad ℥viij; & malo perſeverante, poſt diem unum atque alterum, venæſectio ibidem poterit reiterari.

Venæſectione peractâ, hypochondrium ſiniſtrum tali foveatur fomento repellente:

℞. *ol. roſar., cydonior. an.* ℥j. *vini auſteri lib.* ij. *aceti roſac.* ℥ij ſ. *M. F.* fotus, *cum laneis pannis eo imbutis tepidè adhibendus.*

Poſtea humores præparandi & evacuandi ſunt talibus remediis:

℞. *rad.*

℞. *rad. cichorii, dentis leonis an.* ℥j. *polypod. querc.* ℥ſ. *herb. fumar., ſummit. lupuli, borrag., bugloſs., ſcolopendr. an. m.* j. *paſſul.* ℥ſ. *hord. m.* j.

Decoq. in decoct. hord. ad lib. j. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rheo* ℥jſ. *ol. vitriol. q. ſ. ad gratum acorem,*

M. *F.* Apozema.

De quo ſumat æger ℥iij. *pro doſi, quater in die.*

Poſt primum apozematis uſus diem, purgetur tali medicamento catharctico:

℞. *Diacathol., elect. lenitivi an.* ℥ſ. *diſſol. in aq. decoctionis hord.* ℥iij, *addendo ſyr. roſat. ſolutivi* ℥ſ.

M. *F.* Hauſtus.

Purgatione finitâ, tale cataplaſma erit adhibendum hypochondrio ſiniſtro:

℞. *farin hord., fabar., fl. chamomill., meliloti, ſummit. abſynth. an. m. ſ. ſucci portulacæ* ℥j ſ. *ol. roſac. q. ſ.*

M. *F.* Cataplaſma,

Ubi fervor inflammationis nonnihil fuerit remiſſus, tale cataplaſma repellens & reſolvens adhibeatur:

℞. *farin. hord., fabar., ſem. lini, pulv. florum camomill., abſynth., abrotani an.* ℥ſ. *coq. in ſ. q. aq. & aceti, addendo ol: de capparibus* ℥ij. *M. F.* Cataplaſma.

Tandem in ſtatu & declinatione, ſolis reſolventibus utendum; ut tali decocto:

℞. *cort rad. fraxini, filicis an.* ℥jſ. *herb. ſcolopend., viticis, intybi, ceterach, ſchænanthi an. m.* j. *flor. geniſtæ, camomill., meliloti, an. m. ſ. Decoq. ex aq. hord. ad lib.* j. *In Colatura diſſolve oxymell.* ℥jſ. *F.* Apozema, *de quo ſumat* ℥iij. *bis in die.*

Si forſan durities aliqua in hypochondrio ſentiretur, tali emolliente opus eſſet Cataplaſmate:

℞. *farin. hord., lini, fænugræci an.* ℥j. *caricar. aceto maceratar.* ℥vj. *adipis anſeri., ol. liliorum albor., de capparibus*

an.

an. q. ſ. F. Cataplaſma.

Si inflammationis ſuppuratio impediri non poteſt, ea adjuvanda tali cataplaſmate:

℞. *rad. alth.* ℥j. *farin. hord. lini, fænugræc., tritici an.* ℥ſ. *ficus* No. iij. *ol. lilior. albor* ℥j. *lactis vaccini q. ſ.*

F. Cataplaſma.

Vel imponatur emplaſtrum diachylum.

Suppuratione factâ, ulceris curatio erit inſtituenda, ut in ſuppuratione hepatis diximus.

In *victus ratione Aër* ſit temperatus. *Cibus* & *Potus* refrigerent. Abſtineat in principio à vino, poſtea utatur diluto, aut potius cereviſiâ tenuiore.

XX.

MEDICATIO VIRI, OBSTRUCTIONE LIENIS LABORANTIS.

Juvenis 30 annorum, temperamento melancholicus, craſſioribus alimentis diu uſus, conqueritur de dolore gravativo & fixo, ſiniſtrum hypochondrium occupante, & per motum corporis vehementiorem, ingraveſcente. Sine cauſa triſtis eſt; turbulentaque & triſtia habet inſomnia; faciei color floridus in lividum eſt mutatus; corporis gravitas & ſpirandi difficultas ab ipſo percipitur; præſertim poſt exercitium vehemens: quandoque etiam adeſt cordis palpitatio.

Afficitur in hoc ægro *lien*, quod ex gravativo & fixo hypochondrii ſiniſtri dolore, vehementiore corporis motu ingraveſcente: item *cerebrum*, quod ex triſtitia ſine cauſa ægrum torquente, nec non ex triſtibus & turbulentis inſomniis: ad hæc *totius corporis muſculi & pulmones*, quod ex corporis gravitate, & ſpirandi difficultate: & denique ipſum

sum *cor*; quod, ex ejus palpitatione, est manifestum.

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est intemperies melancholica lienis; quæ in ejus vasis obstructiones, & ex illis symptomata, jam in historia commemorata, inducens, *obstructio lienis* vulgò appellatur. Eaque ex symptomatis ejus, mox explicandis, innotescit.

Procatarctica hujus morbi *causa*, est usus ille crassorum alimentorum diutinus; quo, adjuvante temperamento melancholico, crassi & fæculenti in ejus corpore humores geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum partim ad lienem delata, ibique meatus ipsius angustans, temperiemque ejus vitians; partim ad cerebrum, cor, aliasque partes, perveniens, *continens* hujus morbi, & symptomatum jam enarratorum, est causa.

Dum enim melancholicus ille humor, sua quantitate & copia, lienem distendit & gravat, in eoque fixam sedem habet, isque humor per motum corporis vehementiorem plus solito rarescit, lienemque in sinistro hypochondrio situm fortius expandit, ac diaphragma in respirando premit, hinc ab ægro nostro percipitur *dolor in hypochondrio sinistro gravativus & fixus, ac spirandi difficultas; quæ per vehementiorem motum corporis ingravescunt.* Ille vero in cerebro secum spiritibus animalibus miscens, melancholico suo temperamento, inducit *sine manifesta causâ tristitiam, & tristia ac turbulentu insomnia.* Et, quia hic humor melancholicus est lividus, hinc eo ad faciem, ubi venulæ sunt copiosiores & cutis pellucidior, delato, *floridus faciei color in lividum mutatur.* Et quoniam idem ille humor, ob crassitiem suam arctat musculorum poros, ineptusque est, qui in copiosos spiritus animales convertatur, hinc ob justæ spirituum animalium copiæ defectum porosque musculorum arctatos, & substantiam eorum gravatam, *sentit noster æger, in corporis motu, & præsertim vehementiore, corporis totius gravi-*

gravitatem, ſpirandique difficultatem.

Et quoniam melancholicus hic, in hoc ægro collectus, humor, partes aliquas acres continet, quæ ſubinde ad cor delatæ, illud ſuâ acrimoniâ vellicant, inordinatamque efferveſcentiam ſanguinis in ventriculis cordis efficiunt; hinc ſit, ut, ſpiritibus animalibus ex illa vellicatione in cordis fibras fortiter & inordinatè fluentibus, & ex illa ſanguinis inordinata efferveſcentia, *cor* ſubinde *palpitationis moleſtiam* ægro noſtro *exhibeat.*

Hic morbus pertinax & diuturnus ſolet eſſe, ob humoris peccantis craſſitiem, & lienis pororum anguſtiam.

Diligenti itaque *Curatione* hic morbus erit impugnandus: *quæ* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, ac obſtructionis, & intemperiei, per contraria, ablatione conſiſtet.

Primo itaque purgetur æger tali purgante medicamento:

℞. *Caſſiæ* ℥ ß. *elect. diacathol.* ʒiij.
aq. decoct. hord. q. ſ. M. F. Hauſtus brevis.

Poſtridie vena ſecetur, pro ratione virium, ad ℥vj. vel viij. in ſiniſtro cubito. Poſtea utatur hoc apozemate:

℞. *rad. cappar.* ℥j. *rad. aperitiv. an.* ℥ß. *polypodii quercini* ʒvj.
herb. tamariſci, chamædryos, chamæpitios, bugloß. capill. vener. an. m. j. *ſem. aniſi, fænic., apii, an.* ʒij. 4. *ſem. frigid. major. an.* ʒſ. *flor. geniſtæ, cordialium an. p.* j.
Decoq. in aq. chalibeata. q. ſ. ad ℔j. *addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ* ℥jſ. *cinnamomi* ʒſ. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio* ℥jſ. *M. F.* Apozema, *pro* iv. *doſibus matutinis.*

Poſt aliquot dies iterum purgetur tali hauſtu:

℞. *Diacathol.* ʒvj. *confect. hamech.* ʒiij. *ſyr. de cichor. cum rheo & fol. ſennæ* ℥ſ. *aq. decoct. hord. q. ſ.*
M. F. Hauſtus.

Poſtea reiteretur apozema præcedens.

Interea utatur his tabulis, lienem roborantibus, & deobſtruentibus:

℞ *ſpec. diarhod. abbatis* ʒij. *diacappar.* ʒſ. *ſem. urticæ, portulacæ. pulv. rad. filicis an.* ʒj. *chalibis ppt.* ʒſ. *ſacchari diſſoluti in decoct. tamariſci q. ſ.* F. Confectio in tabulis, *quarum* ʒij. *horâ unâ ante paſtum ſunt exhibendæ.*

Hypochondrio ſiniſtro adhibeatur mane jejuno ventriculo & veſperi talis fotus, cum pannis lineis, vel cum ſpongia magna:

℞. *flor. camomillor., meliloti, geniſtæ an. p.* j. *ſummitat. anethi, ceterach, rutæ, an. m* j. *ſem. viticis* ʒj. *coq. in æqualibus aq. vini & aceti part. ad lib.* j. *ſ.* F. Fotus.

Poſt fomentum regio lienis tali inungatur unguento:

℞. *ol. de capparibus, lilior. an.* ʒſ. *rutæ, amyg. dulc. & amarar. an.* ʒij. *gumm. ammoniaci, bdellii aceto diſſol. an.* ʒij. *ſem. agni caſti, pulv. ceterach, ſem. portulacæ pulv. an.* ʒj. *croci* ʒſ. *ceræ & aceti parum.* M. F. Unguentum, *quo inungatur regio lienis, calidè, mane & veſperi, mox à fotu.*

Poſt inunctionem imponatur tale Emplaſtrum, figuram & magnitudinem linguæ bovis habens:

℞. *emplaſt. de meliloto, diachyli an.* ʒjſ *corti. cappar., ceterach ſicci & pulv. an.* ʒij. *ſem. viticis, rad. tamariſci an.* ʒſ. *cum ol. lilior. q. ſ.* F. Emplaſtrum *extendendum ſuper alûta.*

Cibi in diætâ ſint attenuantes, aperientes, panis bene fermentatus, cappares ſint in frequenti uſu; cibi condiantur hyſſopo, roremarino, ſalviâ, cinamomo, ſem. fæniculi, aniſi, ſinap., petroſelino, endiviâ, cichoreo. *Potus* ſumatur ex poculo facto ex ligno tamariſci: ſi illud deſit, pulvis ligni tamariſci, in nodulo, ſuſpendatur in potu.

MEDI-

XXI.

MEDICATIO VIRI, SCIRRHO LIENIS LABORANTIS.

Vir 40. annorum, melancholicus, crassis alimentis & aquæ gelidæ potu usus, sensit per duos menses, in hypochondrio sinistro, dolorem, cum gravitatis sensu conjunctum. Malo deinde aucto, paulatim ibi obortus est tumor adeo durus, ut tactu facile deprehendatur. Nec crurum ulcera, nec gingivas exesas, nec halitus fœtorem habet.

Afficitur in hoc ægro *lien*: quod ex præcedente sinistri hypochondrii dolore gravativo, & secuto ibidem tumore duro, est manifestum.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies melancholica & dura lienis; quæ in sinistro hypochondrio duritiei & extuberantiæ sensum faciens. *Scirrhus lienis* vulgò appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi fuit alimentorum crassorum & gelidarum aquarum usus. Inde enim multi crassi & melancholici, circa viscera, & in vasis, geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in lienem delata, ibique impacta, eique inhærens, *continens* hujus morbi, & symptomatum est causa.

Cum enim crassi illi & melancholici humores ad lienem primum deferrentur, ortus fuit ex eorum quantitate, lienem distendente, & gravante, *dolor in hypochondrio sinistro cum gravitatis sensu conjunctus*. Cum vero paulatim major melancholicorum humorum quantitas in eo colligeretur, eaque arctius in ejus poros compingeretur, paulatim natus est *durus in liene tumor, tactu manifestè observabilis.*

Morbus hic, ob craſſitiem materiæ morbificæ & anguſtos lienis poros, difficillimè tolli poterit. Spes tamen non omnis decollavit; cum malum non ſit inveteratum, *nec ulcera crurum, nec oris fœtorem, nec gingivas exeſas* produxerit: inde enim colligitur nondum malum eo proceſſiſſe, ut valde pravi humores in corpore noſtri ægri ſint geniti.

Diligentiſſima itaque *Curatio* hic erit adhibenda: *quæ* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, continentis, intemperiei, & tumoris duri ablatione conſiſtet.

Primò itaque ſumat tale purgans:

℞. *electuarii diacatholici* ʒvj.
confect. hamech. ʒiij.
ſyr. de epithymo ʒß.
aq. decoctionis hordei ʒiij. *M. F.* Hauſtus, *ſubinde repetendus.*

Ubi purgatus fuerit, utatur his tabellis aperientibus & corroborantibus.

℞. *ſpec. diarhod. abbatis, pulveris diacapparum an.* ʒij.
roſatæ novellæ ʒj.
ſacchari in aq. bugloſſæ diſſoluti q. ſ. f. Tabellæ, *quarum* ʒiij. *ſumat jejunus, tribus horis ante paſtum.*

Et ſimul illinatur regio lienis tali unguento:

℞. *unguenti dialthææ* ʒj.
ol. rutacei, de capparibus, an. ʒij. Miſce.

Poſtquam per aliquot dies uſus fuerit prædictis tabellis, utatur deinde tali apozemate:

℞. *rad. capparum, tamariſci, filicis an.* ʒß.
herb. ceterach, capill. Veneris, agrimoniæ, filipendulæ, chamædryos an. m. j.
ſem. agni caſti, portulacæ, endiviæ, an. ʒjß.
flor. geniſtæ p. j.
epithymi, rad. polypod., fol. ſennæ an. ʒj.
uvar. paſſar. ʒſ. *glycyrrizæ raſ.* ʒij.

decoq.

decoq. in aq. com. ad lib. j. *In Colatura dissolve syr. de cichorio cum rabarb.* ℥j*ss.*

M. *F.* Apozema, *pro tribus dosibus, mane sumendis.*

Magnæ etiam efficaciæ erit hujus decocti usus, per 15 dies continuatus:

℞. *rad. filicis* ℥ ß.
cuscutæ ʒij.
decoq. in vini albi generosi ℥viij,
ad tertiæ partis vini comsumtionem : Colatura detur mane jejuno ventriculo, continuando, ut jam dictum est.

Interea temporis foveatur hypochondrium sinistrum tali fomento, mane & vesperi:

℞. *rad. althææ* ℥j. *cappar., tamarisci an.* ℥ß.
herb. ceterach, althææ, an. m. j.
flor. centaur. min. m. ß.
bulliant in aceti & olei q. s. & Colentur pro fotu, *spongiis adhibendo.*

Post fotum adhibeatur tale unguentum:

℞. *æsypi, axungiæ gallinæ, ol. amigdalar. dulc. an.* ℥j.
ol. camomillor., de capparibus an. ℥ß.
Misce F. Unguentum, *mane & vesperi adhibendum.*

Maximæ etiam utilitatis in hoc affectu est hoc unguentum:

℞. *ol. caparum,* ℥j.
liliorum., amygdalar dulc., camomillor.
butyr. recentis an. ℥ss.
succi bryoniæ, cyclaminis an. ʒv.
bulliant ad succorum consumtionem, addendo gummi ammoniaci in aceto dissoluti ʒij *s. pingued. gallinæ, crurum vituli, æsypi humidæ an.* ℥ss.
pulv. rad. capparum, ceterach, rad. filicis an. ℥j.
sem. agni casti, genistæ an. ℈j. *ceræ parum* F. Unguentum.

In

In *diæta Aër* sit purus & temperatus. *Cibus* boni succi, attenuandi vi præditus : abstineat à duris & crassis ; utatur capparibus. *Potus* sit vinum & cerevisia bene defæcata. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Somnus* sit moderatus. Moderata exercitia. *Fugiat* tristitiam.

XXII.

MEDICATIO VIRI,

LIENTERIA

LABORANTIS.

Vir 36 annorum alimentis frigidioribus & humidioribus diu usus, incidit in affectum, quo alimenta assumta jam à quatriduo, ferè non concocta & liquida, minimeque alterata, per alvum, cum materiâ quâdam pituitosâ admixtâ, ilico celeriter & copiosè reddit. Non febricitat, nec sitit : sed acidos subinde ructus emittit. Magnam totius corporis jam in motu sentit debilitatem ; magnopere etiam pallet.

Afficiuntur in hoc ægro *ventriculus & intestina* ; quod ex inconcoctorum alimentorum per alvum excretione patet. Afficitur etiam *totum corpus* ; quod ex debilitate motus & pallore totius corporis est manifestum.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, est intemperies frigida, humida sive pituitosa, & acris, ventriculi & intestinorum ; quæ alimentorum assumtorum, & quam minimè alteratorum, cum materiâ quâdam pituitosâ admixtâ, excretionem celerem, copiosam, & frequentem, per alvum, efficiens, *Lienteria* vulgò appellari solet.

Causa unde hæc primùm originem duxit, fuit diutinus alimentorum frigidorum & humidorum usus. Hinc enim ventriculus & intestina intemperiem frigidam & humi-

dam

dam contraxerunt; quæ paulatim ita est aucta, ut alimenta fere penitus concoquere non possint; eaque in illis existentia acrimoniam quamdam in ipsis acquirant, quâ ventriculus & intestina vellicata, & multos poros in cerebro aperientia, per copiosum spirituum ad ea ex cerebro affluxum, ad excretionem celerem copiosam & frequentem, mox ab alimentorum assumtione, per inferiora faciendam, stimulantur. Atque hinc *alimentorum non concoctorum fit cum pituitosâ materiâ frequens celeris & copiosa excretio.*

Et quia debilitatus ventriculi & intestinorum calor alimenta nonnihil immutat, & in acorem convertit, hinc *acidi ructus ab ægro subinde emittuntur.*

Propter magnam illam alimentorum cruditatem, copiosamque eorum excretionem, deficit dissipationis spirituum & substantiæ corporeæ ac sanguinis debita reparatio; atque hinc, ex defectu spirituum & sanguinis, *magna adest ægro in corpore movendo debilitas, & pallor totum corpus occupat.*

Morbus hic valde periculosus est: nisi enim cito curetur marasmum & consumtionem lethalem inducere solet.

Celerrimâ itaque *Curatione*, *quæ* in intemperiei & fluxus istius per contraria ablatione consistet, erit impugnandus.

Primò itaque utatur tali syrupo:

℞. *syr. de absinthio, de mentha,*
oxymelitis simpl. an. ℥j.
aq. stillat. fæniculi, absinthii an. ℥iij.
Misce pro 2 dosibus, *mane & vesperi sumendis.*

Postridie purgetur his pilulis:

℞. *pil. mastichin, alephangin. an.* ʒs.
cum syr. de mentha q.s. Fiant pilulæ No. IX.
mane jejuno ventriculo sumendæ.

Si à pilulis abhorreat, utatur tali hausto purgante:

℞. *myrobalan. chebular.* ʒiij.
ebulliant in q.ſ. aq. abſinthii.
expreſſioni add. ſyr. ex infuſ. roſ. pallid. cum agar. ℥j.
ſpec. hieræ picræ gr. xv. *Miſce* F. Potio.

Sequenti die mane ſumat theriacæ veteris ʒj.
Eaque doſis per aliquot dies reiterari poterit.
Et ſubinde cochleare ſumat de hoc ſyrupo:

℞. *ſyr. de mentha, de abſinthio an.* ℥j *ſ.*
pulver. cinnamomi ʒj. *Miſce.*

Interim inungatur ventriculi regio tali unguento:

℞. *ol. abſinthii, nardini, maſtichini an.* ℥ſ.
pulv. menthæ ſiccæ, cariophyllor. indicor., nucum cypreſſ., maſtiches, acaciæ an. ʒiſ.
maceris ℈ſ. *ceræ parum* F. Unguentum.

Et poſtea imponatur tale ceratum:

℞. *maſtiches* ℥ſ. *ladani* ʒij.
pulver. menthæ, cariophyll., acaciæ, nuc. cypreſſ. an. ʒſ.
calami arom., galangæ, corall. rubr. an. ℈j.
ol. menthacei, ceræ & reſinæ q. ſ.
F. Ceratam *corio inducendum, & ventriculi regioni imponendum.*

Cibus ſit euchymus & eupeptus, ex carnibus pullor. gallinaceorum, agnorum, perdicum, & pyris, cydoniis; iſque condiatur ſemine aniſi, cinnamomo, cariophyllis. *Potus* ſit vinum generoſum ſubadſtringens, cereviſia generoſa. Sæpe, & parum alimenti, ſumatur. Potus ſit parcus. *Corpus* in quiete contineatur. *Somnus* ſit longior,

MEDI-

XXIII.

MEDICATIO FOEMINÆ,

DIARRHÆA BILIOSA FATIGATÆ.

Fœmina triginta annorum, bilioſa, multo allio, porro, aliiſque bilioſis alimentis, aliquamdiu uſa, incidit in copioſum & frequentem alvi ſeceſſum; quo multa liquida, bilioſa, crocea, & rufa, jam per multos dies, cum dolore ſatis magno, excernit; unde jam non tantum corporis laſſitudo, ſed magna etiam extenuatio ægræ noſtræ eſt orta.

Afficiuntur in hac fœminâ inteſtina; ut frequens ille alvi ſeceſſus, cum dolore conjunctus, evidenter docet: nec non *totius corporis habitus*; quod ex ejus extenuatione patet.

Morbus, qui eam affligit, eſt intemperies inteſtinorum bilioſa & ſeroſa, ac nimis laxa & rara; quæ, per inferiora frequentem & diuturnam bilioſæ & acris materiæ excretionem, cum magno dolore conjunctam, excitans, *Diarrhæa bilioſa* appellatur.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt frequens bilioſorum alimentorum uſus; quo multi humores bilioſi in corpore, & præſertim in vaſis, circa inteſtina exiſtentibus, geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam: ea verò ex diutinâ morâ magnam acrimoniam adipiſcens, illâque inteſtina vellicans, & poros eorum nimium aperiens, *continens* hujus morbi & ſymptomatum eſt cauſa.

Ex vellicatione enim illâ motus talis nervo ſextæ conjugationis, inteſtinis implantato, imprimitur, ut ille, ad cerebrum delatus, iſtos in eo aperiat poros, qui in fibras inteſtinorum obliquè deſcendentes ſpectant; quo à ſpiri-

tibus, ex cerebro in obliquas illas fibras copioſè fluentibus, eaſque contrahentibus, inteſtina verſus inferiora ita contrahuntur, ut *bilioſa illa ac acris ſeroſaque materia excrementitia*, ibi reſtagnans & genita, vel à toto corpore per inteſtinorum poros, nimium hic apertos, eò à corde per ſanguinis circulationem propulſa, *magno cum dolore*, ab excrementorum inteſtina rodentium acrimoniâ orto, *ſubinde frequenterque per podicem ejiciatur.*

Et quoniam, cum materia illa excrementitia, etiam humores ac ſpiritus utiles, magnâ copiâ, jam per multos dies excernuntur, hinc *corporis laſſitudo*, ob ſpiritus animales inde deficientes; *atque ejus extenuatio*, propter juſti alimenti hinc defectum, ægram noſtram tenet.

Metus eſt, ne hic morbus in dyſenteriam, vel corporis conſumptionem lethalem abeat: ideoque tempeſtivè *Curatio* ejus ſeriò aggredienda.

Eaque conſiſtet in pravorum humorum evacuatione & intemperiei per contraria correctione.

Primò itaque præſcribatur tale apozema:

℞. *rad. cichorii* ℥ſ. *taraxaci, ſymphyti, fæniculi, petroſelini, tormentillæ an.* ʒiij.
herb. acetoſæ, portulacæ, plantag. an. m. j.
ſem. 4. frigidor. major. an. ʒij.
aniſi, fæniculi an. ʒj.
hordei toſti ℥j ſ.
decoq. in aq. com. ad lib j. *in Colatura diſſolve ſyr. cydoniorum, de cichorio ſimpl. an.* ℥j.
Miſce. F. Apozema, *de quo ſumat hauſtum bis in die, mane & veſperi.*

Porro, ubi eo, uno atque altero die, uſa fuerit, purgetur hoc medicamento:

℞. *myrobalan. citrin.* ʒij.
rabarb. ʒj. *ſpicæ* ℈ſ.

infunde

infunde per noctem in aq. cichor. & acetos. an. q. s. mane fortissimæ expressioni adde syr. ex infus. ros., de succo cichorii an. ℥ss.

Misce. F. Haustus, *manè exhibendus.*

Vesperi post purgationem sumat lib. ß. lactis amydalati cum ʒiij. syr. de papavere.

Ubi malum perseverat purgetur drag. j. pulveris rabarb. dissoluti in aq. cichor. q. s. cui adde syr. cydonior. vnc. j. & vesperi post purgationem exhibeantur laudani opiati gra. iv.

Ubi materia ita evacuata fuerit, ad magis adstringentia perveniendum; atque ideò utatur hoc condito:

℞. *conserv. rosar. antiq.* ʒvj.
croci Martis ℈j.
pulv. rosar. rubr. ʒj. *coralli rubr. subtil. pulv.* ʒs.
boli armenæ veræ ℈ij. *rob. de ribes* ℥ss.
cum syr. myrtyllor. q. s. F. Conditum, *quod exhibeatur quatuor dosibus, vel exhibeatur subinde quantitas castaneæ majoris.*

Ante cibum etiam sumat diacydonii sin. spec. ʒj. & venter mane & vesperi inungatur oleo myrtin., cydon., & rosar., omphacino inter se mixtis.

In *diæta*, *Aër* ad frigidum accedat. *Cibus* sit facilis digestionis, & adstrictoria facultate præditus; ex carnibus avium montanarum, vitulinis, vervecinis, succo arantiorum & limonum conditis, piscibus saxatilibus, panatellâ ex tenui cerevisia cum pane parum tosto. *Potus* sit vinum rubellum & cerevisia tenuior bene defæcata. *Corpus* quiescat, *Somnus* sit longior. *Fugiat* vehementiores animi affectus.

XXIV.

MEDICATIO VIRI, ALVO ADSTRICTA VEXATI.

VIr triginta annorum, temperamento melancholicus, jam à multis annis, alvum adſtrictam habet; ita ut non niſi tertio vel quarto quoquo die excrementa ſicciora ac duriora, & ſtercoris caprini, figurâ rotundâ, ſimilia, excernat. Perpetuo ferè dolore capitis torquetur, & ventriculi coctione difficiliori ac cardialgia: quæ nonnihil levantur, ubi alvus nonnihil eſt laxior. Sæpe emittit ructus acidos, & cibi in acidum nidorem convertuntur; unde ſæpe ipſi acidorum oritur vomitus.

Afficiuntur in hoc ægro *inteſtina*, quod ex tarda eorum evacuatione: item *ventriculus*, quod ex difficili coctione; item *caput*, quod ex perpetuo ejus dolore patet.

Morbus, qui eum torquet, eſt intemperies ventriculi & inteſtinorum ſicca & acida atque adſtrictoria, ſive vitriolacea & aluminoſa; quæ tardam alvi excretionem, acidamque cibi corruptelam inducens, *Alvus adſtricta* nuncupatur.

Cauſa continens adſtrictionis alvi eſt ſuccus quidam acidus & acerbus, ex acidis ructibus & evomitionibus hic ſeſe manifeſtans; qui circa ventriculum & inteſtina exiſtens, ibique propter melancholicum eorum temperamentum genitus, acerbitate ſuâ fibras eorum obliquè deſcendentes, quibus alvi excretio per ſpiritus in eas influentes perficitur, claudit. Dum itaque *fæces* diutius in inteſtinis hærent, ex diutina illa mora diſſipatur ex iis omnis humiditas, atque *hinc fiunt ſiccæ*; eæque per eorum motum *diſtractæ*, & *in globulos*, *inſtar ſtercoris caprini*, *formatæ*, *tertio quoquo*

quoquo die, propter magnam illam fibrarum obliquè descendentium adstrictionem, tandem ab earum magnâ copiâ & acrimoniâ superatam, *excernuntur*.

Quia verò, ex diuturnâ illa fæcum in intestinis morâ, multæ earum partes acres & fæculentæ, tum ad ventriculum per exhalationem; tum ad caput, per ingressum in venas mesaraicas, & inde in cor, & porro ad cerebri membranas per translationem deferuntur, hinc oritur difficilis illa in ægro nostro *ventriculi concoctio*, *cardialgia*, *ac acidorum vomitus*; *nec non capitis dolor*: quæ *omnia levantur, ubi fæculentæ illæ partes*, ob alvum laxiorem, interdum *copiosius evacuantur*.

Metus est, ne hic morbus viscerum abdominis magnas inducat obstructiones, earumque coctiones magnopere lædat, ac symptomata jam præsentia valde augendo, indies molestior evadat, aliosque graves morbos pariat.

Atque ideo diligenti *Curatione*, quantum poterit, est tollendus vel imminuendus: *eaque* in intemperiei intestinorum correctione, & acidæ acerbæque istius materiæ, per blanda medicamenta, attemperatione, & evacuatione, consistet.

Primò itaque utatur cibis alvum lubricantibus, humectantibus, & acidos acerbosque humores temperantibus, ac detergentibus; ut atriplice, malvâ, spinachiâ, blito, oleo, lacte, & butyro, item passulis, ficubus, betâ, & brassicâ.

Utatur etiam subinde clysteribus lenibus & humectantibus; vitet clysteres acres & fortes. His enim intestina ita indurantur & occallescunt, ut illa postea nihil sponte, & sine clysterum auxilio, excernant.

Utilis etiam est ad eundum finem seri lactis, cum pauxillo mellis, usus.

Inter medicamenta utilissima sunt pruna laxativa No. quatuor vel quinque; vel ex massa aloes, cui nonnihil sp. hieræ

hieræ est additum, quantitatem avellanæ, immediatè ante prandium vel cœnam, deglutire.

Vel simili modo utatur hac massa pillularum:

℞. *aloës pellucidæ* ℥ſ.
gummi ammoniaci purissimi ʒjſ.
sp. diacarthami ʒj.
tartari vitriolati ʒſ.
omnia pulverisata incorporentur cum syr. ros. sol. q. s. in massam, *ad pilulas formandas aptam, quæ illigetur vesicæ suillæ ol. amygdal. dulc. illitæ, & pixidi ligneæ includatur. Sumat horâ unâ ante cœnam pil.* j. *ad majoris avellanæ magnitudinem.*

Exercitiis mediocribus sese exerceat: & servet *corporis statum statarium* potius, quam sedentarium. *Somnus* sit longior. Vitet *tristitiam.*

XXV.

MEDICATIO JUVENIS,

CHOLERA

CORREPTI.

Juvenis quidam temperamento biliosus, dulcibus & pinguibus vesci solitus, cum in eâdem mensâ æstivo tempore cæpis, peponibus, raphanis, aromatibus, & vino generoso largius usus fuisset, cæpit à cœna, cum se ad somnum composuisset, nauseam cum dolore pungente & anxietate, circa ventriculum & reliquum abdomen, sentire. Paulò post subsecutus est vehemens vomitus, & alvi per inferiora evacuatio; quibus tanta copia humorum corruptorum & biliosorum, cum flatibus, torminibus, & magnâ angustiâ, per vices fuit ejecta, ut jam æger valde sitiat, animique deliquiis, exsudationibus, & magna virium imbecillitate affligatur. Affici-

Afficitur in hoc ægro *ventriculus cum inteſtinis*, ut ex nauſea, vomitu, alvique copioſo ſeceſſu eſt manifeſtum: afficitur etiam *cor & habitus corporis*, ut ex animi deliquiis, & ſudoribus, ac virium illa imbecillitate patet.

Morbus, qui eum affligit, eſt intemperies ventriculi & inteſtinorum bilioſa, & nidorulenta, ac corrupta; quæ nauſeam, vomitum, alvique ſeceſſum copioſum, ac animi deliquia inducens, *Cholera* vulgò appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt uſus alimentorum pinguium & dulcium, antehac ab ægro noſtro frequenter uſurpatus; item larga illa cæparum, peponum, raphanorum, aromatum, & vini generoſi in eadem menſa aſſumptio. Hinc enim magna bilioſorum & acrium humorum copia, in corpore ejus genita, *Antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Eaque corrupta, & vehementius circa ventriculum & inteſtina, item in eorum & reliqui corporis vaſis, ebulliens & efferveſcens, *Continens* hujus morbi & ſymptomatum eſt cauſa.

Nam hinc *ventriculus* irritatus primùm *nauſeam & ad vomendum proclivitatem*, *magnamque anxietatem*, per inordinatum ſpirituum, in ventriculum, inteſtina, & cor, ex cerebro defluentium, influxum *induxit*. Aucto verò hinc illo ſpirituum, in illarum partium fibras, tum obliquè adſcendentes, tum deſcendentes ruentium, inordinato influxu, *mox etiam* per fibrarum iſtarum contractionem, *ſubſecutus eſt vehemens vomitus, & alvi per inferna evacuatio; quibus humores acres, corrupti, & efferveſcentes, tum* à corde ex arteriis cæliacis & meſaraïcis in ventriculum & inteſtina propulſi, *tum* in iis antea collecti, *tanto impetu*, *tantâque copiâ per vices, cum multis flatibus & torminibus*, à magna illa humorum efferveſcentia ortis, *fuerunt evacuati, ut*, diſſipatis & expulſis, per magnam evacuationis iſtius vim, ſpiritibus & humoribus utilibus, *æger jam animi deliquiis*, *exſudationibus*,

nibus, & ſiti, magnoperè torqueatur.

Morbus hic *eſt valde acutus*, *ac* proinde *periculoſiſſimus*: metus enimeſt, ne ex humorum perturbatione, & ſpirituum humorumque evacuatione magna, æger ſubitò per lipothymiam vel convulſionem exſtinguatur.

Curatio itaque mox ſedulò inſtituenda: *eaque* in humorum deterſione, alteratione, & evacuatione, ac ſymptomatum mitigatione conſiſtet.

Primò itaque, cum etiamnum adſit nauſea, humores ita detergantur, alterentur, & blandè educantur:

℞. *hordei toſti. m. j. ſ.*
Decoque in aqua chalybeata ad tertiæ partis conſumptionem,
pro lib. j. *Colaturæ adde,*
ſyr. cydonior., acetoſitat. citri an. ℥ij ſ.
ſyr. de mentha. ℥ſ.
Miſce. F. Julapium, *de quo frequenter aliquid exhibeatur.*

Interea temporis frictiones & ligaturæ fiant brachiorum & crurum, ſubinde ſolvendæ; ut iis fluxus humorum ad ventrem nonnihil ſufflaminetur.

Poſt abſterſionem leniter factam, & ubi materia corrupta ſic ſatis evacuata fuerit, exhibeatur hoc electuarium corroborans:

℞. *conſervæ roſar. antiq.*
radic. cichor. an. ℥j ſ.
rob de ribes, carnis cydonior. an. ℥ſ.
ſem. acetoſæ, citri, pulv. an. ℥ſ.
cornu cervi uſti præp. ℥j ſ.
cum ſyr. de acetoſitate citri q. ſ. F. *Electuarium*, de quo ſumat frequenter quantitatem caſtaneæ majoris.

Ubi per diem unum & alterum ſymptomata vehementiora quieverint, blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis, ſi quæ ſuperſint, educi poterunt.

In

In *victus* ratione, *Aër* ad frigidum paululum declinet. *Cibus* sit ex ovis sorbilibus, carnibus gallinarum, vervecum. Parum autem alimenti admittat, donec vehementiora symptomata mitigata fuerint. *Potus* sit cerevisia tenuis. *Quies* corporis imperetur. *Somnus* omni ratione conciliandus. *Vitetur* ira, mœstitia, sollicitudo.

XXVI.

MEDICATIO JUVENIS,

DYSENTERIA EPIDEMICA LABORANTIS.

Juvenis 25. annorum biliosus, diarrhœam biliosam per tres dies tempore dysenteriæ epidemicæ, cum virium jacturâ, ex frequentioribus dejectionibus ortâ, passus, sanguinolenta spermatique ranarum simillima jam frequenter excernit excrementa. Adsunt dolorosa ventris tormina, tempore excretionis potissimum molesta. Pulsum habet justo celeriorem, caloremque totius corporis acrem ac febrilem. Siti, anxietate, & vigiliis magnopere inquietatur.

Afficiuntur in hoc ægro *intestina*, ut ex sanguinolenta per anum copiosa excretione, torminibus dolorosis conjunctâ, est manifestum. Afficitur etiam *cor & totus corporis habitus*; ut ex pulsu celeri, & acri ac febrili totius corporis calore, ac siti, patet.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies intestinorum acris, biliosa, & putrida; quæ eorum tunicam abradens & erodens, sanguinemque & materiam spermati ranarum similem in capacitatem eorum effundens, ipsaque ad eorum excretionem frequentem & dolorosam irritans, febremque inducens, *Dysenteria*, febri comitata, appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est aëris intemperies acris & maligna, à qua, in pulmones per inspirationem delata, sanguis in iis existens simili qualitate & intemperie fuit infectus, qui deinde cor ingressus, & inde per totum corpus dispersus, *Antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò istius infecti sanguinis in intestinis à reliquo sanguine separata, ibique putrescens, & acrimoniam sufficientem adipiscens, intestinaque erodens & abradens, *Continens* hujus morbi & symptomatum est causa.

Putredine enim, perpetuò ad cor veniente, *accendit febrim, anxietatem, totius corporis ardorem acrem, pulsum celerem, sitim, & vigilias molestas inducentem.* *Acrimoniâ* verò abradens & corrodens intestina, eaque ad excertionem, per spirituum animalium in fibras obliquè descendentes influxum perficiendam, vellicans, *excitat excrementorum, spermati ranarum visciditate & colore similium, nec non sanguinolentorum excretionem, dolore & torminibus, excretionis tempore, ob* humores tum eò maximè fluentes, *potissimùm infestantibus, comitatam.*

Metus est, ne hic intestina ab acrimonia materiæ peccantis ita exedantur, ut vasis mesaraicis corrosis, sanguis tantâ copiâ effundatur, quæ ægro nostro vitam adimat.

Curatio itaque sedulò instituenda; *eaque* in materiæ acris detersione, evacuatione, & attemperatione, intemperieique reliquæ correctione, ac intestinorum erosorum consolidatione consistet.

Primò itaque præscribatur talis haustus purgans:

℞. *rhabarbari tosti & pulverisati* ℈iiij.
syr. ros. solut. ℥j *s. aquæ hordei tosti* ℥ij.
Misce. F. Haustus, *mane exhibendus.*

Evacuatione peractâ, sub vesperam, ad acres humores, febrilemque calorem temperandum, utatur sequenti potione

℞. *aquæ*

℞. *aquæ acetoſæ, fragariæ, folior quercus an.* ℥iij.
pulv. nucis moſchatæ. cinnamomi, ſantal. citr., an. ℈ſ.
Coquantur levi ebullitione. Colaturæ adde
ſyr. de acetoſitate citri ℥j. *myvæ cydon.* ℥ij.
Miſce. F. Potio, *qua utatur ad libitum.*

Sequenti die, pro ulteriore deterſione, utatur decocto hordei toſti chalybeato; & ſimul pro corroboratione & refrigeratione præſcribatur ſequens conditum:

℞. *conſervæ roſar. antiquæ* ℥jſ.
diacydonii ſimpl. ℥ij.
nucis moſchatæ condit. ʒj.
ſpec. diarrhod. abbat. ʒſ.
Cum ſyr. de acetoſ. citri. F. *Conditum*, de quo ſumat frequenter magnitudinem caſtaneæ.

Circa quintum aut ſextum morbi diem injiciatur *Clyſter* talis abſtergens, refrigerans, & adſtringens:

℞. *rad. tormentillæ* ℥ſ.
herbar. plantaginis, endiviæ, lactucæ an. m. j.
flor. roſar. rubr. m. ij.
Coque in ſ. q. aquæ hordei toſti ad ℥xv. *quibus colatis adde*
ſacchari rubri ℥j. *mel. roſat. colati* ℥jſ.
vitell. ovi No. j. Miſce F. Clyſter.

Hic ubi per biduum ſingulis diebus ſemel injectus fuerit, & inteſtinorum exulceratio ſatis deterſa, majoris adſtrictionis & conſolidationis cauſâ, talis clyſter viciſſim per biduum, ſingulis diebus ſemel, erit injiciendus:

℞. *rad. tormentillæ* ℥ſ.
herbar. plantag., ſaniculæ, burſæ paſtoris an. m. jſ.
portulacæ m. ij.
folior. rubi, quercus an. m. j.
ſem. plantag., ſumach, oryzæ an. ʒjſ.
Coq. in ſ. q. lactis chalybeati ad ℥xv. *Colaturæ adde ſevi hircini* ℥j. *ſucci acaciæ, hypocyſtidis an.* ʒj

vitell. ovor. N. ij Miſce F. Clyſter.

Ubi per biduum eo uſus fuerit, aſſumenda erunt per os varia adſtringentia, quale eſt hoc electuarium:

℞. *conſervæ roſar. antiq.* ℥ſ.
croci martis, corallor. rubr., boli armeni, terræ ſigill. an. ʒj
ſem. plantag. toſti ʒj ſ.
Cum ſyr. de roſis ſiccis q. ſ. F. Electuarium, *de quo aliquoties in die ſumat caſtaneæ quantitatem.*

Venter foris inungatur unguentis adſtringentibus & corroborantibus.

In diæta *Aër* ſit temperatus. *Cibus* ſit ex jure carnium, acetoſâ, endiviâ, & portulacâ alterato, cum pauco panis candidi benè fermentati; item puls ex oryza. *Potus* ſit cereviſia tenuis, & vinum rubellum adſtringendi vim habens. *Quies* imperetur, *Somnus* concilietur: & *Animi affectiones* triſtes, aliique vehementes, ablegentur.

XXVII.

MEDICATIO CHOLERÆ,

Ab Arſenico Ortæ.

ANcilla ab herâ, ad pharmacopolium, cornu cervi, ad vermes inteſtinorum necandos, emendi cauſâ miſſa, attulit (ſuâ, incertum, an alienâ culpâ) arſenicum; illudque cum rob de ribes mixtum, à matre, rei hujus inſciâ, duobus liberis, poſt cœnam cubitum ituris, fuit exhibitum. Paulo poſt uterque puer incidit in magnam ſitim, ſtomachi ardorem, ventriculi & inteſtinorum roſiones, acutiſſimum dolorem inferentes; quem jam ſecutus eſt vomitus magnus, alvique copioſus ſeceſſus.

Afficitur in his pueris *ventriculus*; & præterea *inteſtina*: quod

quod sitis, ventriculi ardor, intestinorum rosiones, vomitus, & alvi copiosus secessus, satis evidenter docent.

Causa hujus morbi *remota* fuit ancilla, quæ arsenicum, loco pulveris cornu cervi, attulit; *proxima* vero fuit mater, quæ, culpæ commissæ inscia, arsenicum illud, pro pulvere vermibus necandis apto, liberis suis exhibuit. Idque innotuit ex diligenti inquisitione; quæ, occasione vehementissimorum symtomatum, in historia superius commemoratorum, & post hujus pulveris sumtionem subitò apparentium, in pharmacopolio postea fuit facta.

Morbus, qui eos affligit, est intemperies calida acris & corrosiva ventriculi & intestinorum; quæ ab arsenico assumto orta, materiæque acris copiosum vomitum, & excretionem multam per inferiora efficiens, aliaque commemorata gravia symptomata producens, *Cholera arsenicalis* est dicenda.

Intemperies hæc vulgò deleteriæ & occultæ qualitatis vitium esse dicitur. Verùm cum ea in manifestissimo particularum arsenici acumine, quo illæ instar pulveris vitri scindunt; & præterea in vehementissima incalescendi vi, qua illæ, in modum calcis vivæ, urunt, & partes contactas incendunt, revera consistat; atque hinc *sitim magnam, stomachi ardorem, ventriculi & intestinorum acutissimas rosiones*; ac præterea *excretionem rerum acrium, per vomitum & alvi secessum*, jam manifestè producat; &, nisi remedia tempestivè adhibeantur, *singultum, spasmum, & ipsam mortem*, hac manifestâ suâ acrimoniâ & caliditate, sit productura; nullam causam video, cur non hic in manifesta hujus morbi intemperie subsistamus.

Morbus hic cum à causâ vehementissimè agente, gravissimaque symtomata inducente; &, ni ei mox obviam eatur, graviora etiamnum inducturâ, originem ducat; *in maximo vitæ periculo* versantur hi pueri.

Ce-

Celerrimâ itaque *Curatione* ſuppetias ipſis veniendum: *quæ* in arſenici evacuatione, & in ejus reliquiarum acrimoniæ & caloris attemperatione, & in corroſionis ablatione conſiſtet.

Singulis itaque eorum mox exhibeatur tale vomitorium; quod ſimul acrimoniam veneni retundet, & leniet, atque evacuabit:

℞. *conſervæ aſari* ʒv.
contundantur in mortario marmoreo,
addendo aq. decoct. hord. ℥ij.
& exprimatur per linteum
ſuccus, cui adde olei amigdalar.
dulc. recentis ℥j.
Miſc. F. Vomitorium.

Interea temporis, dum hoc medicamentum præparatur, ut etiam poſtea quovis tempore, uterque liberaliter ſubinde bibat cereviſiam in quâ copioſum butyrum eſt liquatum; eâ enim ratione & evomitio arſenici procurabitur, & acrium & ſcindentium ac corrodentium ejus particularum acies, per ramoſas & plicabiles butyri & olei partes, implicabitur, & obvolvetur; ejuſque roſio & ſciſſio calefactioque impedietur: præſertim cum iſtâ pinguedine etiam ventriculus, & inteſtina, aliæque partes, ſint obducendæ, eâque adverſus corroſionem, tum factam, tum faciendam, muniendæ.

Ubi per vomitum purgati fuerint, exhibeatur ſingulis hoc medicamentum, ad eundem ſcopum:

℞. *olei amygdalarum dulcium* ℥iij.
theriacæ andr. ℈ij. Miſce.

Ad ſitim leniendam hac utantur ptiſana:

℞. *hord. mund. m.* j. *liquir. raſ., paſſular. an.* ℥ſ.
malvæ m. j. *ſem. malvæ* ʒij.
Coq. in aq. comm. ad lib. j. *ſ. poſtea colentur*

pro

pro Ptisanâ.

Subinde etiam sumant de hoc syrupo:

℞. *Syr. acetositatis citri* ℥iij.
violacei ℥j, Misce.

Ad veneni hujus partes implicandas & frenandas magnopere etiam conducent sequentes tabellæ:

℞. *crystalli veri,*
margaritarum an. ʒj.
Contundantur, & postea terantur super marmore in alcohol, sive pulverem omni asperitate orbatum; deinde cum sacchari albi ℥iij, *in s. q. aq. melissæ solutis*, F. tabellæ.

Itaque de his *dragmæ quantitas per vices subinde ipsis exhibeatur.*

Item magnopere hîc conducit crystalli alcohol, ad ʒj. quantitatem cum oleo amigdal. dulc. recenti exhibitum.

Lixivium sarmentorum per os assumtum etiam summopere hic prodest: cum salinæ ejus particulæ, cum arsenici particulis acutis, instar pectinum sibi mutuo implicatorum ita inter se contexantur, ut mutuas acies abscondant, atque ita vehementiores punctiones impediant.

Postridie ad excretionem reliquiarum veneni, si tormina adhuc adsint, singuli puerorum sumant ʒv cassiæ recenter extractæ, in forma boli.

Tumque in reliquis remediis etiam perseverandum.

Inter *alimenta* exhibeantur lac, oryza, jusculapinguia, butyrum, malva, portulaca; vitentur omnia alimenta acria,

XXVIII.

MEDICATIO VIRI,

COLICO DOLORE,

Ab humoribus frigidis & acribus,

EXCARNIFICATI.

VIr quadraginta annorum, otio deditus, pituitosus incidit subito in vehementissimum totius ventris dolorem, qui subinde in varias abdominis partes divagatur. Adest nausea, & sæpe etiam pituitosorum vomitus; qui dolorem tamen hactenus non levavit.

Afficiuntur in hoc ægro *ventriculus & intestina*: ut ex nausea, vomitu, & doloribus abdominis vagis, est manifestum.

Morbus, quo æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum pituitosa acris & flatulenta; quæ nauseam, vomitum, & vehementem illum abdominis dolorem vagum excitans, *Dolor Colicus* pituitosus acris & flaculentus appellari consuevit.

Causa prima hujus morbi est otium & temperamentum pituitosum nostri ægri. Hinc enim multa pituita in corpore ejus genita, & cum sanguine mixta, ac in intestinis existens, *antecedentem* huic morbo præbet causam. In intestinorum Aerò & ventriculi, & præcipuè in coli tunicas & cavitatem effusa, ibique in flatus conversa, eaque acrimoniâ suâ pungens, & rarefactione distendens, & varie per illa discurrens, vomitûs, nauseæ, & doloris istius vehementis & vagi, *continens* existit causa.

Periculum est, ne hic morbus suâ doloris vehementiâ convulsionem, syncopen, vel intestinorum inflammationem inducat.

Curatio itaque therapeutica circumspectè mox adhibenda. *Eaque*

Eaque consistet in humorum pituitosorum evacuatione, flatuum expulsione & discussione, ac intemperiei per contraria correctione.

Mox itaque injiciatur talis clyster:

℞. *herb. malvæ, betæ, mercurialis an. m.* j.
rad. althææ ℥j.
flor. camomillor. p. j.
furfuris m. ß.
sem. anisi, carui, ammi an. ʒjß.
fæniculi ʒj
Decoq. in aq. com. ad lib. j. *In Colatura dissolve elect. de hiera picra, diaphænici an.* ℥ß. *sacchari rubri ol. camomil., anethini an* ʒvj. *salis com.* ʒj. *m. f.* Clyster, *mox injiciendus.*

Et oblinatur venter calidè hoc oleo:

℞. *ol. anethini. camomillor., lilior. an.* ℥ß.

Si æger clystere purgatus, à dolore non levetur, exhibeatur ipsi hic haustus:

℞. *pulv. intestinorum lupi, vel testicul. equi,* ʒj.
vini albi ℥iij. *misce, f.* Haustus.

Si dolor nihilominus perseveret, vel revertatur, in decocto prioris clysteris dissolvi poterunt aquæ benedictæ Rulandi ℥iiij, cum diaphænici ℥j, atque ita injici per anum.

Postea si etiamnum perseveret vel revertatur dolor, exhibeatur pilula facta ex gr. v. laudani opiati.

In *victus ratione, Aër* sit temperatè calidus, & abdomen calidis tegumentis bene muniatur. *Cibus* sit facilis digestionis, liquidus, minimè flatuosus, ex carnibus vervecinis, pullis gallinaceis; elixis potius, quam assis. Conveniunt hic jusculà caponum & pullorum; præsertim in quibus thymus, rosmarinus, hyssopus, origanum, apium, similiaque sunt cocta. Prandium sit parcum, cæna parcior.

Potus sit cerevisia & vinum generosum. Ante cibum, sumtum se *exerceat*; à cibo quiescat. *Somnus* sit longior solito. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Animi pathemata tristia* vitentur.

XXIX.

MEDICATIO JUVENIS, COLICO DOLORE, Ab humoribus calidis & Acribus, LABORANTIS.

Juvenis 26 annorum, biliosus alimentis calidioribus aliquamdiu usus, incidit in vehementissimum ventris dolorem, ab umbilicali regione versus inguen sinistrum præcipuè vergentem, eundemque locum servantem. Cumque ipsi vinum cum aromatibus quibusdam a mulierculis esset exhibitum, doloris cruciatus in universum fuit auctus. Jamque interna lancinari, morderi, & exuri videntur. Adest sitis, linguæ ariditas, insomnia, atque etiam urinæ in excernendo acrimonia; item nausea, & biliosorum vomitus.

Afficitur in hoc ægro *venter infimus*, & in eo potissimum, *intestinum colon*; idque ex ingenti illo dolore ventris, ab umbilicali regione, ubi colon augustius creditur, & quo potissimum vergit, versus inguen sinistrum præcipuè inclinante, est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies intestinorum, ac præcipuè coli, biliosa, sive calida & acris, vehementissimum dolorem in illis partibus vehementissimo suo motu excitans; Eaque idcirco *dolor colicus biliosus*, a symptomate, parte affecta, & causa efficiente proxima, appellari potest. Isque ex symptomatis, in historia commemoratis, innotescit.

Causa

Causa procatarctica hujus morbi est diuturnus calidiorum alimentorum usus : calidique inde in ægri corpore geniti humores *antecedentem* hujus morbi constituunt causam.

Pars verò eorum in intestina, ac præcipuè in colon propulsa, ab eoque inbibita, ibique ab aromatibus cum vino exhibitis exagitata, ac illas partes vehementius vellicans, humoresque ac spiritus in toto corpore perturbans, *intemperiei hujus calidæ & acris intestini coli, vehementissimique istius Colici doloris*, interna lancinantis mordentis, & exurentis ; *nec non omnium reliquorum symtomatum*, ægrum hunc affligentium, quæque satis facile, ex iis, quæ jam diximus, explicari possunt, *continens* est causa.

Pars enim perturbatorum humorum & spirituum ad os & œsophagum delata & partes illas exsiccans *inducit sitim & oris ariditatem* ; ad cerebri verò ventriculos devecta, eosque vehementi spirituum animalium dilatatione, & copiosa in ventriculos cerebri impulsione, nimis diu & vehementer distendens & expandens, *producit insomniam*; ad vesicam verò cum urinis perveniens, & urethram mordicans, *gignit acrimoniæ in urinæ excretione sensum* ; in ventriculum verò effusa, eumque suâ quantitate & qualitate acri & calida ita vellicans, ut fiat influxus vehementior spirituum animalium in fibras ventriculi obliquè ascendentes, excretionique per superiora inservientes, *parit nauseam & bilioforum vomitum.*

Periculum est, ne hic morbus, doloris sui vehementiâ, syncopen, convulsionem, vel intestinorum inflammationem inducat.

Curatio consistet in humorum biliosorum expulsione, intemperiei biliosæ correctione, & doloris ablatione.

Mox itaque injiciatur talis clyster :

℞. *rad. althææ, malvæ an.* ℥j.

fol. malvæ, althææ, violariæ, lactucæ,
betæ, mercurialis an. m. j.
fl. camomill. p. j.
sem. lini, fænugræci an. ʒjß.
M. F. Clyster.

Per os etiam capiat talem hauſtum, acris humores temperantem:

℞, *syr. ex infusione roſar. pallidarum* ℥ij.
seri lactis ℥iij.
M. F. Hauſtus.

Poſtea adhibeantur purgantia, quæ bilem evacuant, quale hoc ſequens:

℞. *fol. sennæ mund.* ʒiij. *rabarb.* ʒj.
sem. aniſi ℈iiij.
Infundantur in aq. decoctionis hordei q. ſ.
Colaturæ fortiter expreßæ adde
syr. de cichorio cum rhabarb. ℥j. *M. F.* Hauſtus

Ad ventris inunctionem adhibeatur tale linimentum:

℞. *ol. roſac., camomillor.* ℥vj.
butyri vulgaris ℥ ß. *miſce.*

In magnâ doloris perſeverantis contumaciâ exhibeatur pilulæ laudani opiati gr. iij, vel iiij, cum vel ſine lacte amigdalato.

Balnea hic etiam conveniunt, ex decocto malvæ & violariæ, cum floribus camomeli.

Victus ratio ſit frigida & humida. Cremor hordei hic eſt utilis, & lactuca, ſive cruda, ſive cocta, & alia ejus generis. Laudantur hic pedes, & extremæ partes vitulorum & ovium. *Potus* ſit cereviſia tenuiſſima.

XXX.

MEDICATIO VIRI, ILIACA PASSIONE LABORANTIS.

VIr 36 annorum, ingluviei deditus, cum varii generis malis cibis longo tempore esset usus, incidit in intolerabilem doloris cruciatum; totum quidem ventrem circumdantem, sed maximè in umbilicali regione, & circa hypochondria, ipsum miris modis torquentem. Accessit cibi fastidium, & deinde etiam vomitus, quo nec cibus, nec potus, , retineri potest. Multos corruptos humores per superiora excrevit. Alvus ita adstricta est, ut nullum flatum, nedum quicquam aliud, per inferiora excernere queat.

Afficiuntur in hoc ægro *ventriculus & intestina*, ac inter ea potissimum *intestinum ileum*. Idque ex vomitu & ingenti illo dolore, totum quidem ventrem, sed regionem umbilicalem & hypochondriorum, ubi intestinum ileum situm est, potissimum occupante, est manifestum.

Morbus, quo hic æger affligitur, est intemperies ventriculi & intestinorum, ac præcipuè ilei, acris & putrida, & forsan eorum etiam angustatio; quæ dolorem crudelissimum in iis partibus, ac præcipuè in ileo, ac præterea corruptorum humorum per superiora copiosam excretionem excitans, omnemque excretionem per inferiora impediens, *Ileus, vel iliaca passio*, à parte præcipuè affecta, vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est ingluvies illa, quâ varii generis pravi cibi diu à viro hoc ingesti fuerunt. Pravi verò & corrupti humores hinc in partibus affectis, jam commemoratis, geniti, ibique existentes, & cum sangui-

ne

ne mixti, & per corpus diffusi, *antecedentem* hujus morbi constituunt causam.

Pars verò eorum ab illis imbibita, eaque suâ acrimoniâ & copiâ vellicans, & forsan etiam crassitie suâ, vel convolutionem eorum pravam excitando, angustans, *intemperiei hujus, ac doloris crudelissimi; nec non excretionis per superiora institutæ, per inferiora verò*, ob spiritus animales qui in fibras intestinorum obliquè ascendentes fortissimè ab irritatione hic factâ fluunt, penitus impeditæ; itemque cibi fastidii, *continens* est causa.

Periculum est, ne hic morbus stercoris vomitum inducat, & ægrum syncope, à doloris vehementiâ inductâ, occîdat.

Diligentissima itaque *Curatio* mox est adhibenda; *Eaque* in humorum pravorum per inferiora eductione, doloris sedatione, & intemperiei per contraria correctione consistet.

Mox itaque injiciatur talis clyster:

℞. *malvæ, bismalvæ, mercurialis, betæ, an. m.* j.
rad. althææ ℥ij.
flor. meliloti, camomill., an. m. ß.
caricar. pingu. ℥ß.
Decoq. in jure pulli ad lib. jß. *in Colaturâ*
dissolve electuar. diacatholici, diaphœnici an. ℥j.
vitell. ovi No. j. *butyri, ol. anethini an.* ℥j ß.
salis comm. ʒj. *Misce* F. Clyster; *mox injiciendus, &, quam diutissimè æger poterit, retinendus, & aliquoties reiterandus.*

Ubi per inferiora excretio aliqua facta fuerit, tale purgans per os dandum erit:

℞. *cassiæ recent. extractæ* ℥ß.
electuar, diaphœnici, diacatholici an. ʒij.
olei anisi ♃ ß.

aq

aq. decoct. hordei q. s. misce F. Haustus *brevis.*

Per os etiam postea exhibeatur oleum amygdalarum dulcium ad uncias duas, cum jure vervecino mixtum.

Venter foveatur tali fomento:

℞. *fol. malvæ, althææ, violariæ, an. m.* jß.
flor. camomillor., meliloti an. m. s.
sem. lini, anisi, anethi an. ʒj.
decoq. in aq. comm. q. s. pro Fomento.

Et postea venter oblinatur tali oleo:

℞. *ol. anethini, camomillor.,*
amygdalar. dulc. an. ʒvj. *Misce.*

Dolore perseverante exhibeatur talis bolus:

℞. *theriacæ andromachi* ℈ij.
requiei Nicolai ʒß.
laudani opiati gr. iij.
cum syr. de papav. alb. q. s. f. Bolus.

In clystere etiam antea proposito addi poterit philonium romanum ad ʒj ß. vel ʒij.

In victus ratione, *Aër* sit calidiusculus. *Cibus* eupeptus & euchymus, ex jusculis. *Potus* sit cerevisia & vinum mediocre. *Somnus* sit longior. *Alvus* respondeat arte, vel naturâ. *Tristia* vitentur.

XXXI.

MEDICATIO FOEMINÆ,

ILEO, EX BUBONOCELE,

LABORANTIS.

MUlier quadraginta annorum, jam à multis annis ex partu in dextro inguine hernioſa, incidit in diarrhæam; qua, dum alvum frequenter deponere cogitur, inteſtina, quæ ligamen-

tis externis artificialibus in loco ſuo retinere ſolebat, in inguen cum tumore ſunt prolapſa; cumque ea, ob duritiem renitentem, in locum reduci non poſſent, incidit in intolerabilem ventris dolorem, circa umbilicum ipſam potiſſimum torquentem, ac cum vomitu enormi & continuo variorum excrementorum, imo ipſarum etiam fæcum alvi, conjunctum. Iam à biduo hoc torquetur malo, multaque remedia per os & anum ſunt adhibita, ſed ea hactenus fuerunt irrita. Adeſt febricula.

Afficitur in hac ægra *inguen dextrum*, quod ex ejus tumore; & *inteſtina*, quod ex dolore ventris, circa umbilicum ipſam potiſſimum torquente, & tumorem in inguine faciente, nec non ex enormi illo vomitu, eſt manifeſtum.

M*orbus*, qui ipſam affligit, eſt tumor inguinis dextri, ex inteſtinorum in illud prolapſu ortus; qui intolerabilem ventris dolorem, vomitumque excrementorum, imo etiam ipſarum fæcum, enormem & continuum faciens, *Ileus ex bubonocele* appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt diarrhæa illa; qua ægra alvum frequenter evacuare, corpuſque inclinare coacta, inteſtina cum copioſis fæcibus frequenti illo motu in inguen deturbavit; eaque ibi hærentia, atque contorta ac preſſa, parteſque vicinas diſtendentia, ac dolorem in iis excitantia, deſcenſumque excrementorum impedientia, *continens* hujus morbi & ſymtomatum ſunt cauſa.

Ab illapſis enim inteſtinis factus eſt inguinis tumor & tenſio, & inteſtini clauſio; indequè dolor; & à dolore pori in cerebro ita fuerunt aperti & ſpiritus ita in eo determinati, ut illi in inguen multos impellerent humores, tumoremque & dolorem ita ibi augerent, ut tumor induraretur, & dolor intolerabilis evaderet: in fibras verò inteſtinorum obliquè aſcendentes ſpiritus continuò ita influerent, ut ea, verſus ſuperiora magno impetu ab iis contracta, quicquid in iis continetur, magnâ vi per vomitum continuò ejicerent.

Mor-

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est, ne intestini illapsi fiat inflammatio, ex qua oriatur gangræna. Et præterea, ne ex vomitu & dolore vires ita prosternantur, ut ægra in lethalem incidat lipothymiam.

Celerrima itaque, quantum fieri potest, *Curatione* morbus est impugnandus: quæ tota in intestini reductione, & doloris sedatione consistet.

Itaque tali decocto emolliente & flatus discutiente inguen dolens continuo foveatur:

℞. *fol. malv., flor. camomil., anethi,*
sem. lini an. Mj. *sem. cumini* ʒij.
Concoquantur in lacte bubulo pro fotu,
quo spongiæ imbuantur, eæque calidæ adhibeantur,
& leni pressione manuum reductio intestini
tentetur.

Dum autem hoc agitur, ægra ita in lecto erit collocanda, ut caput valde sit declive, crura vero elata.

Si vero hac ratione intestinum non potest reduci, cutis & peritonæum in inguine, ad intestini illapsi restitutionem, chirurgiâ erunt aperienda: & intestina reducta, ope subligaculi, in abdomine retinenda.

XXXII.

MEDICATIO VIRI,

Cholerâ, cum Convulsione,

LABORANTIS.

Vir triginta annorum, crassus, & ingluviei deditus, incidit in enormem evacuationem spontaneam, qua multa corrupta per superiora & inferiora magno impetu rejecit. Hanc subsecuta est syncope; à quâ vix liberatus, mox prolapsus est in maguam

musculorum manuum, pedum, crurum, colli, gutturis, pectoris, dorsi, & ventris inferioris, contractionem; quæ tantis doloribus & animi deliquiis est comitata, ut adstantes ipsum jam-jam moriturum metuant.

Partes, quæ in hoc ægro afficiuntur, sunt *ventriculus* & *intestina*, ut ex vomitu & alvi secessu: *cor*, ut ex syncope: item *musculi totius corporis*; nec non *cerebum*, ut ex ingenti illa partium contractione est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est intemperies ventriculi & intestinorum varia, acris & nidorulenta, ac corrupta: quæ vomitum alvique secessum copiosum, animique deliquia, & musculorum totius corporis contractiones vehementes inducens, *Cholera convulsione comitata*, appellari potest.

Causa procatarctica hujus morbi est ingluvies nostri ægri, qua multi variique humores acres, in corpore ejus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum, circa ventriculum & intestina, & in eorum reliquique corporis vasis, ebulliens & effervescens, *continens* hujus morbi & symtomatum est causa.

Hinc enim ventriculus & intestina irritata motum vehementiorem inordinatumque impresserunt nervis sibi implantatis; quo, per illorum fibrillas ad cerebrum cerebrique spiritus delato, pori cerebri ita fuerunt aperti, spirituque cerebri ita determinati, ut illi in fibras ventriculi & intestinorum, obliquè ascendentes & descendentes, magno impetu confluxerint, easque, secundum latitudinem dilatando, & longitudinem abbreviando, contraxerint. His contractis ventriculus & intestina ita fuerunt mota, ut *copiosi humores acres corrupti & effervescentes*, tum à corde ex arteriis coeliacis & mesaraicis in ventriculum & intestina propulsi, tum in iis antea collecti, *magno impetu, tum per os, tum per alvum, fuerint rejecti.*

Dissipa-

Dissipatis autem & expulsis, per magnam istius evacuationis violentiam, spiritibus & humoribus utilibus, sanguis ad cor perveniens ineptus fuit ad justam dilatationem in corde suscipiendam, quo *spiritus vitales deficientes syncopen induxerunt.* Expulso verò deinde ex corde pravo illo sanguine, & meliore ad illud redeunte, spiritibusque vitalibus satis copiosè recens ex eo genitis, *æger noster à syncope fuit liberatus.*

Quia verò reliqui pravi humores, in corpore postea effervescentes, jam vehementius suo impetu membranosas vellicant partes, motumque illum vehementem & inconvenientem per nervos ad cerebri ventriculos spirituque ibi contentos deferunt; hinc fit, ut illi tam pravam motus determinationem accipiant, porique cerebri ita aperiantur, ut spiritus, inordinatè in partes fluentes; valvulas nervorum, musculis totius corporis insertorum, quæ iis contrahendis inserviunt, citra aut contra voluntatem nostri ægri jam aperiant; tantâque vi, tum ex cerebro, tum ex oppositis musculorum poris & cavitatibus, in musculos gutturis, dorsi, pectoris, inferioris ventris, item brachiorum & crurum, fluant; eosque cum magno dolore, novam lipothymiam per constrictionem cordis subinde inducente, vehementer, secundum latitudinem & profunditatem distendant, secundum longitudinem verò contrahant; atque ita *totius corporis vehementissimam convulsionem nunc excitent.*

Morbus hic periculosissimus est. Metus enim est, ne æger ex vehementia doloris & perturbationis, subitò extinguatur.

Curatio itaque diligens quam primum est adhibenda. Mox igitur sumat hoc medicamentum; ut ventriculus ab humore acri abluatur, humoresque acres temperentur, & excernantur:

℞. *decocti hordei communis, non excorticati* ℥iij.
syr. ex infusione rosar. rubr. ℥j. *Misce.*

Pro lipothymia aqua digitis in faciem ægri inspergatur, & vinum generosum, cum linteis, naribus admoveatur.

Postea ad impetum choleræ inhibendum, vomitum & alvi secessum reprimendum, ut etiam ad lipothymiam tollendam, de sequenti mixtura quotidie aliquid sumat:

℞. *rob. de ribes* ℥ij.
cerasorum ℥j.
syr. cydoniorum ℥j ß.
manus Christi cum perlis ʒvj. *Misce.*

Ad contractiones membrorum, partes omnes convulsionem patientes inungantur indesinenter, cum frictione forti, hoc sequente linimento:

℞. *olei irini, vermium terrestrium, an.* ℥ij.
castorei pulverisati ʒiiij. *Misce.*

Ubi malum inclinaverit, nutriatur lacte amigdalato, cui modicum sacchari sit additum, & reficiatur cibis euchymis; ut ovis sorbilibus, & pullis gallinaceis, ac similibus. Exhibeatur etiam diacydonium post singulos pastus.

Ubi per diem unum atque alterum symtomata vehementiora quieverint, blando cathartico reliquiæ materiæ peccantis, si quæ supersint, educi poterunt.

Ad *præcautionem* novi paroxysmi, utatur parciore *Cibi* & *Potûs* quantitate; corpusque subindè blandè *expurgetur.*

XXXIII.

MEDICATIO INFANTIS, LUMBRICIS LABORANTIS.

PUellus quatuor annorum, lumbricis antehac valde obnoxius laborat inappetentiâ & nauseâ. Valde pruriunt ipsi nares; ac mul-

ac multum sitit. Adest etiam inflatio ventris, cum torminibus, & lenta fæbricula.

Afficiuntur in hoc infante *intestina & ventriculus*; ut ex inappetentia, nausea, siti, ventris inflatione, ac torminibus est manifestum. Afficitur etiam *cor*; quod ex febricula constat.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies quædam ventriculi & intestinorum ac chyli ibidem contenti serosa & putrida; quæ lumbricos, & hinc flatus ac tormina, ventrisque inflationem, & sitim, nauseamque producens, *Affectus intestinorum & ventriculi verminosus sive lumbricorum*, appellatur. Isque ex eo etiam est manifestus, quod infans, his symtomatis ante hac laborans, copiosos vermes excernere per alvum sit solitus.

Causa proxima, quæ hos lumbricos, & symtomata Infantem infestantia, producit, est materia quædam putrida & acris, in intestinis & ventriculo, hujus puelli genita; quæ particulas insensibiles ita figuratas habet, ut ex earum compositione & dispositione *lumbrici* oriri queant; uti passim ex rerum aliarum putrescentium particulis, diversimodè figuratis pediculos, pulices, culices, aliaque insecta nasci videmus. Hi autem lumbrici in intestinis geniti corrumpunt adeo succos in iis existentes, ut illi partim conversi in flatus, *tormina intestinorum & ventris inflationem*; partim ad ventriculum delati, illumque vellicantes, *nauseam*, & æsophagum exsiccantes, *sitim*, ac fermentaceum illum succum acrem, famen excitare solitum, corrumpentes, vel serositate illum temperantes, *inappetentiam*; partim vero per venas gastricas lacteas & mesaraicas ad Cor, & deinde copiosè ad nares ascendentes, acrimoniâ suâ *magnum narium pruritum*; & febrili malignitate *febrim* inducant.

Metus est, ne hi lumbrici intestina exedant, vel excorient, vel syncopen, epilepsiam, atrophiam, vel alium gravem

vem affectum, accersant: ideoque magnâ diligentiâ *Curatio* est auspicanda.

Eaque consistet in vermium enecatione, expurgatione, & pravorum humorum evacuatione, & intemperiei per contraria correctione.

Præscribatur itaque hoc remedium: quo forsan, ut in aliis infantibus sæpe contigit, lumbrici evacuabuntur & simul omnia symtomata tollentur:

℞. *mercurii dulcis optimi gr.* xij.
scammonii gr. v.
conservæ rosarum ʒj. *Misce, pro* Bolo; *qui necessitate urgente sæpius reiterari poterit.*

Notandum autem vermes sæpe per medicamenta assumta non tantum occîdi; sed pœnitus etiam dissolvi, quemadmodum lumbrici, phialæ vitreæ, fimo equino obrutæ, inclusi, dissolvuntur: ac hinc sæpe fit, ut quamvis vermes adfuerint, nulli tamen a medicamentis assumtis excernantur.

Si malum perseveret exhibeatur infanti hoc purgans, cum sequenti Julapio:

℞. *el. de hiera picra* ʒj.
syr. rosacei ℥j.
aq. partulacæ ʒj *s.*
M. F. Haustulus *brevis.*

℞. *fol. acetosæ, portulacæ, endiviæ an.* M.j.
summit. hyperici, scordii an. p. j.
Coquantur in aq. comm. ad lib. j. *Colaturæ adde*
syr. de limonibus ℥iij. *Misce*
F. Julapium, *de quo capiat* ℥iij. *mane, meridie, & vesperi.*

Maximæ etiam utilitatis est hic pulvis, cum cerevisiâ vel lacte exhibitus:

℞. *rabarb.* ʒs.

sem.

sem. santonici ℈j.
corallinæ,
rasuræ cornu cervi an. ℈ß.
scammonii gr. vij.
F. Pulvis *tenuissimus, in* iij. *doses æquales dividendus.*

In *diæta Cibus* sit boni succi, & satis liberalis, ad punctiones lumbricorum tollendas; quæ dulcibus oblatis etiam imminui solent. *Vitentur* lac caseus & pisces, omniaque alia, pituitosos humores gignentia. *Excrementa alvi* naturâ vel arte respondeant.

XXXIV.

MEDICATIO VIRI,

NEPHRITICO DOLORE EXCRUCIATI.

Vir 45 annorum, crassus, obesus, crassis & viscidis alimentis diu usus, subitò incidit in dolorem intensissimum, lumborum regionem occupantem; nec non in omnimodam urinæ sufflaminationem. Supervenit etiam vomitus; qui tamen dolorem hactenus non levavit. Ante hac sæpe cum urinis copiosas arenulas & materiam viscidam excrevit.

Afficiuntur in hoc ægro *renes* primariò: ut dolor ille intensissimus, circa regionem lumborum perceptus, & urinæ sufflaminatio, indicant. Afficitur etiam per sympathiam *ventriculus*: quod ex vomitu, dolorem hunc comitante, est manifestum.

Morbus, qui illum affligit est obstructio renum & ureterum, à materiâ arenosâ vel lapillis facta; quæ urinam sufflaminans, doloremque intensissimum in renibus excitans,

tans,à ſymtomate potiſſimo,ab hoc in illis producto,*Dolor nephriticus* appellatur.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt diuturnus uſus alimentorum craſſorum & viſcidorum; unde, adjuvante temperamento noſtri ægri frigidiore, (ex ipſius obeſitate & corporis craſſitie manifeſto,) humores craſſi, tartarei, & mucilaginoſi in vaſis, & renibus geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò ejus cum ſero & reliquo ſanguine ad renum poros delata, ibique à calore ipſorum debili non ſatis inciſa, agitata, & diſſoluta,naturam lapideam arenularum, & lapillorum, antehac cum urinis excretorum,per cohæſionem immediatam & quietem particularum inſenſibilium, à particularum iſtarum figurâ & magnitudine cohæſioni lapideæ aptâ, natam,acquiſivit.Ea verò jam à copia urinæ ex renum poris & pelvi in principia ureterum copioſius propulſa, atque illa penitus obſtruens, omnemque urinæ tranſitum impediens, *Continens* hujus morbi & ſymtomatum eſt cauſa.

Dum enim urinæ tranſitus propter obſtructionem illam impeditur,hinc tenduntur pelvium & ureterum membranæ, in eaſque acuminati lapilli & aſperæ arenulæ vehementius preſſa, *intenſiſſimum hunc excitant circa lumbos dolorem;* quo ſpiritus in cerebro ita moventur, porique tales in eo aperiuntur, ut illi inde in ventriculi obliquè aſcendentes fibras copioſè fluentes, ventriculumque contrahentes, ac eum verſus ſuperiora vehementius pellentes, *vomitum excitent.* Illo tamen *dolor hactenus non eſt levatus*; quia motus, à vomitu proficiſcens, materiam calculoſam ex renibus non expellit, ſed eam, ob copiam ejus, arctius in ureteres impingit.

Metus eſt, ne hic dolor renum inflammationem inducat; vel mortem ex cordis conſtrictione,ab indebito ſpirituum in fibras ejus conſtrictorias influxu ortâ, brevi accerſſat:

cerſſat : vel ne, ex urinæ ſufflaminatione, ſerum perpetuò excernendum cum ſanguine maneat mixtum, illudque reliquum ſanguinem ad juſtam dilatationem in corde faciendam faciat ineptum, atque ita ægro noſtro vitam brevi adimat.

Curatio itaque mox maximâ cum ſollicitudine auſpicanda; *quæ* in arenularum & urinæ exturbatione mox facienda, & intemperiei ſanguinis pororumque renum obſtructionis per contraria correctione, & ablatione, poſtea inſtituendâ, conſiſtet.

Mox itaque fæces alvi ejiciantur, & materia in renibus exiſtens ipſique renes laxentur & emolliantur, urinaque & materia viſcida ex renibus expellantur, tali clyſtere:

℞. *rad. althææ mund.* ℥j.
herb. malvæ, biſmalvæ, parietariæ, mercurialis an. m. j.
flor. camomill., meliloti, ſummit. anethi an. m. ß.
far. ſem. lini ʒiij, *ſem. aniſi* ʒij. *furfuris macri p.* j.
Decoq. in aq. com. pro lib. j. *Colaturæ adde diacathol., elect. benedictæ laxati., diaphœnici an.* ℥ß. *ol. amigd. dulc., camomillini, anethini an.* ℥ß. *ſalis comm., gemmæ an.* ʒij. *miſce* F. Clyſter, *mox injiciendus.*

Alvo evacuatâ, & urinâ nonnihil fluente, pectini, poſt clyſteris operationem, ad urinam copioſius evocandam, adhibeatur cataplaſma ex parietariâ, in butyro in patella frixâ.

Poſtridie, cum venas ſatis latas habeat æger, venæſectio adhiberi poterit in brachio, ad materiam morbificam imminuendam, & inflammationem præcavendam.

Dolore perſeverante, balneum erit adhibendum, vel talis fotus adhibendus lumborum regioni:

℞. *rad. althææ mund.* ℥iiij.
fol. malvæ, parietariæ, chærefolii.

flor. camomillor., meliloti an. m. iiij.
ſem. lini ℥j.
malvæ, petroſelini an. ʒij ß.
Decoq. in aq. comm. ad lib. iij. *pro* Fotu.

Reliquiæ decocti deinde piſtentur, & fiant duo ſacculi quadrati; qui poſt fotum, pannis laneis vel lineis expreſſis lumbis calidi applicentur.

Ubi urina jam fluere incipiet, utatur ad libitum hoc decocto:

℞. *rad. ononidis, fæniculi, petroſelini, glycyrrizæ raſ. an.* ℥ ß.
ſem. althææ, malvæ, cicer. rubr. an. ʒj ß.
4. *frigid. major. an.* ʒj.
ficus ping. No. v. *ſebeſten.* No. iij.
Hordei mund. ℥j. *grana alkekengi* No. vij.
Decoq. in aq. com. ad lib. j ß. *Colaturæ adde ſyr. de limonibus, de* 5. *rad. an.* ℥j. *F.* Apozema.

Dum eo utitur, purgetur materia morbifica tali hauſtu:

℞. *ſyr. roſat. ſol. cum fol. ſennæ & rabarb.* ℥j ß.
elect. diapruni ʒij.
aq. malvæ q. ſ. m. f. Hauſtus *brevis.*

Deinde, ut calculi melius expellantur & comminuantur, ſumat ſubinde mane jejuno ventriculo, ℥ij. *aq. ſtill. ex rad. ononidis & raphani ruſtici cum vino rhenano extractæ, cum ocul. cancr. pulv.* ʒß.

Vel ℞. *pulveris nephritici amſterdamenſium vel Ultrajectinorum* ʒj.
aq. petroſelini ℥iij. *ſyr. althææ Fernelii* ℥ß.
miſce f. Hauſtus, *mane & veſperi ſumendus.*

Atque ut viæ laxiores fiant, per quas arenulæ & calculi tranſire debent, inungat lumbos obliquè ad inguina deſcendendo tali, linimento:

℞. *ol. lilior., amigdal. amar. an.* ℥ ß.

ſcor-

scorpion.,
pingued. gallinæ vel caponis,
unguent. dialthææ an. ʒij. *m. pro* linimento.

Sæpe etiam uti poterit de hoc julapio:

℞. *syr. de althæa Fernelii* ʒij ß.
tartari albi ʒ ß.
aq. petroselini lib. j.
Misce pro julapio, *de quo sumat quotidie mane jejuno ventriculo, & à prandio horâ quartâ pomeridianâ, haustum trium quatuorve unciarum*,

Alvus si durior fuerit, emolliatur his pilulis:

℞. *aloes, scammonii an.* ϑ j. ol. cariophyll. gutt. j.
F. pilulæ No. VI. *quorum sumat* ij. *semihoram ante vel post cænam.*

In *diæta*, *Aër* sit temperatus. *Cibus* ex carnibus vitulinis, agninis, aviculis; potius elixis, quam assis; moderatè sumtis. Lacticinia & omnia viscosa *vitentur*. *Potus* sit vinum album, cerevisia bene defæcata, lupulo bene condita. *Exercitium* sit moderatum. *Alvus* respondeat arte vel naturâ. *Animi* vehementiora pathemata fugiantur.

XXXV.

MEDICATIO VIRI,

ISCHURIA

LABORANTIS.

VIr quadragenarius ex calculosis parentibus natus, & calculos, arenulas, pituitosam viscosamque materiam, cum urinis excernere solitus, patiturjam à quatriduo totalem urinæ suppressionem, ingenti dolore & tumore, in hypogastrio, comitatam.

Afficitur

Afficitur in hoc ægro *vesica urinaria*, ejusque *collum*: ut ex urinæ suppressione, item ex dolore illo & tumore, in hypogastrio percepto, est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est meatus urinarii, in collo vesicæ existentis, obstructio, à materia calculosa, arenosa, viscida & tenaci facta; quæ, urinæ in vesicâ contentæ suppressionem jam à quatriduò faciens, *Ischuria* appellatur. Atque hæc ex præcedente calculorum, arenularum, viscidæque materiæ cum urinis excretione, & præsente hypogastrii dolore & tumore, patet.

Causa procatarctica hujus morbi est intemperies calculosa renum & vesicæ reliquique corporis, à parentibus nostro ægro per generationem communicata; indeque viscidi & tenaces humores, ac arenulæ, calculique, in ipsius corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum meatui urinario, in vesicæ collo existenti, impacta, *continens* hujus morbi, & symtomatum ejus est causa.

Inde enim *urinæ per urethram excretio penitus impeditur*; dumque interim urina per ureteres ad vesicam perpetuò defluit, hinc oritur *vesicæ distensio*, *& ea in hypogastrio*, ubi vesica urinaria est sita, *ingens ille dolor & tumor*, qui ægrum nostrum jam magnopere torquent, percipiuntur.

Morbus hic periculosissimus est: metus enim est, ne ingens ille dolor vesicæ inflammationem, & inde gangrænam, ac mortem inducat. Præterea ex hac urinæ in vesica, ureteribus, ac etiam in ipsis renibus, retentione, tum præsenti, tum futurâ, impedietur seri in renibus à sanguine separatio. Serum itaque in sanguine propterea manens faciet sanguinem ad dilatationem, in corde, vivificationis causâ, perpetuò faciendam, ineptum; atque ita, nisi aptis remediis huic malo obviam eatur, etiam mortis necessariò erit causa.

Curatio

Curatio itaque, quam celerrimè & diligentissimè erit instituenda. *Eaque*, in calculosæ arenosæ & viscidæ materiæ, ex meatu colli vesicæ urinariæ, remotione, consistet.

Mox itaque injiciatur per syringam in urethram tantum olei amigdalarum dulcium mediocriter calidi, quantum in ea commodè contineri poterit; & deinde in anum injiciatur talis clyster emolliens, ad fæces alvi ejiciendas, & materiam in collo vesicæ hærentem, & intestino recto incumbentem, emolliendam, ac partes vicinas laxandas:

℞. *rad. althææ, lilior. alb. an.* ℥j.
herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ,
mercurialis, brancæ ursinæ. an. m. j.
sem. lini, fænugræci an. ℥ß.
ficus No. IV.
Coq. in suf. quant. aq. com. ad lib. j.
Colaturæ adde diaphænici, diapruni sol. an. ℥ß.
olei violacei, camomill. an. ℥j. *salis com.* ʒj.
M. F. Clyster, *mox injiciendus.*

Ubi clyster munere suo functus fuerit, hoc est, post horas præter propter duas vel tres: tum supinè collocato ægro, ita ut crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum, ad lapillos ex meatu urinario expellendum, concutiet chirurgus; his peractis, jubeat ut æger urinam reddere tentet. Quodsi urina nihilominus adhuc retineatur; rursus ipsum concutiet, sed vehementius. Atque si sic quoque suppressa permanserit, immisso argenteo & in fistulam excavato in urethram cathetere, simul & calculos ac arenulas viscidamque materiam à collo vesicæ repellet, & urinam evocabit.

At si in collo vesicæ deprehendt ur calculus vel materia arenosa & viscida, ita obstruens meatum, ut nullis præsidiis removeri possit, ægerque; jam propinquus sit perditioni, neque ullo modo instrumenti illius ope curari possit:

possit: vel etiam forte adsit inflammatio,& catheterem ferre non possit; tum collum vesicæ, inter anum & testes, parvâ sciſſurâ secundum longitudinem, est aperiendum, cannulaque, ut urina egrediatur, vulneri imponenda, & in vesicam usque deducenda.

Interea temporis dum urina, per cannulam illam vulneri insertam, subinde excernitur, medicamenta emollientia circa perinæum & hypogastrium ac urethram sunt adhibenda, & catheter vel candela cerea tenuissima, oleo amigdalarum dulcium oblita, meatui urinario est immittenda, tentandumque, ut ea ratione causa obstructionis illa continens ex eo removeatur. Cumque hoc successerit, vulnus,inter anum & testes inflictum, erit consolidandum.

XXXVI.

MEDICATIO VIRI, INFLAMMATIONE RENUM LABORANTIS.

VIr 36 annorum temperamento biliosus, post vehementius corporis exercitium, correptus est acerbissimo dolore, regionem dorsi, juxta extremas vertebras, paulò supra costas spurias sitas, occupante, & à lumbis ad jecur sursum, deinde deorsum ad vesicam & pudendum, nonnunquam etiam ad coxendicem & femora se diffundente. Febris adest satis acuta, & stupor dextri cruris. Neque se rectè erigere potest æger. Frigent interdum extrema, & præ cæteris suræ ac pedes. His tandem accessit mingendi difficultas, nausea & ventriculi morsus, ac bilis vomitus.

Afficitur in hoc ægro *renuterque*; sed præcipuè dexter: quod ex dolore à lumbis ad jecur, & deinde deorsum ad vesicam & pudendum se diffundente, item ex pedis dextri stupo-

ſtupore & mingendi difficultate liquet. Afficiuntur quoq; *pedes & corporis extrema*, quod ex eorum frigore; nec non *ventriculus & folliculus fellis*, quod ex nauſeâ, & bilis vomitu, patet.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, eſt intemperies renis utriuſque, ſed præcipuè dextri ſanguinea & bilioſa, cum tumore & ardore conjuncta; quæ vulgò *Inflammatio renum* appellatur. Eaque ex ſymtomatis in hiſtoria commemoratis innoteſcit.

Cauſa procatarctica hujus morbi fuit temperamentum bilioſum ægri noſtri, quo multus bilioſus ſanguis in corpore ejus genitus, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Pars vero ejus vehementiore iſto exercitio corporis in renum ſubſtantiam, ob poros eorum nimis relaxatos, copiosius propulſa, vehementiuſque ibidem incaleſcens, & partes alias per ſympathiam afficiens, *continens* hujus inflammationis, ejuſque ſymtomatum, eſt cauſa.

Ab humoribus enim iſtis bilioſis & ſanguineis in ſubſtantiam renum effuſis, ibique præter naturam incaleſcentibus, orta eſt hæc *intemperies bilioſa & ſanguinea*, *item tumor renum* ardore comitatus; unde partes eorum membranoſæ, vehementer tenſæ & agitatæ, *dolorem illum acerbiſſimum in lumbis*, ubi renes ſunt ſiti, produxerunt. Et quia renes cum aliis partibus vicinis ſunt connexi, motuſque eorum vehementior iis propterea communicatur hinc *dolor ille ſeſe ſurſum ad hepar & deorſum ad veſicam*, *pudendum*, & *femora corporiſque commodam erectionem impedivit*; *ac nauſeam*, *imo & vomitum bilis*, ventriculum folliculumque fellis afficiendo, *excitavit*.

Et quia magna illa humorum ad renes decumbentium copia, poros eorum, per quos urina ad ureteres defluit, imo & ipſos ureteres, valde anguſtat, nervoſque à lumbis ad crus dextrum deſcendentes magnopere premit, hinc *min-*

gendi difficultas, & dextri cruris ſtupor in ægro noſtro obſervatur.

Dum verò pars iſtius ſanguinis fervidi, in renibus effervescentis, perpetuò ab ipſis per venas emulgentes in venam cavam & inde ad cor defertur, eaque ibi malignioremem & valde magnam effervescentiam in corde ulterius concipit, quæ deinde cum ſanguine per totum corpus diffunditur, *hinc oritur febris illa acuta*, ægrum noſtrum jam graviter infeſtans.

Et denique, quia præ doloris vehementiâ, ſubinde cor vehementius conſtringitur, quo ſanguis parcius ad remotiores corporis partes propellitur, hinc *contingit, ut extrema, & præcipuè pedes & ſuræ, in noſtro ægro interdum valde frigeant.*

Morbus hic *periculoſus* eſt, ob vehementia, quæ inducit, ſymtomata. Præterea periculum eſt, ne in ſuppurationem abeat, & in ulcus renum degeneret.

Diligentiſſima itaque *Curatio* adhibenda; *quæ* in cauſarum & intemperiei ac tumoris per contraria ablatione conſiſtet.

Mox itaque injiciatur talis clyſter:

℞. *decocti comm. emollientis lib.* j ß.
in quo diſſolve el. diapruni, diacatholici an. ℥j.
olei lilior., roſacei an. ʒvj. *ſalis comm.* ʒj,
Miſce F. Clyſter.

Corpore ope clyſteris evacuato, aperiatur eodem die in eodem latere vena circa talum, ſanguiſque educatur ad ℥viij. vel x. & deinde oblinatur regio lumborum tali linimento:

℞. *unguenti refrigerantis Galeni* ℥ß.
olei roſarum ℥j. *aceti parum, miſce* F. Linimentum.

Eique imponatur tale emplaſtrum:

℞. *unguenti refrigerantis Galeni* ℥j.

ceræ

ceræ q. ſ. Mixta inducantur linteo & F. Emplaſtrum.

Interea, ad humorem fervidum contemperandum, doloremque & ſitim ac urinæ ardorem vigiliaſque imminuendas, utatur tali decocto, & talibus tabellis:

℞. *hordei mundati* ʒj.
fol. violariæ, malvæ, portulacæ an. m. j ß.
flor. nenupharis. p. ij.
ſem. 4. frigidor. major, an ʒij.
decoq. in aq. vulgaris q. ſ. ad lib. j ß.
In Colatura diſſolve ſyr. violarum ʒj. *papaveris* ʒß.
miſce, F. Apozema.

℞. *ſpec. diatragacanthi frigid.*,
trochiſc. alkekengi an. ʒſ.
diſſolutis in aquæ alkekengi q. ſ. adde ſacchari ʒjſ.
F. tabellæ *ponderis* ʒij.
de quibus ſumat ſubinde ʒj. *quantitatem.*

Dolore magis urgente, adhibeatur tale fomentum, reiterato prius clyſtere, & poſtea reiteratâ etiam venæ ſectione:

℞. *fol. violariæ, malvæ, portulacæ an. M.* j.
flor. roſar. rubr., nenupharis, camomillor., meliloti, ſummitat. anethi, parietariæ exſicc. an. p. j.
rad. althææ ʒj.
decoq. in aq. communi., addendo aceti parum, *ad lib.* jſ. pro Fomento, *ſpongiis vel pannis laneis eo imbutis & expreſſis adhibendo.*

A fotu tale adhibeatur cataplaſma:

℞. *flor. camomillor., meliloti, roſar., rubr.*
fol. malvæ an. M. j.
Coq. ex aq. comm. ad mollitiem pro Fomento,
reliquiæ contundantur, iiſque adde farin. fabar. ʒß.
far. ſem. lini fœnugræci an. ʒj ß.
ol. roſacei, camomillor., an. q. ſ. F. Cataplaſma,

quod linteis inductum loco dolenti sæpe adhibeatur.

Si febre cessante, deinde inflammatio suppuretur, ægerque pus excernat, pro ejus absersione subinde sumet talem haustum:

℞. *aq. decoctionis hordei excorticati* ℥iv.
syr. de cichorio cum rabarbaro ℥j. *M. F.* Haustus.

Victus ratio sit tenuis & refrigerans ac humectans. *Cibus* itaque sit refrigerandi & humectandi vi præditus, ex ptisana hordeacea, pane cum jusculo gallinaceo, in quo endiviæ & acetosæ folia ebullierunt. *Potus* sit ptisana hordeacea, cerevisia tenuis, aqua hordei in qua glycyrriza est cocta. Abstineat in principio a diureticis, ne morbifica materia copiosius ad affectos renes confluat. *Motus* vitandus. *Clysteribus* emolliatur alvus.

XXXVII.

MEDICATIO VIRI,

RENUM EXULCERATIONE LABORANTIS.

Vir 40 annorum, tribus mensibus ardore urinæ vexatus, jam continuò pus fœtidum, interdum etiam saniem simul & sanguinem copiosum, cum urinis excernit. Adest quoque dolor circa lumbos, cum gravitatis sensu conjunctus; urinæque ardor ipsum etiamnum vexat.

Afficiuntur in hoc ægro *renes*; quod ex dolore cum gravitatis sensu, circa lumbos, ubi renes sunt siti, percepto; item ex pure fœtido, sanie, & sanguine, cum urinarum ardore excretis, est manifestum.

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est solutio continui purulenta & saniosa renum; quæ *Renum ulcus sive exulceratio* vulgò appel-

gò appellatur. *Eaq;* ex præcedente urinæ ardore, & puris saniei, & copiosi sanguinis subsecutâ cum urinis excretione, dolore gravativo lumborum comitatâ, est manifesta.

Causa remota hujus affectus fuerunt humores acres, in sanguine nostri ægri existentes, qui ad renes & vesicam delati easque partes suâ acrimoniâ vellicantes, primum *urinæ ardorem, per tres menses durantem,* produxerunt. Acquisitâ verò tandem majore humorum acrimoniâ, eâque ad renes delatâ, contingit jam, ut ab ea *tanquam causa conjuncta* renum vascula & substantia carnosa sint corrosa & exesa; quo sanguis è vasculis egressus, & in poris renum hærens, partim diutinâ morâ in pus fœtidum & saniem acrem convertatur, doloremque gravativum in lumbis pariat, partim recens ex vasculis corrosis vel secundum poros nimium dilatatis, in renum pelvim copiosè defluat, atque inde cum serosis sanguinis partibus, urinæ liquorem constituentibus, ad pelvim renum, & inde in vesicam perpetuo delabatur, eamque ad excretionem cum rosione stimulet, atque ita *continuam puris & saniei, interdum etiam copiosi sanguinis excretionem, cum ardore quodam urinæ conjunctam,* jam excitet.

Periculosus, & difficilis curationis est hic affectus: propter gravia & molesta, quæ inducit, symtomata; acresque humores, perpetuò ad renes delabentes.

Cita itaque & diligenti *Curatione* erit impugnandus. *Eaque* in acrium humorum evacuatione, & attemperatione, item in ulceris detersione & consolidatione consistet.

Primò tale sumat catharticum mane jejuno ventriculo:

℞. *cassiæ recens extractæ* ℥j.
terebintinæ in aq. violariæ decies primum lotæ,
& deinde ita tostæ, ut possit pulverisari ℥j ß.
pulveris glycyrrizæ ʒij. *sacchari albi* ʒij. M, F. Boli.

Postridie vena secetur in brachio dextro, sanguisque

educatur quantitate ℥vj.

Porro ſingulis ſeptimanis ſemel injiciatur talis clyſter:

℞. *herb. malvæ, althææ, violariæ, acanthi, an. m.* j.
hordei m. ß. *pruna damaſcena* N. x.
decoq. in aq. comm. ad tertiæ partis conſumtionem,
Colaturæ ſume lib. j. *in qua diſſolve caſſiæ rec.extr.*
℥j.
ſacchar. rubri ʒx. *ol. violacei* ℥ij. *vitell. ovi* No. j.
Miſce F. Clyſter.

Et paſſim, ad humores acres & ſalſos mitigandos & temperandos, doloremque ſedandum, utatur tali decocto:

℞. *hordei mundati p.* j.
herb. lactucæ, malvæ, violariæ, portulacæ,
intybi, plantaginis, agrimoniæ an. m. j.
ſem. 4. frigid. major. an. ʒj ß.
iujubas, ſebeſten recent. an. No. vij.
decoq. in aq. comm. ad lib. j *Colat. adde ſyr. violacei,*
nymphææ an. ℥j. *ſyr. capill. vener., papaver. an.* ℥ ß.
Miſce, F. Apozema.

Singulis ſeptimanis purgetur ſemel vel bis tali bolo:

℞. *caſſiæ recens extractæ* ℥ ß.
trochiſcor. alkekengi ∋j. *miſce*, pro bolo.

Et quotidie ſumat ex ſequenti electuario caſtaneæ magnitudinem, ſuperbibendo cyathum ſeri lactis:

℞. *ſacchari violacei* ℥j.
conſerv. roſar. unius anni ℥ß.
ſem. malvæ ʒij. *papaver. albi* ʒj. 4. *frigid. major. an.* ʒj ß.
hyoſcyami albi ∋ij.
pulver. glycyrrizæ ʒj ß. *granor. alkekengi cum ſuis veſicis* ∋ iv.
ſucci glycyrrizæ ʒiij.
boli armeni veri, terræ ſigillatæ an. ʒß.

Cum

Cum syr. violaceo q. s. F. Electuarium *mediocris consistentiæ.*

Post usum detergentium, ubi ulcus satis detersum fuerit; quod cognoscitur, cum pus cum urina minore quantitate excernitur, idque album & æquale, ac minime sordidum; ea, quæ exsiccant, adstringunt, glutinant & consolidant, exhibenda sunt, quales sunt trochisci sequentes:

℞. *boli armeni, terræ sigillatæ, coralli rubri, an.* ʒiij.
gummi arabici, tragacanthi an. ʒs.
cum. aq. agrimoniæ F. Trochisci, *ponderis* ʒij.
Capiat unum mane & vesperi, cum lacte ovillo vel decocto symphyti majoris.

Pilulæ sequentes multum etiam proderunt:

℞. *terebintinæ aq. plantag. lotæ* ʒj.
succi liquiritiæ, gummi tragacanthi an. ℈ij.
boli armen., trochiscor. alkekengi an. ℈s.
cum succo equiseti F. Pilulæ, *de quibus capiatur* ʒs. *mane & vesperi.*

Præ cæteris verò lac vaccinum recens mulctum, ad cyathi unius quantitatem, cum boli armeni veri ʒs. singulis diebus mane haustum, maximè conferre testatur experientia.

Exterius, ad consolidationem ulceris juvandam, sequens unguentum admoveri poterit:

℞. *succi plantag., solani an.* ʒiiij. *ol. ros. omphacin.* ʒiij.
aceti ʒj. *lithargyrii tenuiss. pulv.* ʒjs. *cerussæ lotæ* ʒs.
tuthiæ subtilissimè pulv. ʒij. *sangu. dracon.* ʒj.
reducantur omnia ad formam Nutriti.

Cibi sint euchymi & eupepti, ex cremore ptisanæ, carnibus gallinaceis, agninis, amigdalis dulcibus. *Vitet* acria & salsa. *Commodus* est usus lactis. *Potus* sit parcior. Vitetur *Motus*, præsertim vehemens. *Venus* hic etiam nocet.

MEDI-

XXXVIII.

MEDICATIO VIRI, EXULCERATIONE VESICÆ LABORANTIS.

Vir 42 annorum, jam ab aliquot menſibus dolorem perpetuum, in imo ventre, circa pubem ſentit; urinamque purulentam, ac graveolentem, ac furfuraceam, magna cum difficultate, & ardore, ſæpe etiam cum ſtillicidio, excernit. Adeſt alvi evacuandæ frequens appetitus. Nihil arenularum in fundo urinæ apparet: neque antea albam & crudam urinam excrevit.

Afficitur in hoc ægro *veſica*; quod ex dolore perpetuo circa pubem percepto, item ex urina purulenta & furfuracea, magna cum difficultate & ardore, ac ſtillicido excreta, eſt manifeſtum.

Morbus, qui hunc ægrum torquet, eſt ſolutio continui purulenta & ſanioſa interioris ſuperficiei veſicæ, quæ vulgò *Exulceratio veſicæ* appellari conſuevit. *Eaque* ex ſymtomatis partem affectam indicantibus, quæ jam commemoravimus; item ex eo, quod nullæ arenulæ in urinis appareant, nec urina antea cruda & alba fuerit excreta, patet.

Cauſa remota hujus morbi eſt congeries multorum humorum acrium in ſanguine exiſtentium. Pars verò eorum à corde in veſicam ſubinde propulſa, ibique propter pororum ejus pravam diſpoſitionem a reliquo ſangnine copioſius ſeparata, majoremque acrimoniam adepta, & in pus & ſaniem converſa, ac deinde interiorem veſicæ ſuperficiem erodens, eamque perpetuò cum vicinis partibus vellicans, *proxima* hujus veſicę exulçeratę, urinæq; purulentæ, graveolentis, farinaceæ, cum ardore & ſæpe etiam cum ſtilli-

stillicidio excretæ, ac præterea etiam perpetui alvi excernendæ appetitûs *est causa*.

Affectus hic *difficillimæ erit curationis*; propterea quod urina acris, quæ perpetuò ad vesicam defluit, non patiatur exulcerationis hujus commodam consolidationem; ideoque diligentissima erit adhibenda *Curatio*.

Eaque in causæ remotæ & proximæ ablatione & attemperatione, & in ulceris detersione exsiccatione & consolidatione consistet.

Primò itaque purgetur æger tali Bolo:

℞. *cassiæ recens extractæ* ʒj.
sacchari violacei q. s. Misce F. Bolus.

Humores deinde acres contemperentur & præparentur tali decocto:

℞. *decoctionis hordei, sem. 4. frig. maj., lactucæ, capill. Veneris lib.* j.
syr. violacei, mellis ros. an. ʒj. *Misce, pro quatuor dosibus, uno die sumendis.*

Postea iterum leviter purgetur tali bolo:

℞. *cassiæ recens extractæ* ʒvj.
diapruni solutivi ʒij. *cum saccharo asperso f.* Bolus.

Commodissimus hic est lactis & seri dulcis usus; ideoque mane sumat cyathum unum atque alterum lactis vel seri.

Pro ardore urinæ, sub noctem sumat lac amygdalatum, cum emulsione sem. 4. frigid. major. & papav. albi.

Ad eundem scopum syringâ in vesicam injiciatur lac ovillum cum emulsione sem. cucumeris; & interdum etiam, ut simul fiat detersio, injiciatur decoctum hordei excorticati, fol. plantag. & glycyrrizæ, cui, propter acrimoniam, addatur aliquid amyli aut sem. malvæ, althææ, cucumeris, vel fænugræci, & sem. papaveris.

Commodissimè trochisci Gordonii ponderis ʒij. in la-

cte caprillo vel ovillo vel bubulo, vel in decocto hordei, dissoluti, in vesicam syringâ injiciuntur; hoc enim remedium ulcus purificat, & conglutinat, doloremque & ardorem sedat. Trochisci illi Gordonii tales sunt:

℞. *sem. 4. frig. maj., papav. albi, malvæ, bombac., portulacæ, cydoneor., myrtillor., tragacanthæ, gummi arabici, pinear. mundat., pistachior., sacchari candi, sacchari penidiati, glycyrrizæ, hordei, mucilag. psyllii, amygdal. dul. an.* ʒj. *boli armeni, sang. dracon., spodii, rosar., myrrhæ an.* ʒß. *Cum hydromelite*, F. Trochisci *ponderis* ʒij, *quorum unus cum lacte dissolutus, & per os intro assumi, & per syringam in vesicam injici potest.*

Et subinde purgetur, tali bolo:

℞. *pulpæ cassiæ recens extractæ* ʒj. *trochisc. alkekengi* ϑj. F. Bolus.

Et urgente dolore, talis fotus adhibeatur cum pannis laneis, pectini adhibitis:

℞. *malvæ & althææ cum foliis & rad. an. m.* j. *flor. camomeli, meliloti, rad. nymphææ & sem. ejusd. an.* ʒj. *sem. halicacabi* ʒß. *calami aromatici* ʒij. *decoq. in s. q. aq. com. pro* fotu *ad lib.* ij.

Post fotum pectini adhibeatur tale unguentum:

℞. *ol. amigdal. dulc.* ʒjß. *violacei* ʒß. *mucilag. sem. althææ, fœnugræci, lini an.* ʒj. *pulv. sem. alkekengi, nymphææ an.* ʒj. *croci* ϑj. *cum cera q. s.* F. Uuguentum.

Victus sit talis, qualis in renum exulceratione superius fuit præscriptus.

MEDI-

XXXIX.

MEDICATIO VIRI, STRANGURIA GRAVI LABORANTIS.

Vir 40 annorum, postquam cælo pluvioso & frigido iter aliquot dierem peregre fecisset, vesperi domum reversus cæpit magnum dolorem & ardorem in urinæ excretione circa perinæum sentire. Paulo post, malum hoc ita fuit auctum, ut frequenter & non nisi guttatim, nec sine maximo dolore & acrimoniâ, urinam excernere cogeretur. Idque jam, quamvis remedia aliqua sint adhibita, per triduum durat; maximâque cum molestiâ ipsum torquet.

Afficitur in hoc ægro *vesica*, ac præcipue circa collum ejus, & meatum urinarium: idque, ex dolore in excernendâ urinâ circa perinæum percepto, patet.

Morbus, qui ipsum affligit, est intemperies acris salsa viscida & aspera vesicæ, ac præcipuè ejus fundi & colli; quæ dolorosam, frequentemque, guttatim effluentis urinæ excretionem efficiens, *Dysuria guttularis*, sive *Stranguria* appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est aër frigidus & pluviosus, in quo hic vir iter peregre fecit. Inde enim acres halitus, qui ex corpore alioqui exhalassent, in corpore, ob poros ejus ab aëris illâ inclementiâ clausos, retenti, & cum reliquis acribus sanguinis partibus arctius conjuncti, & complicati, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum à corde identidem ad renes propulsa, ibique a reliquo sanguine separata, & ad vesicam defluens, eamque suâ acrimoniâ salsedine & visciditate imbuens, & ideo fere perpetuò rodens, & hinc asperans, & ad

excretionem perpetuò ſtimulans, *continens* hujus intemperiei & dyſuriæ eſt cauſa.

Malum hoc, cum contumax ſit, veſicæ exulcerationem inducere poſſet.

Curatio itaque diligens ei adhibenda. *Eaque* in cauſæ antecedentis, continentis, intemperiei, & doloris ablatione conſiſtet.

Primò itaque talis exhibeatur hauſtus purgans:

℞. *caſſiæ recent. extractæ* ℥j. *el. lenitivi* ʒij.
nucis muſchatæ ∋ſ. *ſeri lactis* ℥iij. *ſyr. althææ Fernelii* ℥ß.
Miſce, F. Hauſtus.

Et poſtea utatur hoc decocto:

℞. *rad. althææ* ℥j.
herb. lactucæ, endiviæ, portulacæ,
ſummit. malvæ, an. m. j.
gemmar. ribes nigræ m. ſ.
ſem. melonum, malvæ, lactucæ,
papaver. an. ʒiij.
flor. violar., roſar., nymphææ an. p. j.
liquiritiæ raſæ ʒij.
Coq. in aq. decoct. hordei q. ſ. ad lib. j ß. *Colaturæ adde*
ſyr. violac., jujubini, papaveris albi an. ℥j.
fiat Apozema, *de quo ſumantur* ℥iv. *bis in die.*

Decoctum flor. camomillorum in lacte bubulo, & decoctum fol. & flor. malvæ & althææ hic ſummopere proſunt.

Et ʒj. trochiſc. alkekengi, cum lacte vaccino exhibita, etiam hic eſt utilis.

Fotus etiam talis adhibeatur:

℞. *rad. althææ* ʒij.
fol. malvæ, violariæ, althææ,
flor. roſar., camomillor. an. m. j.
ſem. lini ℥ ß.
malvæ ʒij.

Coq.

Coq. ex aq. comm. ad lib. ij. *& colentur*
pro Fomento, *ter quaterve in die, pannis laneis vel lineis calidè immersis & expressis, pectini & perinæo adhibendo.*

Post fotum pecten & perinæum sequenti oleo oblinantur calidè:

℞. *ol. amygdalar. dulc., violar., nymphææ rosar. an.* ℥ ß. Misce.

Inter *Alimenta* conveniunt lac, ova sorbilia, jusculavervecina, amigdalæ dulces, oriza, lac amygdalatum. Cerevisia tenuis, bene defæcata.

XL.

MEDICATIO VIRI, URINÆ SUPPRESSIONE LABORANTIS.

Vir 40 annorum, vitam otiosam inter varium crassioremque cibum potumque in cauponâ degens, nullis tamen calculis vel arenulis antea infestatus, incidit in plenariam urinæ suffla-minationem, ingenti in hypogastrio, circa pectinem, dolore & tumore comitatam, jamque per quinque dies durantem. Multa remedia hactenus, sed frustra, adhibita fuerunt.

Afficitur in hoc ægro *vesica*; quod ex dolore & tumore circa pectinem in hypogastrio; Item *principium meatus urinarii*; quod ex urinæ suppressione, tamdiu durante, est manifestum.

Morbus, qui ægrum affligit, est intemperies crassa viscida & tenax ac pituitosa colli vesicæ, quæ in eo tumorem faciens, & meatum urinarium angustans, urinæque in vesica existentis egressum impediens, *Ischuria* vel *Urinæ suppressio* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est vita illa otiosa; & cibus potusque crassus & varius, quo hic æger diu fuit usus. Inde enim crassi viscidique in corpore geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars vero eorum cum urinis & cum sanguine arterioso ad vesicę collum delata, & ab eo imbibita, meatusque urinarii angustiam, ut *causa continens*, ibi faciens, *urinam jam per quinque dies in vesica retinet*. Cumque perpetuò major urinæ copia ad vesicam propellatur, quæ, propter illam colli angustiam, imo totalem ejus occlusionem, excerni non potest, hinc necessariò ab urinâ illâ eô copiosè propulsâ, *ingens in hypogastrio circa pectinem oritur tumor, magno dolore*, a distensione partium orto, *comitatus*.

Morbus hic valde est periculosus: ex dolore enim inflammatio vesicæ lethalis est metuenda; & deinde nisi cito urinæ detur egressus, serum excrementitium, in sanguine manens, faciet illum ad justam dilatationem, in corde ad vitæ conservationem perpetuò faciendam, ineptum; atque ita vitam ipsam adimet.

Curatio itaque recta quam celerrimè est adhibenda; *quæ* in causæ antecedentis, & continentis, ac intemperiei, & oppilationis ablatione, & urinæ eductione consistet.

Mox itaque injiciatur talis clyster emolliens & expurgans:

℞. *rad. althææ, lilior. albor. an.* ℥j.
herb. malvæ, bismalvæ, parietariæ mercurialis, brancæ ursinæ an. M. j.
sem. lini. fænigræci an. ℥ß.
ficus siccas N°. iv.
Coquantur in suff. quant. aq. comm. ad lib. j.
Colaturæ adde diaphænici, diapruni an. ℥vj.
olei violacei, camomillor. an. ℥j.
salis com. ℥j. M. F. Clyster, *mox injiciendus.*

Post

Post evacuationem clystere factam, adhibeatur fomentum tale pectini & perinæo inter testes & anum:

℞. *rad. althææ* ℥j ß.
herb. althææ, malvæ, parietariæ an. M. j.
flor. malvæ, althææ. camomillor. an. m. ß.
F. decoctio in aq. comm. ad lib. jß. *pro* fotu, *cum filtris laneis eo imbutis & expressis, calidè pectini & perinæo adhibendo.*

Et propinetur tale decoctum emolliens laxans & dolorem sedans:

℞. *herb. malvæ cum radicibus* M. jß.
sem. malvæ ℥iij.
4 *frigidorum major. an.* ℥ij.
F. decoctio in aq. com. ad lib. j.
Colaturæ adde syr. de althæa Fernelii ℥j ß. F. Apozema.

Si his urina non profluat, postea eodem die, postquam enema fuerit reiteratum, hoc decoctum incidens & detergens ægro præscribatur:

℞. *rad. asparagi, bruscі, fæniculi an.* ℥ß.
sem. fæniculi, carui, fænigræci, lini an. ℥ij
cicer. rub. m.s. Coq. in aq. com. & vino rhenano ad lib. j. *Colaturæ adde oxymell. simpl., mellis rosacei an.* ℥j. F. Apozema.

Dum eo utitur æger, inungetur pecten & perinæum tali unguento, moxque imponatur tale cataplasma:

℞. *olei amygdalar. dulc., butyri recent., olei scorpion. an.* ℥ß. *Misce.*

℞. *herb. majoranæ, pulegii, origani. thymi an.* M. ß.
Incisa contundantur & decoq. in modica aq. & vini quantitate ad liquoris comsumtionem, leviterque expressis adde butyri recent., pingued. anatis, axungiæ canis an. ℥ ß.

ol. de

ol. de scorpion. vermium terrest. an. ℥j.
Misce & *F. ad modum* Cataplasmatis, *quod pectini & perinæo calidè imponendum.*

Si urina his promoveatur sequentem hanc sumat purgationem:

℞. *diacathol.* ʒvj. *cassiæ recent. extractæ, diapruni, lenitivi an.* ʒj ß.
dissolve in decocti pectoralis, in quo malva est decocta, ℥iij, *syr. althææ Fernelii* ℥j. *Misce.*

Et postea bis in die utatur de hoc decocto:

℞. *rad. glycyrrizæ ras., malvæ, cort. rad. fæniculi an.* ℥j.
flor. cordial. an. p. j.
sem. lini, malvæ, 4. frigid. major. an. ʒj ß.
cicerum rubr. m. jß. *hordei mund. m.* j.
F. *decoctio in aq. comm. ad lib.* jʃ.
in qua dissolve oxymellis diuretici ℥iij.
butyri recent. ℥ij. *Misce pro* Apozemate, *de quo sumat* ℥iij. *vel* iv. *pro dosi, sumendâ cum tribus ex sequentibus pilulis:*

℞. *therebintinæ venetæ parum tostæ* ʒij.
succi glycyrrizæ, pulv. liquiritiæ an. ℈ij.
F. Pilulæ, *cicerum majorum magnitudinis.*

Si verò urina his non flueret ad catheterem, si illum admittere posset, post olei amigdalarum dulcium in urethram injectionem, esset veniendum, eoque urina esset educenda; & postea in præcedentibus remediis esset perseverandum.

Cibus hic sit eupeptus, ex carnibus vervecinis, gallinaceis, cerefolio, petroselino. *Potus* vinum album rhenanum cereviſia lupulo condita. *Alvus* sit fluida.

MEDI-

XLI.

MEDICATIO FOEMINÆ, DIABETE AFFLICTÆ.

FOEmina sexaginta annos nata, temperamento biliosa, calidis alimentis frequenter uti solita, jam ab aliquot diebus urinam magnâ copiâ ita excernit, ut omnem potum ingestum protinus per urinas emittat, eumque crudum, ac à natura vix concoctum. Adest magna sitis, item calor, dolor & punctio circa lumbos, corporisque totius macilentia.

Afficiuntur in hac ægra *renes*; quod ex copiosa illa urinæ excretione, item ex calore, dolore, & punctione circa lumbos percepta, est manifestum. Afficitur item *cor*, quod ex magno illo calore: nec non *totum corpus*, quod ex totius corporis macilentia patet.

Morbus, quo ægra affligitur, est intemperies renum calida & nimis rara & laxa, quæ serum sanguinis, nimis copiosè separatum, per poros eorum nimis apertos perpetuò magnâ copiâ transmittens, urinæque evacuationem nimis copiosam efficiens, *Diabetes* appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diutinus ille calidorum alimentorum usus: unde multi humores calidi & acres ac serosi, in corpore geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Illi verò in corde existentes & deinde ad renes delati, ibique intemperiem eorum calidam & nimis raram inducentes, *continens* hujus morbi & symtomatum sunt causa.

Hinc enim cor nimis incaluit, & pori renum nimis sunt aperti, sanguinisque partes crassiores arctius vi caloris unitæ, ac serosæ à reliquo sanguine nimium separatæ, & a-

criores factæ, jam à fervido corde vehementius in omnes corporis partes,ac proinde etiam in renum poros,nimis hic raros & laxatos, perpetuò propelluntur; *eæque ipsos dolore circa lumbos afficiunt, immoderatamque hanc producunt urinæ crudæ*, utpote, ob celerem suum transitum, satis concoqui nequeuntis,*evacuationem*;ex eaque *ingens corporis exsiccatio, & inde sitis, calor, & totius corporis macilentia, originem ducunt.*

Morbus hic periculosissimus est,primò propter ægræ nostræ senectutem; & deinde propter macilentiam jam inductam: & præterea quod hæc sit tam vehemens non tantum excrementitiarum, sed etiam utilium partium, perpetua evacuatio; unde metus est, ne vires brevi penitus prosternantur, ægraque citò exstinguatur.

Curatio itaque seriò est auspicanda: *eaque* in causæ antecedentis & continentis,ac intemperiei per contraria ablatione, & symtomatum mitigatione & sufflaminatione, consistet

Primò itaque præscribatur medicamen tale purgans:

℞. *pulpæ cassiæ recent. extractæ* ʒv.
tamarindor. ʒiij.
rabarbari pulveris. ʒß.
Cum syr. rosar. q s. f. Bolus, *mane deglutiendus, vel cum jusculo exhibendus.*

Et porro frequenter utatur de sequenti apozemate:

℞. *rad. borrag., buglossæ an.* ʒj ß.
plantag ʒj.
fol. portulacæ, plantaginis, violariæ an. m. j.
sem. plantag., portulacæ an. ʒiij.
flor. borrag., violarum, nymphææ, buglossæ an. p. j.
myrobalanor. citrin. ʒvj.
Coq. in aq. comm. qu. suff. ad lib. jß. *Colaturæ adde syr. ros. ex infus. multipl.* ʒij.

M.F.

M. F. Apozema.

Atque etiam subinde sumat de sequenti electuario, quantitatem castaneæ majoris:

℞. *conservæ flor. buglossæ, mivæ cydonior. an.* ℥j.
gummi tragacanthi, in. aq. ros. dissol. ʒiij.
sanguinis draconis, boli armeni an. ℈ij ſ.
Cum syr. de papavere. q. s. F. Electuarium.

Lumbi & spina, ab ultimis costis, mane & vesperi inungantur sequenti unguento:

℞. *unguenti rosacei, populei an.* ʒvj.
camphoræ ʒj.
ol rosar. cydoniorum an. ʒvj.
ceræ & aceti parum,
F. Unguentum.

In Victus ratione, Aër ad frigidum & humidum declinet. *Cibus* sit euchymus, & qui crassum succum gignat, ac acrimoniam humorum temperet, ex lacte amygdalato, ovis sorbilibus, piscibus saxatilibus, carne bubula, pomis, pyris, oryza, caseo recenti, intybo, lactuca, portulaca. Abstineat à diureticis & acribus. *Potus* sit vinum adstringens. Abstineat ab exercitiis: contineat se in *quiete*. *Somnus* sit consueto longior. *Alvi excrementa* arte vel naturâ respondeant. Fugiat vehementiores *animi affectus*.

XXXIV.

MEDICATIO VIRI, GONORRHÆA SIMPLICI LABORANTIS.

VIr triginta quinque annorum, temperamento pituitosus, diu alimentis humectantibus usus, jam à longo tempore ex urethra insçius & sine sensu frequenter emittit liquorem a-

quoſum, crudum, viſcidum. Toto corpore gracileſcit : oculi ſunt concavi. Vires ejus indies magis magiſque imminuuntur. Cum impura fœmina non conſuevit.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus;* quod ex gracilitate & ejus debilitate innoteſcit. Sed præcipuè afficiuntur *proſtatæ & aliæ partes, quæ ſeminis generationi inſerviunt*; quod teſtatur in voluntarium illud ac imperceptum liquoris iſtius aquoſi crudi & viſcidi effluvium.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, eſt intemperies frigida ac humida & nimis laxa & rara teſtium eorumque proſtatarum & paraſtatarum, quæ frequentem liquoris aquoſi crudi & viſcidi, ac ſine ſenſu ex urethra effluentis excretionem, magnamque totius corporis extenuationem inducens, *Gonorrhœa ſimplex* appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt diutinus alimentorum humectantium uſus. Inde verò, adjuvante temperamento ægri pituitoſo, aquei in corpore copioſè geniti humores, *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò ad paraſtatas, parenchyma teſtium, & proſtatas delata, iiſque partibus intemperiem frigidam ac nimis laxam raramque impartiens, *continens* hujus morbi, & aquoſi crudi & viſcidi humoris, per urethram ſine ſenſu copioſè effluentis, ſymtomatumque hinc ſequentium, eſt cauſa.

Dum enim ſanguis à corde in illas partes, intemperie iſta laborantes, impellitur, propter ipſarum intemperiem frigidam & humidam relinquitur crudus, ac *convertitur in materiam aqueam & viſcidam, quæ*, cum nullos aut paucos habeat ſpiritus, *è partibus iſtis*, ob laxitatem & raritatem, earum nimiam, *ſine ullo voluptatis ſenſu copioſè emittitur.*

Et quoniam ille fluxus eſt perpetuus, quo ſuccus alimentariis ſubducitur toti corpori; hinc *totius corporis eſt extenuatio, oculorum excavatio, viriumque quotidie ſeſe augens debilitatio.*

Affe-

Affectus hic quia diu duravit, & est in partibus genitalibus interioribus & à ventriculo remotis, ad quas vis medicamentorum difficulter deferri potest; satis difficilis ejus erit *Curatio*.

Quæ in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione, & intemperiei correctione, consistet.

Primò itaque ad causæ antecedentis, nempe pituitosorum humorum evacuationem, præscribatur hoc purgans:

℞. *el. diacathol.* ʒß. *turbith. pulv.* ʒ ß.
rabarb. ∋ß. *cinamom. gr.* iiij.
dissolve in aq. card. benedict. ʒij ß.
aq. fœnicul. ʒß. *Misce* F. Haustus
aliquoties repetendus.

Interim utatur hoc decocto ad intemperiei alterationem:

℞. *fol. menth., absinthii rom. an. m.* j.
sem. agni casti, rutæ, myrthi,
cupular. gland., sem. rosar. rubr. an. ʒjß.
F. *decoctio in vino rubro gallico ad lib.* j. *cum sacchar. q. s.*
Et fiat Apozema, *de quo sumat haustum*
ʒiiij, *omni mane & vespera.*

Et inungatur regio lumborum & perinæi, inter scrotum & anum, hoc unguento:

℞. *ol. mastichini* ʒj. *rutacei, menthacei an.* ʒij.
sem. agni casti, urticæ, rutæ an. ∋j.
menthæ, cariophyll. an. ∋ß.
ceræ q. s.
pulverisatis pulverisandis. F. Unguentum.

Postea utatur dragma una sequentis pulveris, cum haustu vini rubri, vel cum lacte, cubitum iturus:

℞. *gland. quercus in furno exsiccatarum* ʒvj.
sacch. ros. tabellati ʒj. *mastiches, thuris an.* ʒj.
sem. coriand. ʒjß. *succini* ʒj.

viticis, fol. menth. an. ℈j.
oculor. cancri ʒj.
F. Pulvis *subtilissimus.*

Si hæc & similia parum juvent, poterit per cauterium potentiale fonticulus excitari in utraque tibia, paulo infra poplitem, in partibus internis, ad humores pituitosos, cum materia seminis ad genitales partes fluentes, easque nimis laxantes, aliô deducendum.

In *Diæta* alimenta sint exsiccantia & calefacientia, & frequens orizæ usus.

XLIII.

MEDICATIO JUVENIS,

Gonorrheâ virulentâ, & Ulcere præputii meatûsque urinarii LABORANTIS.

Juvenis 30 annorum, jam à quatuordecim diebus patitur fluxum materiæ cujusdam purulentæ & fœtidæ, ex meatu ejus urinario perpetuò fere effluentis, & indusium ipsius commaculantis. Ardor in fine mictionis adest immensus; præputiumque ipsius extrinsecus est exulceratum. Hæc omnia præcessit coitus, cum fœmina non satis pudicâ aliquoties peractus.

Afficiuntur in hoc ægro *prostatæ glandulæ*, & *meatus urinarius*: quod tum ex perpetuo illo purulentæ & fœtidæ materiæ ex urethrâ effluxu; tum ex ardore illo magno, ab urinæ excretione percepto, est manifestum. Afficitur etiam *præputium*; uti ex ejus externo ulcere patet.

Morbus, quo æger hic laborat est intemperies prostatarum, & forsan etiam vicinarum partium, maligna contagiosa, acris, & nimis laxa & rara; cum urethræ ulcere, & præ-

& præputii externa exulceratione conjuncta : quæ perpetuum fere materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra effluxum, urinæque, ab ejus excretione, ardorem producens, vulgò *Gonorrhæa virulenta* appellari solet.

Morbus hic originem duxit à coitu, cum fœminâ impudicâ & impurâ aliquoties instituto. Inde enim, per contactum partium genitalium, malignâ intemperie laborantium, partes genitales hujus ægri, & in iis præcipuè prostatæ, similem intemperiem pravam contraxerunt. Eaque humores, ad alituram & seminis generationem eò propulsos, in materiam purulentam & fœtidam convertit. Hi verò prostatas laxantes & acrimoniâ suâ vellicantes, urethramque cum præputio erodentes & exulcerantes, partesque illas ad excretionem perpetuò stimulantes, *perpetuum materiæ purulentæ & fœtidæ ex urethra profluvium, urinæque magnum, ab ejus excretione, ardoris, vel potius acrimoniæ, sensum producunt.*

Morbus hic *periculosus* est: cum luem veneream, & carunculam in meatu urinario, producere possit.

Curatio itaque prudenter instituenda: *quæ* in intemperiei per contraria correctione, & ulcerum mundatione, & consolidatione, consistet.

Primò itaque talibus purgetur bolis:

℞. *rabarbari pulv.* j.
terebintinæ venetæ ij j.
cassiæ recens extractæ ℥ß.
Misce F. Boli, *mane à jejuno sumendi cum nebulis; qui subinde reiterari poterunt.*

Postea mane, & vesperi circa horam 4, sumat cum lacte trochiscorum alkekengi pulv. ʒj; continuando per aliquot dies.

Si malum perseveret, utatur bis in die, de hoc decocto, hausta ℥iiij:

℞. *rad.*

℞. *rad. petroſelini* ℥j. *althææ* ℥j ß.
liquiritiæ, conſolidæ an. ℥ij.
biſtortæ ℥ß.
herb. plantag., alchimillæ an. m. j.
flor. malvæ arboreſcentis p. j.
ſem. lini, cydonior. an. ʒij. *glandium* ℥j.
nucleor. perſicor. ℥ ß.
decoq. in aq. hord. q. ſ. ad lib. ij. *& Colentur ad uſum.*

Dum his utitur, in penem primò talis fiat injectio detergens, ſyringâ injicienda:

℞. *lithargyr. argent., ceruſſæ, tuthiæ præpar. an.* ʒj.
ſacchari candi ℥ß. *camphoræ* ℈ß. *aluminis* ʒj.
aq. roſar., plantag. an. ℥iiij. *Miſce.*

Poſtea, ad cicatricem inducendam, tali injectione utendum,

℞. *trochiſcor. alb. Rhaſis* ℥ß.
boli armeni ʒß.
aq. roſar., plantag. an. ℥iiij.

Ulceri in glande adhibeatur hoc Unguentum:

℞. *cadmiæ foſſilis, ſive lapid. calaminaris.* ʒj ß.
ſulphuris, argenti vivi an. ʒj.
cum terebinthina miſceantur in formam
Unguenti, *addendo parum axungiæ porci.*

Si malum partinacius perſeveraret, ʒj vel ʒß ſumatur quotidie de hoc pulvere cum lacte:

℞. *rabarbari opt., myrobalanor. citrin.,*
mercurii dulcis an. ʒj.
F. Pulvis.

Maximæ etiam utilitatis ad gonorrhæam eſt hic pulvis, quantitate ʒj, cum vino rubro bis in die exhibitus:

℞. *coralli rubri præp., ſuccini an.* ʒj ſ *camphoræ gr. v.*
terræ lemniæ veræ ʒij. *nucis muſchatæ* ʒj.
F. *ſ. art.* Pulvis *ſubtilis.*

Victus

Victus ratio, hic instituenda, humorum acrimoniam obtundat. Propterea utilis est ptisana hordeacea cum amygdalis dulcibus & 4. sem. frig. majoribus. Utatur frequenter oryza & lacte. Vitentur acria, salsa, acida, & diuretica.

XLIV.

MEDICATIO JUVENIS,

HYPERSARCOSI

Venerea Urethræ

LABORANTIS.

Juvenis 27 annorum, postquam per aliquot menses gonorrheâ virulentâ, admodum acri & mordaci, ex coitu cum impuro scorto peracto natâ, laborasset; ab ea liberatus cœpit laborare magnâ urinæ difficultate, ita ut ea aliquando penitus supprimatur, nonnunquam paulatim & guttatim magno cum urethræ ardore & dolore emittatur. Immissa in eam candela cerea liberè non transit, sed in medio meatus urinarii impedimentum invenit, quod tamen paulo fortiore ejus pressioni cedit.

Afficitur in hoc ægro *media pars meatus urinarii in pene*; quod ex urinæ & candelæ cereæ immissæ impedimento, & magno urinæ excretionis ardore ac dolore, in eo ibi percepto, patet.

Morbus, quo hic æger laborat, est obstructio meatus urinarii, orta à caruncula in media urethra nata; urinæ justam excretionem impediens, magnamque dysuriam inferens.

Hæc cum à gonorrhæa virulenta, ex impura Venere contractâ, & carunculam in urethra penis producente, sit profecta,

fecta, græcè *Hyperſarcoſis Urethræ Venerea*, & latinè *Caruncula in meatu urinario*, a cauſa proxima & parte affecta, appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt coitus, cum impuro ſcorto ab hoc juvene aliquando peractus; quo ejus partes genitales per contactum pravam intemperiem contraxerunt, indeque ſuccus ſeminalis & alimentarius in iis corruptus *antecedentem* huic morbo præbuit *cauſam*. Pars verò ejus ad proſtatas delata, ibique in liquorem virulentum acrem & mordacem converſa, antehac ſuo profluvio *gonorrhæam virulentam* aliquot menſes durantem, & poſtea acrimoniâ ſuâ urethram erodens, primò ibi *ulcus*, & deinde poros ibidem vitians, & nimis laxans, *carnem nimis laxam & copioſam ſive hyperſarcoſin*, *meatum urinarium obſtruentem*, in urethra genuit; eaque ibi ita genita *proxima & continens hujus obſtructionis Urethræ*, ſymtomatumque, inde ſequentium, nempe *urinæ modò ſuppreſſæ, modò guttatim cum magno dolore & ardore effluentis*, eſt *cauſa*.

Morbus hic periculoſiſſimus eſt, difficillimæque curationis; propterea quod ſit in loco valde anguſto, acutiſſimoque ſenſu prædito; ad quem remedia difficillimè applicari, & applicata ægerrimè ferri poſſunt; atque ideo ſæpe per totam vitam durare ſolet. Sæpe etiam, urinam penitus ſuffla minando, mortem inducit. Non tamen deſanatione deſperandum cenſeo; quia hoc malum eſt & recens, caruncula eſt mollis, non calloſa, ſed preſſioni fortiori candelæ immiſſæ cedens.

Curatio itaque diligentiſſima hic eſt adhibenda. *Eaque* primò in carunculæ extirpatione & conſumtione, & deinde in ulceris, poſt carunculam ablatam reliqui, exiccatione & cicatrizatione conſiſtet.

Quæ ut rectè peragantur primò æger noſter blando hoc medicamento purgetur:

℞. *electuarii lenitivi*, *caſſiæ*

cassiæ recent. extractæ an. ʒß.

Dissolve in s. q. aq. hordei, & f. Hausſtus brevis.

Postridie venæsectio instituatur ad uncias sex.

His peractis, adhibeatur carunculæ in meatu urinario cannula lintea, intus cerâ albâ & foris sequenti erodente linimento oblita, transversum digitum longa, & justa cavitatis latitudine prædita, longoque filo appendente transfixa. Medicamentum illud tale erit ex. gr.

℞. *mellis in cineres usti,*
tuthiæ præp.,
butyri recent. in aq. plantag. loti,
terebinth. similiter lotæ,
ceræ flavæ. an. ʒß.
aluminis usti ʒß.
Misce F. Linimentum.

Hoc, crebrâ experientiâ teste, carunculas meatus urinarii, absque dolore, & sanarum partium excoriatione, consumit.

Quidam hoc experimentum summis laudibus extollunt:

℞. *pulv. argenti viv.*
mercu. præcipit.
viridis æris,
antimonii crudi an. ʒiij.
ceræ albæ ʒj.
Misce s. a. in mortario plumbeo ad formam
Unguenti.

Cannula igitur, cujus jam jam memini, ubi uno ex his medicamentis foris fuerit oblita, stylo, extra fistulam argenteam ad digiti transversi longitudinem prominenti, adaptetur, atque una cum argentea fistula & stylo inserto, in urinarium canalem immittatur, donec occurat carunculæ, & cum jam est in loco carunculæ, primum stylus & deinde argentea fistula retrahatur; quo fiet ut cannula, ex linteo

cerâ inducto parata & immissa, relinquatur in meatu urinario, ut per eam urina excernatur, eaque simul prohibeat, ne medicamentum, carunculæ admotum, ab urina elui possit.

Cum volumus renovare medicamentum post unum vel alterum diem, tum ope affixi & propendentis fili cannula extrahenda est, aliaque modo jam explicato adhibenda.

Vel exstirpatio carunculæ institui potest sequente unguento, quo extremitas candelæ cereæ inungitur, eaque ad partem affectam per urethram immittitur, ibique noctu diuque relinquitur; &, cum mejendi est pruritus, extrahitur, & postea rursus adhibetur.

℞. *præcipitati* ʒij. *unguenti de cerussa* ℥j ß. Misce.
quibus pro magnitudine affectus aliquid olei vitrioli addi potest.

Consumtâ carunculâ, quod ex facili & libera urinæ excretione deprehenditur, ulcus erit exsiccandum, & cicatrice obducendum tali medicamento:

℞. *butyri recentis* ℥ij. *cerussæ lotæ in aq. ros.* ℥j.
camphoræ ℈j. *ceræ parum.* F. Unguentum,
quod candelâ cereâ immissâ loco affecto adhibeatur.

Vel ℞. *aqu. fabrilis lib.* ß.
nucum cupressi,
gallæ,
cort. mali granati an. ʒj ß.
alumin. rochæ ʒ ß.
Bulliant omnia.

Ex hoc decocto tepido fiant injectiones in meatum urinarium syringâ, donec ulcera sanentur.

Victus ratio hic exsiccet, & humorum acrimoniam etiam obtundat: propterea convenit ptisana hordeacea cum amygdalis dulcibus & 4, sem. frig. maj. Vtatur quoque frequenter oriza & lacte. Uitentur acria, salsa, & acida, atque etiam diuretica.

MEDI-

XLV.

MEDICATIO FOEMINÆ, SUPERFLUIS MENSIBUS LABORANTIS.

FOEmina quadraginta annorum, alimentis acribus, & serosioribus diu usa, incidit in mensium copiosum & acrem fluxum, jam quatuor menses durantem, qui ipsam magnopere debilitavit. Vertigo ipsi imminet, quam primum caput ejus nonnihil refrigeratur.

Afficitur in hac ægra *uterus*, quod ex immoderato illo mensium fluxu: atque etiam *caput*, quod ex vertigine patet.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies uteri acris & serosa ac nimis laxa & rara; quæ superfluum sanguinis ex utero fluxum, jam ultra quatuor menses durantem, inducens, *Menstruorum superfluorum nomine* vulgò indigitatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diuturnus alimentorum acrium & serosorum usus; quo humores acres, in corpore copiosè geniti, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò ejus ad uterum copiosius delata, ejusque poros nimium laxans & aperiens, *continens* hujus morbi & symtomatum ejus est causa.

Hinc enim fit, ut sanguis justo copiosius & diutius ex utero per ejus poros nimis apertos effluat, partesq; nutritioni & vivificationi inservientes, magnopere inde debilitatæ, acrem crassum & serosum porro gignant sanguinem, qui sua alendi ineptitudine, & nimio effluvio, *ægram nostram valde debilitat.* Hic deinde ad cerebrum delatus, suppeditat crassos ventriculis cerebri spiritus; qui, capite nostræ ægræ subinde refrigerato, in vorticem in ventriculis cerebri, ob suam crassitiem, & poros cerebri ex frigore nimis arctatos,

quia idcirco in nervos satis copioſè diffundi nequeunt, aguntur, atque ita *vertiginoſam rerum viſibilium perceptionem* in noſtra ægra interdum *excitant*.

Hic *morbus* valde periculoſus eſt. Metuendum enim, ne ex diuturno illo fluxu atrophia, extabeſcentia, vel hydrops oriatur.

Ideoque diligens *medela* mox eſt adhibenda; *quæ* cauſam procatarcticam, antecedentem, & continentem, ac intemperiem, per remedia contraria, tollet.

Primò itaque præſcribatur tale purgans:

℞. *rad. plantag.* ℥j ß.
rabarb. optimi ʒj.
myrobalanor. citrin. ʒiij.
coq. in aq. com. q. ſ. ad. ℥iij.
Colaturæ adde rabarb. electi pulv. ℈j.
ſyr. cydonior. ℥j. *miſce* F. Hauſtus, *qui ſemel vel bis in ſeptimana reiteretur.*

Corpore purgato, adhibeantur revulſionem humorum cucurbitæ aliquoties in die ſcapulis & regioni umbilici, ſine ſcarificatione: ac poro utatur hoc julapio:

℞. *ſyr. portulacæ* ℥j ß.
de roſis ſiccis, myrtillor. an. ℥j.
papaverini ʒvj.
aq. plantaginis ℥iij.
roſar. ℥j. *Miſce.* F. Julapium, *pro tribus doſibus, mane & veſperi ſumendis,*

Malo perſeverante, utatur hoc pulvere:

℞. *ſuccini, ſanguinis draconis, lapid. hæmatit., coralli rubri. ſem. portul. an.* ʒj.
balauſtior. ℈ij.
boli armeni orient. ʒij.
Omnia redigantur in pulverem ſubtilem: de qua ſumatur dragmæ quantitas cum aq. plantag. vel vini rubelli & adſtrin-

adſtringentis. q. ſ. Vel

℞. *conſervæ roſar. antiquæ* ℥iij.
pulv. roſar. rubr., carabes,
trochiſc. de ſpodio, vel terrâ ſigillatâ an. ʒj.
cum ſyr. myrtino q. ſ. F. Conditum, *de quo ſumat caſtaneæ magnitudinem, ter quaterve vel pluries in die.*

Ventri inferiori, & circa os ſacrum, hoc applicetur ceratum:

℞. *unguenti comitiſſæ* ℥ ß.
maſtiches, roſar. rubr. exſicc., acaciæ,
balauſtior, coralli rubr., cornu cervi uſti an. ʒj.
In pulverem redacta, cum ol. roſ. q. ſ. ac cera & pauxillo ladani, formentur in conſiſtentiam cerati, quod extendatur ſuper corium & F. Emplaſtra *duo, dictis locis, unguento comitiſſæ primo perunctis, adhibenda.*

Morbo non cedente in uterum injiciatur talis injectio:

℞. *mellis roſati* ℥j.
aloes, thuris, boli armeni,
terræ ſigillatæ an. ʒj.
corall. rubr., myrrhæ, balauſt. an. ℈ij.
Miſce. F. Paſta, *de qua dragmæ duæ, cum aq. plantag.* ℥iiij, *tempore uſus per metrenchytam in uterum injiciantur.*

Vel viciſſim adhibeantur talia peſſaria:

℞. *ſucci plantag. q. ſ.*
boli armeni, cort. granator.,
thuris an. q. ſ.
cornu cervi uſti, gallarum an. ʒß.
Miſceantur, & cum cotone iis madefacto,
F. Peſſaria No. ij.

In *Victus ratione*, *Aër* ſit temperatus. *Alimenta* ſint adſtringentia & incraſſantia, ex pedibus animalium, carnibus pullorum gallinaceorum, aſſatis potius quam elixis. *Cereviſia*

revisa mediocrium virium, in qua fol. & sem. plantaginis suspensa sunt. *Motus & animi pathemata* vitentur. *Somnus* sit moderatus.

XLVI.

MEDICATIO PUELLÆ,

Obstructione Mensium & Leucophlegmaticâ Cachexiâ LABORANTIS.

PUella 18 annorum, temperamento pituitosa, post diuturnum frigidorum & viscidorum alimentorum usum, jam â sex mensibus menstruum fluxum non habet. Accessit faciei pallor, totiusque corporis cachexia. Adest etiam stomachi compressio, respirationis difficultas, ac spontanea lassitudo.

Afficitur in hac ægra *uterus*; ut ex mensibus suppressis: item *facies*, &, præter *viscera nutritioni inservientia* etiam totius *corporis habitus*; quod ex pallore, & totius atrophiâ ac spontaneâ lassitudine: nec non *ventriculus* & *pulmo*; quod ex stomachi compressione, & respirationis difficultate, constat.

Morbus præcipuus, qui ipsam affligit, & unde reliqua omnia consequuntur, est intemperies quædam uteri pituitosa, viscida, tenax; quæ poros uteri obstruens, mensiumque fluxum sufflaminans, & gravissima alia symtomata, in historia hic commemorata, inducens, *Obstructio mensium, cum leucophlegmaticâ cachexiâ conjuncta*, appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est diuturnus frigidorum & viscidorum alimentorum usus: unde multa viscida, & tenax pituita in viscéribus & toto corpore genita, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad uterum aliasque partes affectas delata, ibique poris inserta,

iisque

iisque inhærens, *continens* hujus morbi & symtomatum existit causa.

Hinc enim humores, singulis mensibus per uterum evacuari soliti, fuerunt sufflaminati, qui ex diutina mora pravam qualitatem adipiscentes, ac per sanguinis circulationem in totum corpus delati, *induxerunt*, pallido suo colore, *in facie pallorem*; ineptitudine verò suâ, qua non sunt apti, qua partibus, in quibus perpetua est substantiæ corporeæ dissipatio, bene agglutinentur, sed in aquosum consistentiam convertantur, *inducunt totius corporis cachexiam*, sive justæ nutritionis defectum, & aquosæ constitutionis habitum.

Ventriculum verò & vicina viscera obsidentes, eaque pondere suo prementes, faciunt *stomachi & præcordiorum compressionem*. In pulmonum autem substantiam effusi bronchiaque eorum arctantes, *respirationis inducunt difficultatem*. Et quoniam pituitosus hic sanguis, in cerebrum delatus, ineptus est, qui in copiosos spiritus convertatur; in habitum verò corporis propulsus, *musculis gravitatem & motus difficultatem addit*: *hinc spontanea lassitudo*, in leviſſimis etiam corporis motibus molesta, necessario tenet nostram ægram.

Morbus hic valde est periculosus, tum propter obstructionis uteri tollendæ difficultatem; tum ob viscera insignia, quæ hic afficiuntur; tum ob gravia symtomata, quæ producit. Atque ideo, ne veram leucophlegmatiam inducat, *Curatio* primo quoquo tempore seriò est instituenda.

Eaque consistet in pravorum humorum præparatione & evacuatione; ac uteri viscerumque & totius corporis intemperiei, per contraria, correctione.

Primò itaque tali utatur vino alterante & laxante:

℞. *rad. helenii, calami aromat. an.* ʒiij.
eryngii, pimpinellæ, fæniculi an. ℥ʃ,

herb. praſſii, ſcordii, menthæ, card. bened., meliſſ. an. m. ſ.
fol. ſennæ ʒx. *agarici trochiſ.* ʒiij. *rabarb.* ʒj *ſ.*
ſummit. ſambuci in vere collectar. m. ſ.
flor. acaciæ, ſambuc. an. p. j. *& ſ.*
ſem. fæniculi, aniſi an. ʒj.
tartari vini albi ʒj ß.
zinzib., galangæ an. ʒj.
paßular. minor. ʒx.

Inciſis incidendis, cum linteo raro fiat Puppa, *quæ infundatur in vini albi lib.* ℥j. *de quibus ægra bibat hauſtum bis in die.*

Ubi hoc modo alterata & evacuata fuerit, ſequenti utatur ſyrupo:

℞. *rad. 5. aperient. in vino macerat. per noctem an.* ℥j.
eryngii, ireos, ſcorzoneræ, an. ℥ß.
helenii ʒij. *polypod. q.* ʒv.
Cort. rad. cappar. ʒiij. *citr.* ℥j ß.
paſſul. min. ʒx.
herb. marrubii albi, meliſſæ an. m. iij.
medull. ſem. cartham. ʒv.
fol. ſennæ ℥j. *hermodactil.* ʒij.
ſem. dauci, apii. an. ʒß.
flor. anth., ſtæchad. an. p. j. *ſambuci, geniſtæ an. m. ſ.*
cicer. rubr. ℥ ß.
tartari albi puri ʒiij.

Macerentur per noctem in vini & aq. part. æq. q. ſ. & poſtea coq. ad tert. part. conſumt. Colaturæ lib. ij. *ſ. adde ſacc. lib.* j *ſ. & decoq. in formam* Syrupi, *de quo ſumat quotidie* ℥ij. *vel* ℥iij. *per octiduum continuando.*

Poſtea, perſeverante morbo, utatur ſequenti remedio:

℞. *cremor. tartari* ʒj ß.
magiſterii tartari vitriolati,
corall. rubr, an. ʒß. Miſce. De

De hoc medicamento ſumantur ℈ij. cum hauſtu vini ſequentis:

℞. *herb. abſinthii, card. benedicti an. m.ſ.*
rad. calami aromatici, helenii an. ʒij.
galangæ, zedoariæ an. ʒj.
ligni ſaſſaphras ʒß.
Inciſa infundantur in vini albi menſura j.

Ubi his per biduum fuerit uſa, purgetur tali pulvere:

℞. *rad. mechoacannæ pulv.* ℈ij.
tartari vitriolat. ℈ß.
ſcammonii gr. ij. Miſce. F. Pulvis,
cum præcedenti vino exhibendus.

Denique tali utatur Clareto laxativo, ubi novilunium inſtabit:

℞. *rad. helenii, fæniculi, eryngii an.* ʒiij.
paſſular. corinth. ʒx. *fol. ſennæ* ʒj. *agarici trochiſ.* ʒß.
turbith, hermodacti., an. ʒj ß. *rabarbari* ʒß.
ligni ſaſſaphras ʒj.
ſem. aniſi, fæniculi an. ʒß. *crem. tartar.* ʒj ß.
ſacchari albi ʒiij.
vini q. ſ.
Inciſa & contuſa in vino ſemel ebulliant, poſtea macerenter per noctem in loco calido: Mane colentur per manicam Hippocratis ad lib. ij ß. F. Claretum, *de quo bibat ſemel vel bis in die hauſtum* ʒiij. *vel* iv.

Ubi de illo per biduum vel triduum uſa fuerit, purgetur his pilulis hyſtericis:

℞. *aloes ſuccotrinæ* ʒiij. *myrrhæ opt.* ℈j.
extract. calami aromat., card. benedict. an. ℈ſ.
extract. croci gr. iij. *rad. gentianæ, ariſtol. long. dictam. an. gran.* v.
Cum rob ſambucino q. ſ. F. Maſſa pilularum, *de cujus* ʒſ. *f. pilulæ* N. v. *quas per dies tres quatuorve ſumat*

mane jejuno ventriculo.

Toto Curationis tempore *Aër* sit temperatus, *Cibus* eupeptus & euchymus. *Motus* corporis sit moderatus. *Tristitiam* vitet.

XLV.

MEDICATIO FOEMINÆ, FLUXIONE UTERINA LABORANTIS.

MUlier quinquagenaria, pituitosa, otiosam vitam ducens, jam à semestri per inordinata aliqua temporis intervalla excernit ex utero copiosum humorem mucosum, album, & interdum subluteum, ac mordace aliqua qualitate præditum. Ventriculus ipsius cibum non rectè concoquit. Eumque vomitionibus exonerare solebat; quas jam aliquot menses intermisit.

Afficitur in hac ægra *uterus*; quod ex humore mucoso albo & interdum subluteo ac mordaci, utero copioscè & frequenter excreto, constat. Afficitur etiam *ventriculus*; quod ex coctionis ejus vitio est manifestum.

Morbus qui eam affligit, est intemperies uteri pituitosa; quæ excretionem copiosam humoris mucosi, albi, & interdum etiam sublutei ac mordacis, per intervalla quædam temporis inordinata, efficiens, *fluor uterinus* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est vita otiosa, quâ, adjuvante temperamento ægræ nostræ pituitoso, multa humorum pituitosorum copia in venis & arteriis collecta, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus ad uterum propulsa ibique restagnans, ulteriusque ibi corrupta, ac uterum ad excretionem copiosam, per inordinata

nata quædam temporis intervalla stimulans, *Continens* hujus morbi, & molestiæ istius excretionis, est causa.

Morbus hic difficulter curari solet, præsertim in provectioribus. Et sæpe uteri exulcerationem inducit. Ut & pigritiam, lumborumque dolorem, inappetentiam, aliosque similes affectus: ideoque diligenti *Cura* erit impugnandus.

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, & intemperiei per contraria ablatione.

Primò itaque, quia hic affectus est ortus ex eo tempore, quo vomitum intermisit, vomitus excitetur singulis hebdomadis semel tali vomitorio:

℞. *electuarii diasari Fernelii* ʒiij.
dissolve in juris pulli vel vini ℥iij.
Misce pro Haustu.

Vel ℞. *conservæ fol. asari* ℥j.
aquæ hordei ℥iij.
Contunde in mortario, deinde exprimatur per linteum liquor, cui adde aq. cinnamomi ʒij.
Misce. F. Haustus vomitivus.

Et semel in mense purgetur tali purgante:

℞. *rad. salappæ pulverisatæ* ʒij. *vel* ʒj.
pulpæ tamarindor. ʒvj.
cum syr. rosat. sol. q. s. f. Boli, *mane jejuno ventriculo deglutiendi.*

Eâ autem septimanâ, quâ per alvum purgatur, abstineat à vomitorio sumendo.

Interim ubi purgata fuerit, quotidie mane ante ingressum balnei, mox præscribendi, sumat cochleare talis pulveris cum jusculo mixtum:

℞. *pulver. aromatici rosati* ʒj.
diamargariti calid.,
cort. citri sicci an. ʒß.

raſuræ eboris, cornu cervi,
rad. galangæ, cyperi an. ℈j.
cineris ſpongiæ combuſtæ & lotæ in aq. peculi roſ.
℥ij ß.
ſacchar. ℥j. F. *omnium* Pulvis.

Balneum, quod quotidie per horam ingredietur, tale præſcribatur:

℞. *rad. biſtortæ, lapathi an. lib* j. *gallar., malicorii an.* m. ij.
flor. camomill., meliloti, roſar., abſinthii an. m. j.
aluminis ℥ij. *ſalis* ℥j. *tartari p.* j. *f. decoctio in ſ. q. aq. comm.* pro inſeſſione in Balneo.

In *diæta*, *Aër* ſit purus, calidus, ſiccus. *Cibus* euchymus, eupeptus, ſiccans. *Vitentur* piſces, & lac, olera, fructus fugaces. *Somnus* ſit moderatus. Vitet *Motum* vehementem. *Potus* ſit vinum parum adſtringens. Abſtineat à *Venere*. *Mœſtitia* vitetur.

XLVII.

MEDICATIO FOEMINÆ, UTERI DOLORE LABORANTIS.

FOEmina 38 annorum, cum poſt ſolitam menſium expurgationem ſeſe aëri frigido, veſtibus non ſatis bene munita, expoſuiſſet, incidit in tantum cruciatum tamque intolerabilem dolorem, à pectine imoque ventre ad diaphragma & inguina uſque ſe diffundentem, ut eo pæne enecaretur, nec poſſet corpus in ullam partem movere. Ubi tamen corpus ſubinde movet, incidit in lipothymiam vel ſyncopen, à qua difficillime deinde poteſt revocari. Aliquando flatus ex collo uteri per ſinum pudoris erumpit; qui dolorem magnopere levat.

Affici-

Afficitur in hac fœmina *venter*, & in eo potissimum *uterus*; quod ex dolore, à pectine & inguinibus ad diaphragma usque se diffundente; ac ex flatibus, ex utero erumpentibus, doloremque levantibus, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies frigida & flatulenta uteri; quæ dolorem ingentem, ab imo ventre ac pectine & inguinibus ad diaphragma usque extensum, excitans, *Dolor uterinus* appellari a Medicis consuevit.

Causa procatarctica hujus morbi est aër frigidus, cui ægra nostra, vestibus non satis bene munita, post mensium expurgationem sese exposuit. Inde enim uterus, à mensibus recens expurgatis adhuc debilis & laxus, fuit refrigeratus; quo reliqua, tum sensibilis, tum insensibilis evacuatio uterina fuit impedita, pravique humores in utero & circa illum fuerunt collecti & retenti, qui *antecedens* hujus morbi sunt *causa*. Illi verò ibi in flatus, & vapores resoluti; & egredi nequeuntes, parteſque uteri & vicinas distendentes, vehementiusque moventes, *continens* hujus morbi & symtomatum sunt causa.

Humores enim illi frigidi & vitiosi, in substantia & cavitate uteri, & circa illum, collecti, *intemperiem frigidam induxerunt*: illi verò in flatus & vapores resoluti, uterum parteſque vicinas suo motu vehementi distenderunt, eoque vehemente distensionis motu *ingentem istum & intolerabilem excitarunt dolorem, à pectine ad diaphragma usque per totum ventrem*, propter motum vehementem per nervos & membranosas vicinorum viscerum partes communicatum, *sese diffundentem, & ipsam ægram*, propter cordis constrictionem ex dolore ortam, *pene enecantem*, & *motum corporis*, ex metu lipothymiæ ab eo orituræ, *impedientem*.

Ubi autem corpus movet, incidit in lipothymiam, ex qua difficulter revocari potest; quia per motum corporis augetur motus

motus vaporum circa uterum existentium, eoque augetur dolor, (quippe qui nihil aliud sit, quam nimis vehemens partium tactui inservientium motus) atque ex dolore illo vehementer aucto determinantur ita in cerebro spiritus, talesque aperiuntur in eo pori, ut spiritus fluant copiosius in fibras cordis constrictorias, eoque ingressum justum sanguinis in illud impediant, atque ita vehementem & sublatu difficilem inducant lipothymiam.

Ubi verò vapores in capacitate uteri valde sunt aucti, tum erumpunt illi, propter suum motum & copiam, quibus os uteri aperiunt, foras ex utero per sinum pudoris; illis autem egressis, quia in utero cessat vel imminuitur motus uteri vehementior, *cessat etiam vel levatur dolor.*

Morbus hic, ob doloris vehementiam, lipothymiam accersentem, *est periculosus*, diligenti itaque *Curatione* erit mox impugnandus.

Eaque consistet in intemperiei, doloris, & lipothymiæ ablatione.

Mox itaque per anum injiciatur talis clyster:

℞. *herb. mercurialis, artemisiæ, calaminthæ, pulegii, an. m. j.*
flor. camomeli, meliloti an. m. ß.
sem. lini, fænugræci an. ℥ß.
decoq. in aq. com. ad lib. j. in colatura dissolv.
electuarii hieræ simpl., benedict. laxativ. an. ℥ß.
ol. cheirini ℥ij. electuar. de baccis lauri ℥ß.
M. F. Clyster.

Post injectum clysterem, utatur subinde hausta talis decocti:

℞. *calamenthæ, pulegii, artemisiæ an. m. j.*
flor. camomillor. m. ß.
sem. dauci, anisi, carui, fæniculi an. ʒij.
nucis muscatæ ʒj.

decoq.

decoq. ex aq. commun. ad lib. j. *Colaturæ adde oxymell. ſimpl.* ℥ij. *Miſce* F. Apozema.

Sæpe etiam poteſt uti diacalamintho, & diacymino.

Ventri dolenti talis applicetur ſacculus:

℞. *rutæ, calamenthæ, pulegii, artemiſiæ an. m.* j.
flor. camomillor., meliloti an. m. ß.
ſem. cymini, aniſi an. ℥ß.
F. Sacculus *ex linteo, cui hæc includantur: Iſte vino calido immerſus, & deinde expreſſus, applicetur ventri inferiori.*

Applicari etiam poterit ventri emplaſtrum de baccis lauri, ſuper linteo vel corio extenſum.

Perſeverante dolore talis clyſter uterinus in uterum injiciatur:

℞. *artemiſiæ, calamenthæ, betonicæ, an. m.* j.
ſem. nigellæ, cumini, dauci, aniſi an. j.
ſpicæ nardi, ſchænanthi, nucis moſcatæ, cinnamomi. ℥ß.
Coq. ex ſuff. q. vini gallici ad lib. j. M. F. Clyſter, *per metrenchytam in uterum injiciendus.*

Ad alvum movendam exhibeatur manna cum jure vervecino ad ℥j ß. vel ℥ij.

Si doloris perſeverantis neceſſitas deſideret, ſumat gr. iiij. laudani opiati, cum theriacæ ℥ ß.

Ad lipothymiam ſumat ſubinde aquam cinnamomi.

Aër, in quo exiſtit, ſit calidus; *cibus* eupeptus; *potus* vinum tenue. *Motus* vitetur; omni ratione concilietur *ſomnus*. *Alvus* reſpondeat arte vel naturâ. Vitet *vehementes animi affectus*.

XLVIII.

MEDICATIO PUELLÆ HYSTERICA PASSIONE AFFLICTÆ.

PUella viginta annorum, ſanguinea, alimentis craſſis diu uſa, & menſes inordinatè fluentes habens, ſubinde, per dierum aliquot intervalla, afficitur crurum imbecillitate & cardialgia, quas ſubſequitur faciei pallor, & reſpirandi difficultas, in qua ipſi fauces conſtringi videntur. Deinde, malo ingraveſcente, ſentitur in ipſius abdomine globi cujuſdam, ad diaphragma identidem magno impetu aſcendentis, motus. Audiuntur quoque murmura & varii imi ventris ſonitus. Privatur denique omni ſenſu & motu, pulſuſque valde parvus & debilis evadit. Durat interdum hic paroxyſmus per horas duas aut tres: â quo liberata magnam totius corporis ſentit perturbationem & laſſitudinem.

Afficiuntur in hac puella *pulmo, cor, & fauces;* ut ex difficili reſpiratione, pulſu debili, & preſſionis faucium ſenſu patet. Afficiuntur item *inteſtina*, ut ex aſcenſu globi, & murmure ac ſonitu in abdomine perceptis conſtat. Afficitur etiam *cerebrum*, ut ex ſenſus & motus privatione patet. Afficiuntur hæ partes *ſecundariò: primariò* verò *uterus*; quod ex menſibus inordinatè fluentibus, item ex eo, quod hic affectus talia ſymptomata, quæ jam commemoravimus, producere ſoleat in fœminis ex utero laborantibus, eſt manifeſtum.

Morbus, qui ipſam affligit, eſt quædam intemperies putrida & maligna uteri; quæ difficultatem reſpirandi, preſſionem faucium, & globi cujuſdam vehementius in abdomine

mine ascendentis motum, ac abdominis murmura, sensusque ac motus privationem, ac pulsum debilem subinde per intervalla quædam dierum excitans, *Præfocatio uterina*, vel *Hysterica passio* vulgò appellari solet.

Procatarctica hujus morbi *causa* est diutinus crassorum alimentorum usus, item adolescentia & temperamentum sanguineum nostræ puellæ: unde partim crassus humor, partim multum seminis in ipsa circa uterum genitum, & mensium inordinatum fluxum efficiens, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars verò ejus circa uterum per quædam dierum intervalla corrupta, malignitatemque adepta, & uterum suâ rarefactione, motu, vel acrimoniâ vellicans, ac venis sese insinuans, & deinde ad cor, cerebrum aliasque partes affectas, per sanguinis circulationem, vel transpirationem, delata, *continens* hujus morbi, & symptomatum, est causa.

Pravus enim ille humor, primò parcius ad cor delatus, sanguinisque dilatabilitatem suis crassis particulis impediens, efficit ut sanguis justo parcius cuti reliquisque partibus suppeditetur, & in justo pauciores spiritus convertatur, unde ex illo sanguinis defectu *oritur cutis pallor*; &, ex defectu illo spirituum animalium, *crurum* in movendo *debilitas*. Ad ventriculum verò propulsus, superioremque ejus partem acrimoniâ suâ rodens, producit *cardialgiam*.

Dum autem ab hujus humoris acrimoniâ & quantitate ac motu fibrillæ ipsius uteri vehementius vellicantur, motusque ille per nervos ad cerebrum defertur, pori in cerebro ita aperiuntur, ut spiritus animales ex eo in constrictorios musculos faucium, abdominis, aliarumque vicinarum partium vehementius & inordinatius fluentes, *convulsivum* & *constrictorium quendam motum, inspirationem lædentem*, in abdomine ac diaphragmate, & aspera arteria *circa fauces*, aliisque partibus respirationi inservientibus, producant.

Spiritus verò fluentes identidem magnâ vi in fibras inteſtinorum, eaque in globum contrahentes, & vehementiſſimè agitantes, faciunt *ſenſum convulſivi motus, quo inteſtina in globum contracta vehementi impetu verſus diaphragma viciſſim propelluntur*, & læſionem inſpirationis magnopere augent.

Alii globum illum, verſus ſuperiora in hyſtericis tanta vi in abdomine verſus diaphragma propulſum, ipſum uterum vel tubam uteri Fallopianam eſſe exiſtimant. Verùm, cum illæ partes, præſertim in virginibus, in tantam molem diſtendi, & tam altè, ubi ille globus percipitur, attolli nequeant, ipſos errare exiſtimo.

Humores autem illi pravi, ubi poſtea ab utero ad cor copioſius deferuntur, ſanguini ibidem miſti, dilatabilitatemque ejus ſummopere imminuentes, inducunt ſpirituum naturalium in corde, & animalium in cerebro, partim inconvenientem motum, partim defectum; unde neceſſariò, ex cordis læſione, ſequitur *pulſus debilis*; & ex læſione cerebri, *ſenſus motuſque voluntarii privatio.*

Diſſipato verò, vel diſcuſſo, vel expulſo poſt duas aut tres horas ex corde pravo illo humore, & bono ſanguine ad cor & cerebrum per circulationem redeunte, paroxyſmus ceſſat, & *ægra valde*, ex magna illa perturbatione, *fatigata, ad ſe redit.*

Cum verò nova materia morbifica poſtea rurſus eſt genita, & juſtam maturitatem eſt adepta, tum ea rurſus attenuata, & vehementius mota, novum paroxyſmum hyſtericum inducit.

Morbus hic valde eſt periculoſus, cum paroxyſmi graviſſimis ſymtomatis ſint comitati, & valde frequentes; unde metus eſt, ne ægra noſtra in paroxyſmo aliquo ſuffocetur.

Curatio itaque maturanda. Quæ *in paroxyſmo* conſiſtet in

in humorum & vaporum istorum putridorum & malignorum discussione & expulsione: & *extra paroxysmum*, præter causæ procatarcticæ ablationem, in pravorum humorum ex toto corpore evacuatione, & uteri intemperiei per contraria correctione.

In paroxysmo itaque mox injiciatur clyster acris, & naribus adhibeantur pennæ perdicum incensæ & fumantes, vel oleum succini, vel assa fætida, vel castoreum, vel sulphuris fumus.

Adhibeantur etiam frictiones & ligaturæ crurum, ut & brachiorum, subinde solvendæ; quibus pravorum humorum, ab illis partibus ad cor tendentium, reditus impeditur.

Emplastrum quoque, ex galbano & gummi ammoniaco, æqualibus partibus in aceto dissolutis, & super corio ad magnitudinem volæ manus extensis factum, inter umbilicum & os pubis admoveatur.

Naribusque inspiretur, ad sternutationem excitandam, pulvis subtilis, ex tabaco, euphorbio, & elleboro albo confectus.

Mantili etiam, ligaturæ instar adhibito, abdomen super umbilico arctè, ad globi istius ascensum impediendum, circumcingatur.

In principio perturbationis novi paroxysmi, præstantissimum remedium est sequentium pilularum usus:

℞. *Castorii* ℈j.
fæculæ bryoniæ ℈ß.
Cum syr. de artemisia q. s.
F. Pilulæ, No. iij.

Extra paroxysmum laborandum, ut semen & cacochymia circa uterum non gignatur, vel ibidem non subsistat.

Optimum itaque remedium hic erit conjugium. Quod si ejus

si ejus commoda occasio non offeratur; sanguis educendus erit ex venis, circa utrumque talum existentibus, pro ratione virium. Et menses, non satis ordinatè & parcè fluentes, movendi erunt primò talibus pilulis purgantibus:

℞. *Massæ pill. de hyera* ℈j.
Agarici trochisc. ℈ſ.
Scammonii gran. x.
Castorei, seminis agni casti, an. gr. iij.
cum syr. de artemisia q. s. F. Pil. No. VII.
Mane jejuno ventriculo sumendæ.

Et deinde tali apozemate menses movente utatur:

℞. *rad. cyclaminis, bryoniæ, valerianæ, petroselini, rub. tinctorum an.* ℥ſ.
fol. artemisiæ, melissæ, nepit., matricariæ, pulegii, sabinæ, an. M. ſ.
sem. anisi, fæniculi, dauci, an. ʒj.
Decoq. in aq. hordei ad lib. j. *Addendo sub finem decoct. fol. sennæ* ℥j ſ.
In colatura dissolve syr. de artemisia. ℥j. ſ.
F. Apozema, *de quo sumat, quotidie vel alternis diebus, haustum* ʒiij. *vel* iiij.

Adhibeantur ad seminis extinctionem mentha, ruta, lactuca. Et lumbi illinantur unguento refrigerante Galeni, cum succo sempervivi.

In *Victus ratione*, *Aër* sit temperatus, tranquillus. Caveat sibi ab *Alimentis*, quæ multum sanguinis & spermatis generant. Parcè victitet. Vitentur alimenta, quæ flatus & humores pravos & melancholicos gignunt. *Potus* sit cerevisia tenuis, & vinum aquâ dilutum. In syncopes tamen periculo admittatur vinum merum. *Exercitia* sint mediocria. *Somnus* solito brevior. *Excrementa alvi* respondeant arte vel naturâ. *Tristitia* vitetur, & procuretur omni modo gaudium.

MEDI-

XLIX.

MEDICATIO

Immodici sanguinis fluxus in gravidâ, cum fœtu mortuo.

FOEmina 30 annorum, cum in noni ingravidationis mensis initio ictum in ventre satis vehementem accepisset, & postridie, cum vehementiore brachiorum motu, onus aliquod ponderosius sæpius de loco in locum transtulisset, incidit in sanguinis ex utero fluxum, per intervalla quædam cessantem & redeuntem, & vires ipsius valde dejicientem, jamque per quatuordecim dies durantem. Fœtus jam à multis diebus in utero immobilis & conglomeratus sentitur. Nullaque parturitionis adsunt indicia.

Afficitur in hac fœmina *uterus*; quod ex sanguinis ex utero fluxu, jam per intervalla plusculos dies durante; & ex fœtu mortuo, in eo hærente, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est vasorum uteri apertio, nimium sanguinis fluxum producens; & cum præternaturali cavitatis ejus, à fœtu mortuo, distentione conjuncta; qui *Immodicus sanguinis fluxus in gravidâ, cum fœtu mortuo*, appellari potest.

Hic morbus *originem* duxit, primò ex ventris ejus satis vehementi percussione; & deinde ex vehementiore illa magni oneris, cum magna brachiorum expansione factâ, translatione.

Inde enim fœtus in utero graviter fuit læsus, & membranæ fœtum involventes, & etiam hepar uterinum fuerunt, si non tota, saltem ex parte, ab utero sepatata, eorumque *vasa* modò copiosius aperta, modò clausa, *sanguinem copiosum per intervalla emiserunt.* Atque hinc primò *gravida*

da valde fuit debilitata; & deinde *fœtus*, ab ictu jam antea læsus, accedente nutrimenti, ex vasorum ruptura, defectu, etiam *fuit extinctus. Isque* propterea jam à multis diebus *immobilis & conglomeratus sentitur.*

In maximo periculo versatur hæc gravida: propterea quod, propter fœtum mortuum in utero existentem, sanguinis ille fluxus sisti non facile possit: & fœtus, quia mortuus est, difficillimè ex utero exturbari poterit: isque, ibi diutius manens, magnum suâ corruptelâ matris necandæ inducit metum. Omni itaque ratione, ad *Curationem* hic peragendam, partus erit procurandus.

Primò idcirco tali clystere uteri excretio excitari poterit:

℞. *decocti emollientis comm. lib.* j.
electuarii diaphœnici, diapruni an. ʒvj.
salis commun. ʒj ß.
olei lilior., camomill., castorei an. ʒj
Misce F. *Clyster.*

Parturitione hinc non sequente, exhibeatur, ad fortiorem ejus excitationem, tale *vomitorium*:

℞. *salis vitrioli* ʒj.
aq. artemisiæ ʒiiij.
Misce.

Vel ℞. *mercurii vitæ gr.* iv.
conserv. rosar. ʒj.
misce pro Bolo vomitivo.

Parturitio deinde sequens, si non satis valida fuerit, ad illam augendam, vel fortius excitandam, talis exhibeatur haustus:

℞. *dictamni cretici,*
aristolochiæ utriusque,
trochiscor. de myrrha ana. ʒß.
croci, cinnamomi an. gr. x.

con-

confect. alkermes ʒj.
aq. cinnamomi ʒß.
aq. artemisiæ ʒij. *Misce*, F Haustus.

Fætu excluso procul dubio lochia sequentur, quibus deinde bene fluentibus, nihil ulterius erit tentandum.

Si autem neque his, neque ullis aliis remediis, partus procurari posset, ad chirurgicam *gasterotomiam*, si ægra illam admitteret, esset, ex quorundam sententiâ, perveniendum.

L.

MEDICATIO FOEMINÆ, IN PARTU DIFFICILI VERSANTIS.

FOEmina 28 annorum, temperamento sanguinea, jam triduum in difficili partu laborat; quo vires ejus nunc valde sunt prostratæ; uterusque, ob elapsas aquas, valde est exsiccatus: alvum etiam adstrictam habet.

Partûs hæc difficultas, in qua hæc fœmina versatur, nunc est *à viribus*, non tantum ejus, sed etiam fœtus, ob spiritus ex diutinis illis totius tridui pariendi nixibus nimium dissipatos, valde dejectis: & præterea *ab utero* ejusque collo ob elapsas aquas nimis arido & sicco: adhæc, *fæces alvi*, ob ejus adstrictionem in intestinis nimis diu retentæ, ad commodam fœtus expulsionem impediendam suâ etiam copiâ hic multum conferunt.

Partus difficilis *periculosissimus* est; cum vasorum ruptiones, & uteri inflammationem, aliaque mala sæpissime inducat: ac, viribus dejectis, sæpe matrem, vel fœtum, vel utrumque interimat.

Diligentissima itaque *Curatio* ocyssimè erit adhibenda.

Eaque in ſpiritibus reparandis, iiſque ad uterum ad fœtus expulſionem bene determinandis; viiſque fœtui tranſeundis bene lubricandis & laxandis; præter parturientis rectam collocationem, & fœtus rectam exceptionem ab obſtetrice faciendam, conſiſtet.

Mox itaque ano talia viciſſim inſerantur ſuppoſitoria:

℞. *mellis ad juſtam duritiem cocti q. ſ.*
ſalis comm., gemmæ an. ʒ ß.
ſpec. hieræ ʒj. F. Suppoſitoria, No. ij.

Vel clyſter acris & emolliens etiam injici poteſt.

Et inungat obſtetrix frequenter vulvam & vicinas partes tali linimento:

℞. *ol amygdal. dulcium* ʒij.
liliorum, lini an. ʒj. Miſce.

Tum etiam foveatur venter inferior decocto emolliente ex rad. alth. lilior., fol. malv. violar. artemiſ., ſem. lini, fænugr., flor. chamom. meliloti.

Interim exhibeatur talis potio, ad partum facilitandum efficaciſſima:

℞. *dictamni cretici, ariſtoloch. utriuſque,*
trochiſcor. de myrrha an. ℈ſ.
croci, cinnamomi an. gr. xij.
confect. alkermes ʒſ.
aq. cinnamomi ʒſ. *aq. artemiſiæ* ʒiij.
Miſce, F. Hauſtus, *qui poſt tres quatuorve horas reiterari poterit.*

Vel exhibeatur hic pulvis:

℞. *cinnamomi* ʒjß.
oſſium dactylorum ʒ ß.
dictamni cretici ℈j. F. Pulvis, *in tres partes æquales, cum vino vel juſculo viciſſim dandas, diviſus.*

Eſt etiam hic efficaciſſimum oleum cinnamomi ad guttas iiij. vel v, vel oleum ſuccini ad gutt. xij. vel xv, cum vino,

no, jusculo, vel alio liquore exhibitum.

Singulis tribus horis si exhibeatur ʒß pilularum de assâ fœtida, cum hausti decoctionis verbenæ, artemisiæ, & sabinæ, in vino rhenano factæ, id etiam maximæ hic est efficaciæ, secundinamque retentam expellit.

Pilularum de assâ fœtidâ descriptio hæc est:

℞. *assæ fœtidæ* ʒß. *sem rutæ,*
cassiæ ligneæ, rasuræ lapid. dactylorum,
boracis an. ʒj ß. *croci* ʒß.
myrrhæ, theriacæ diatessaron an. ʒj.
cum syr. de artemisia q. s. f. Massa pilularum, *cujus dosis est* ʒs. ℈ij, *vel* ʒj.

Sternutatio partum etiam promovet: ideoque, partu nondum satis procedente, præscribendum est hoc sternutatorium.

℞. *rad. hellebori albi* ʒs. *piperis longi* ℈j.
castorei gr. v. F. Pulvis, *qui infletur in nares ad pisi magnitudinem.*

Fœtum autem præpostero modo, ut uno brachio vel pede primum, vel aliâ pravâ ratione, *egredi incipientem*, obstetrix non excipiet; sed in uterum retrudet, & ad legitimam formam convertet. Hoc ut commodè fiat, puerpera in lecto supina, capite demisso, & clunibus elatis, est collocanda. Tumque ventrem ipsius versus præcordia blandè comprimendo, fœtum ipsum in uterum impellet. Postea artificiosâ manu procurabit obstetrix, ut fœtus faciem tergo matris obvertat, & deinde nates & crura versus matris umbilicum elevet, atque ita ad legitimum partum acceleret.

Si, fœtu jam edito, *secundina retineatur*, in usu remediorum jam jam propositorum similiumque perseverandum.

Præter illa aliaque remedia multum hic potest manus obstetricis vel chirurgi, oleo amigdalarum dulcium & li-

liorum oblita, & in uterum immissa; antequam inflammatio vel inflatio augeatur. Sic enim apprehensis manu secundinis, & molliter circumductis, poterunt illæ extrahi, mulierque pariens à gravissimis malis imminentibus liberari.

In hoc, & quovis alio partu, *Aër* in cubiculo parturientis sit calidus. Omnis *fætor* amoveatur. Ubi partus diutius protrahitur, ova sorbilia, & panis vino madidus, nuces conditæ, caro citri cum saccharo, & cortices citri conditi, aqua cinnamomi, aliaque similia sunt exhibenda.

PRAXEOS

PRAXEOS MEDICÆ

LIBER QUARTUS.

De Medendis Morbis habitus corporis, & partium externarum.

I.

MEDICATIO PUELLÆ, Morbo virgineo, sive Chlorosi, LABORANTIS.

Puella annorum 18, frumentum crudum, cretam, & arenam subinde edere solita, incidit in mensium obstructionem, per tres menses durantem; accessit faciei & labiorum pallor totius corporis lassitudo, ac hypochondriorum nonnunquam inflatio & intumescentia. Palpitatione cordis & respirandi difficultate sæpe etiam afficitur; præsertim ubi scalæ sunt ascendendæ. Ac præterea etiam capite & ventriculo frequenter dolet.

Afficitur in hac ægra *uterus*, quod ex mensibus obstructis; *facies & labia*, quod ex pallore; *totum corpus*, quod ex lassitudine; viscera in hypochondriis existentia, *lien sc. & hepar*, quod ex hypochondriorum tumore; *cor & pulmo ac diaphragma*, quod ex respirandi difficultate; ac denique *caput & ventriculus*, quod ex eorum dolore patet.

Morbus, quo hæc ægra laborat, est pituitosa & serosa

viscerum, sanguificationi & chymosi ac chylosi inservientium, intemperies, cum obstructionibus conjuncta; quæ pallorem faciei & labiorum, item respirationis difficultatem, ac cordis palpitationem, nec non hypochondriorum inflationem, & totius corporis lassitudinem in hac virgine inducens, *Morbus virgineus*, & *Chlorosis*, vulgò appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est consuetudo illa, quâ hæc puella frumentum crudum, cretam, & arenam subinde comedere solebat. Inde enim crassi & fæculenti in corpore ejus geniti sunt humores, qui ad uterum delati porosque ejus obstruentes, sanguinemque ad menstruam evacuationem ineptum facientes, mensium induxerunt suffla-minationem, jam per trimestre spacium durantem. Pravi deinde humores, per menstruorum obstructionem in corpore retenti, atque ad viscera chylosi & chymosi atque hæmatosi inservientia delati, debilitarunt istarum partium calorem nativum; unde serosior & pituitosior in ejus corpore productus est sanguis, qui *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Pars vero ejus ad varias partes delata, variaque symtomata inducens, *continens* hujus morbi & symtomatum est *causa*.

Nam serosi isti & pituitosi humores ad viscera, quæ jam commemoravimus, delati, *iis intemperiem jam dictam conciliarunt*. In faciem verò & labia per circulationem sanguinis pervenientes, *pallidum illis colorem* suo pallore excitant. In habitu corporis autem existentes, suoque pondere musculos gravantes, & crassitie sua in cerebro justam spirituum animalium generationem impedientes, inducunt *totius corporis lassitudinem*. In hypochondriis verò nonnunquam rarefacti & in crassos vapores, qui satis commodè, ob cruditatem & crassitiem suam, dissipari non possunt, dissoluti, excitant ibidem *inflationem & distensionem*

nem hypochondriorum.

Dum verò subinde acriores quidam humores ad cor feruntur, qui cor vehementius & inordinatius vellicant, hinc oritur ex illa vellicatione, per nervum sextæ conjugationis ad cerebrum delatâ, & poros ejus copiosius & inordinatius aperiente, inordinatus & vehemens spirituum ex cerebro in cor influxus, *palpitationem* sive inordinatum & vehementem *cordis* motum subinde efficiens. Effusi verò copiosius in pulmonum substantiam, bronchiaque ibidem arctantes, præsertim ubi illi ex scalarum ascensu vehementius in pectore & visceribus vicinis agitantur & dilatantur, inducunt *respirandi difficultatem, per scalarum ascensum ingravescentem.*

Denique, quia sæpe contingit, ut acres illi humores ad caput & ventriculum copiosius ferantur, illasque partes tum quantitate distendant, tum qualitate acri rodant, hinc conqueritur nostra ægra etiam de *capitis & ventriculi dolore*, ipsam sæpè molestante.

Morbus hic periculosus est; cum totam corporis æconomiam pervertat, & hydropem, aliaque gravissima mala, sæpè inducat.

Diligente itaque *Curatione* erit impugnandus : *quæ* in causarum jam enarratarum, & intemperiei & obstructionum ablatione, consistet.

Primò itaque purgetur tali haustu:

℞. *elect. diaphœnici, diapruni an.* ʒß.
aq. hord. q. s. Misce F. Haustus.

Postridie secetur vena, & sanguis è brachio educatur, pro ratione virium.

Postea utatur hoc apozemate, sumendo haustum trium vel quatuor unciarum quotidie:

℞. *rad. aperient.*
rubiæ tinctor., eryngii, ireos,

enu-

enulæ, ſalſæparillæ, capparum,
cort. citri ſiccor. an. ʒß.
herb. nepitæ, chamedryos, artemiſiæ, meliſſæ,
pulegii, matricariæ, valerianæ, an. m. j.
ſummit. abſinth. rom., fæniculi, ſabinæ, an. p. j.
ſem. carthami excort. ʒj. *apii* ʒij.
flor. ſtæchad., anthos, ſambuci, geniſtæ an. p. j.
cicer. rub. p. ij. *fol. ſennæ,* ʒij.
decoq. in hydromelitis q. ſ. ad lib. j ß.
& *Colentur pro* Apozemate, *aliquoties reiteraudo.*

Convenientiſſimus etiam erit uſus harum pilularum:

℞. *pil. de hiera* ʒvj. *agarici trochiſc.* ʒij.
gummi ammoniaci aceto diſſol. ʒß.
ſalis gemmæ, maſtich., ſpicæ nardi an. ℈j. *croci g.* v.
cum ſyr. de abſinthio F. Pilulæ *juſtæ magnitud.*
Scrupulus unus ſumatur horâ ante cænam.

Corpore aliquoties expurgato, utatur quotidiè de his rotulis mane jejuno ventriculo, ſuperbibendo hauſtum vini albi:

℞. *chalib. præp.* ʒj. *cinnamomi, ſem. aniſi an.* ʒij.
ſpec. diamoſchi ʒj. *ſacchari in aq. artemiſ.*
diſſoluti q. ſ. F. Rotulæ, *de quibus capiat.*
ʒj. *vel* ij. *pro doſi, corpus deinde motu*
mediocri exercendo.

Non negligantur deinde corroborantia, quale eſt hoc conditum:

℞. *ſpec. aromat. roſ., diagalangæ, an.* ʒj.
diacumini, diacinnamomi, an. ʒß.
conſerv. roſ. ʒj. *conſerv. meliſſæ,*
roriſmarini, abſinthii an. ʒß,
confect. alchermes ʒij.
cum ſyr. de menta q. ſ. M. F. Conditum,
de quo ſumatur caſtaneæ magnitudo, ante

ſin-

singulos pastus.

Contra ventriculi & hypochondriorum inflationem ac dolorem, & cordis palpitationem, utatur his rotulis ad dragm. duarum quantitatem.

℞. *rad. angelicæ, ostrutii, rabarb.,*
cinnamomi, nucis moscat.,
macis, zedoar., calam. aromat. an. ʒj.
ireos flor., zinzib. an. ʒß.
nucis vomicæ, dictamni albi,
pimpinellæ, cubebar., piperis long.,
lapid. bozoar.
margarit. præp., cornu cervi usti & præp.,
coralli rubr. præp. an. ʒß. *croci gr.* xx.
pulverisentur omnia separatim, & misceantur cum
sacchari albi in aq. ros. soluti ʒvj.
F. Confectio in rotulis.

In Victus ratione, Aër ad calidum vergat. *Cibi* sint sicci, & facilis coctionis: conditi hyssopo, salvia, roremarino, cinnamomo. Panis sit bene fermentatus, semine fæniculi & carui perfusus. *Potus* sit vinum & cerevisia mediocrium uirium. *Motus* sit moderatus. *Venus* legitima maximè hic conducit. *Somnus* etiam sit moderatus.

II.

MEDICATIO JUVENIS, ICTERO FLAVO LABORANTIS.

Juvenis viginti septem annorum, temperamento biliosus, qui diu vini generosi immoderatiore potu se fatigavit, in dextro hypochondrio gravitatem jam à duabus septimanis sentit. Alvus ipsi est adstrictior, excrementa excernit subalbida. Totus vultus,

& præsertim oculi, aureo colore sunt perfusi. Urinæ crassæ ex flavo & rubro fere nigricant.

Afficitur in hoc ægro *hepar*; ut patet ex dolore gravativo, in dextro hypochondrio percepto. Afficitur etiam *folliculus fellis*, aut saltem *ductus cholodochus*; ut manifestum est ex flavo colore, quo vultus ejus & oculi sunt perfusi: nec non ex urina crassa, rubra, & nigricante: atque etiam ex alvi fæcibus subalbidis. Afficitur denique *totum corpus*; uti indicat flavus color, quo tota cutis est tincta.

Morbus, quo æger noster affligitur, est intemperies calidior hepatis; nec non pororum cholodochorum, tum in folliculum fellis, tum in intestina desinentium, obstructio; quæ, copiosam bilem gignentes, eamque per totum corpus diffundentes, illudque flavo colore tingentes, *Ictérus flavus* appellantur.

Causa procatarctica hujus morbi est crapula illa diuturna, quâ noster æger intemperiem calidam hepatis & magnam copiam crassæ & viscidæ bilis in toto corpore, & præsertim in hepate genuit; quæ ibi existens, & per vasa dispersa, causa hujus morbi fuit *antecedens*. Pars verò ejus, folliculi bilarii & cholodochorum ductuum vasis & poris inserta & agglutinata, & per hepar ac totius corporis cutim diffusa, est causa obstructionum & tumoris hepatis, obstructionisque folliculi fellis & ductuum cholodochorum, *continens*; unde reliqua symtomata deinde originem ducunt.

Nam propter obstructiones ductuum bilariorum, in intestinum jejunum desinentium, bilis in intestina exonerari, & cum fæcibus ibidem misceri non potest. Atque hinc *alvus est adstrictior*; quia sc. fæces, naturali suo stimulo destitutæ, intestina ad justam excretionem faciendam non excitant. *Si quid* autem *fæcum excernatur, id*, propter bilis, fæces naturaliter flavo colore tingentis, defectum, *est albidum*.

Porrò,

Porrò, cum bilis, quæ in hepate nimis calido magnâ copiâ perpetuò gignitur, per naturales vias, propter obstructiones ductuum cholodochorum, in intestina expelli non possit; hinc magna ejus copia in hepatis parenchymate colligitur, quæ ibi existens, *tumorem & gravitatis sensum, in dextro hypochondrio, parit*; cum reliquo vero sanguine per totum corpus delata, *universi corporis cutim*, sed præcipuè *vultum, & oculos*, ubi venæ magis conspicuæ ad cuticulam usque perveniunt, *flavo colore tingit. Et* denique magna istius crassæ bilis pars ad cor (quod sanguinem ex arteriis in venas, & inde per suos ventriculos in arterias, perpetuo circulo movet) delata, & inde per arterias emulgentes in renes propulsa, ibique cum sero à reliquo sanguine separata, *facit urinas crassas, & ex flavo & rubro penè nigricantes.*

Morbus hic, propter gravitatem & dolorem in dextro hypochondrio perceptum, & hepar graviter affectum esse indicantem, satis est periculosus. Verùm, cum hic nulla adsit febris, morbusque altas radices non egerit, haud valde difficulter curari posse videtur; modò bona *Curatio* tempestivè adhibeatur.

Eaque consistet in causæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis ablatione; & intemperiei ac obstructionis hepatis & ductuum bilariorum, per contraria, correctione.

Primò itaque sumat tale purgans:

℞ *rabarbari electi* ℈v.
fol. sennæ ʒij.
cinnamomi ℈ſ.
sem. anisi, fœnicul. an. ℈j.
Post levem ebullitionem infundantur per noctem in aq. comm. q. ſ. Mane adde
colaturæ cremor. tartari ʒſ. *ſcammonii gr.* vj.
Miſce, F. Hauſtus, *mane exhibendus.*

Postridie educatur sanguis ad uncias octo, ex brachio dextro.

Sequentibus diebus semel vel bis, pro operationis ratione, haustum ex hoc decocto quotidie sumat:

℞. *rad. cichorii,*
rubiæ tinctorum,
fæniculi,
petroselini,
chelidonii majoris an. ℥ß.
asparagi,
ruscі an. ℥j.
herb. cichorii,
dentis leonis,
agrimoniæ,
chelidonii majoris,
marrubii an. m. j.
absinthii rom.,
chamædryos an. M. *ſ.*
sem. anisi,
fæniculi,
dauci,
carui an. ʒj.
sem. 4. frigid. maj. an. ʒij.
Decoquantur in aq. comm. ad lib. j. *ſ. addendo*
sub finem decoctionis fol. sennæ ℥j ß.
rabarb. ʒij. *In Colatura dissolve*
syr. de cichorio cum rabarb. ℥j ß.
Misce, F. Apozema.

Pro dolore gravativo dextri hypochondrii hoc fotu utatur:

℞. *flor. camomillor.,*
summit. absinthii,
folior. malvæ an. m. j.

sem.

sem. anisi.
farin. sem. fænugræci, lini an. ʒiij.
Decoquantur in aq. comm. q. s. pro Fotu, *calidè adhibendo cum spongiis vel pannis laneis expressis.*

Si morbus perseveret hoc exhibeatur remedium:

℞. *chalibis præparati* ʒj.
specier. diarhodon. abbatis ℥ s.
rabarb. pulverisati ʒiij.
Cum syr. acetosi s. & de limonibus q. s. F. Electuarium, *de quo sumat mane dragmæ quantitatem quotidie, per duodecim vel quindecim dies.*

Vel præscribi etiam potest hoc decoctum:

℞. *chelidonii majoris cum toto m.* j.
fol. & flor. hyperici an. m. s.
rasuræ eboris,
pulv. stercoris anserini an. ʒiij.
croci ʒß.
Pulvis stercoris anserini & crocus includantur nodulo, & omnia coquantur in æq. part. vini albi & aq. absinthii ad lib. j. & F. Apozema *in tres doses matutinas: quod postea aliquoties reiterari poterit.*

Stercus album & exsiccatum gallinarum, cum vino in pulvere ad dragmam s. vel dragm. j. per aliquot dies exhibitum, magnæ est efficaciæ.

Sublatis obstructionibus, quod ex fæcibus coloratis apparebit, conveniet balneum aquæ dulcis, ad flavum corporis colorem facilius & citius tollendum.

In *Victus ratione*, *Aër* sit temperatus; *Cibus* humectans, refrigerans, modicè attenuans, eupeptus, ex aviculis montanis, pullis gallinaceis, carne vervecina, piscibus saxatilibus, prunis, pomis, cerasis, limonibus, aurantiis. *Vitentur* dulcia. *Potus* sit cerevisia tenuis, vinum dilutum. *Exercitium* sit mediocre. *Somnus* moderatus. *Excrementa alvi*

respondeant indies naturâ vel arte. *Tristes & iracundi affectus* fugiantur; *hilares* admittantur.

III.

MEDICATIO JUVENIS, Hæmorrhoidum Dolore LABORANTIS.

JUvenis triginta quatuor annorum, temperamento melancholicus, poculis largioribus sæpe indulgens; jam à longo tempore, magno dolore calore & tumore, per intervalla recurrente, circa anum laborat. Interdum sanguinem ex podice emittit, qui dolorem illum magnopere levat. Potissimum autem, ubi alvum dejicit, durioremque illam habet, dolor ipsum torquet.

Afficitur in hoc ægro *podex*, sive inferior intestini recti pars; & præcipuè *secundum vasa hæmorrhoidalia* ibi existentia: quod ex dolore, & tumore ibi conspicuo, est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est tumor ani, cum intemperie acri & calida conjunctus; qui ingentem dolorem in eo per intervalla, & præcipuè dum alvus durior deponitur, excitans, *Hæmorrhoidum dolor*, sive *Hæmorrhoidum suppressio* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est potus intemperantia, qua, adjuvante melancholico ægri nostri temperamento, crassi fæculenti & acres humores in corpore ejus sunt geniti; qui *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum per poros arteriarum & venarum hæmorrhoidalium, ob certam suarum insensibilium particularum adaptationem, in partes podici vicinas propulsa, ibique hærens, suâ quantitate & acrimoniâ tumoris ac doloris, &

cali-

caliditate caloris ani est *causa continens*.

Affligit autem *hic affectus per intervalla*: quòd materia nova, non perpetuò, sed certis intervallis in corpore satis copiosè gignatur, & aptitudinem talem acquirat, ut in partes ano vicinas propelli satis copiosè possit; ea autem materia, quæ in podicem jam ante fuit propulsa, paulatim dissipetur: atque ita *inducias hic affectus facit. Dolor autem podicis ab excrementis alvi duris intenditur*, quod dura illa excrementa dum excernuntur, tumentem podicem quam maximè distendant & premant. *Ab excretione sanguinis ex podice levatur dolor*, quod ea imminuat doloris & tumoris causam continentem.

Metus est, ne hic dolor ingentem faciat tumorem, qui in ani fistulam degenerare, & sanguinis totius corporis corruptelam ac hydropem inducere possit.

Curatio itaque est tempestivè aggredienda: *quæ* in pravorum humorum eductione & correctione, atque in tumoris & doloris ablatione consistet.

Primò itaque, præmisso clystere emolliente, educatur sanguis ex brachio dextro ad ℥viij.

Deinde utatur hoc apozemate:

℞. *fol. lactucæ, bugloßæ, malvæ an. M.* j.
liquiritiæ rasæ, passular. mundat. an. ℥ß.
flor. borrag., bugloss., violar. an. p. ij.
Coquantur in aq. comm. ad lib. j. *In colaturâ dissolve cassiæ recent. extractæ, syr. violacei an,* ℥j. *Misce,* F. Apozema, *de quo sumat* ℥iij. *bis in die.*

Dum his utitur, adhibeatur podici hoc linimentum:

℞. *cineris combusti suberis* ℥j.
vitellum ovi No. j. *olei rosacei q.s.* F. Linimentum.

Summopere etiam hic commendatur hoc linimentum:

℞. *herb. linariæ cum floribus M.* ij.

deco-

decoquantur ad mollitiem, iisque, contusis & cum adipe porcino q. s. coctis, addatur vitellus ovi, Ac fiat Linimentum, *quod cum gossypio podici dolenti adhibeatur.*

Ad doloris levamen hirudines etiam podici adhiberi possunt, iisque sanguis ad ʒiij. vel iv. educi.

Ad curationem & præservationem summopere hic conducit aquæ, in qua, dum fervet, millefolium est infusum sive maceratum, usus, per mensem continuatus:

Item sacculus, ex radicibus chelidonii minoris, cum gossypio in linteo consutis, confectus, & circa os sacrum perpetuò gestatus:

Item tubercula, vel globuli, carduis silvestribus adnascentes, qui vermiculum continent, si in marsupio gestentur, magnopere hic commendari solent.

Diæta hic sit tenuis, ad humidum declinans, & alvum laxans. Cum *cibis* itaque sumantur borrago, blitum, spinachia, malva, passulæ. *Aromata & acria* vitentur. *Potus* sit tenuis cerevisia, & vinum oligophorum. *Alvus* si durior fuerit, ea clystere, ex jure pingui vel ex decocto emolliente, emolliatur.

IV.

MEDICATIO FOEMINÆ, ARTHRITIDE LABORANTIS.

Mulier 25 annorum, bene habita, admodum crassa, & frequenter temulenta, cruciatu magno affligi cæpit primò circa articulum coxendicis, mox in poplite, tandem in manibus pedibusque, & in regione dorsi ac cervicis. Tumor cum rubore in multis locis se manifestat, adeoque illam torquet, ut ex contactu,

tactu, decubitu, & sessione, dolores intolerabiles patiatur.

Afficiuntur in hâc ægrâ *coxendix*, *poplites*, *manus*, *pedes*, *dorsum*, *& cervix* : ut ex dolore, tumore, & rubore, illas partes infestante, est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est intemperies istarum partium serosa, salsa, acris, tartarea, & nimis laxa ac rara : quæ dolores ingentes, item tumorem & ruborem in partibus istis affectis, jam commemoratis, excitans, *Arthritis* sive *Dolor articularis* nuncupatur.

Causa procatarctica hujus morbi est temulentia, cui ægra nostra frequenter indulgere solet. Atque hinc natæ cruditates, & ex his acres, salsi, & tartarei in corpore geniti sunt humores; qui cum sanguine per totum corpus diffusi, *antecedentem* huic morbo præbuerunt causam. Pars verò eorum in corpore ita alterata, ut apta sit poros partium circa articulos aperire & laxare, ubi in membranas & nervosas articulorum partes sese effundit, easq; acrimoniâ suâ pungit & rodit, efferveſcentiamque ibi concipit, *intolerabilium istorum dolorum, tumorum, & ruborum, à quovis contactu exacerbantium, continens* est causa.

Quia *hic morbus* est recens, & ægra est juvenis, *spes* est morbum brevi sublatum iri. *Metus* tamen est, ne sæpius recurrat; & nisi rectè curetur, in asthma, vel hydropem, vel spasmum, aut paralysin degeneret.

Curatio itaque diligenter erit instituenda : *quæ* in humorum pravorum eductione, & intemperiei per contraria correctione, dolorumque lenitione consistet.

Primò itaque vena secetur; & educatur sanguis ad ℥viij, & postridie purgetur talibus pilulis:

℞. *pil. de hermodactilis, vel fœtidar.* ℈j.
scammonii ℈ß.
cum syr. ros. sol. q. s. F. pilulæ No. v.

Sequenti die inungantur loca dolentia, spiritu vini prius madefacta, tali linimento:

℞. *ol. chamomillor., lilior., amigdal. dulc. an.* ℥j.
unguent. dialthææ ℥ſ. Miſce *pro* Linimento.

Si ab uſu hujus linimenti dolor ingraveſcat, tale adhibeatur:

℞. *aq. ſpermatis ranarum, thapſi barbati an. lib. ſ.*
iis infunde tuthiæ, lithargyrii an. ℥ſ.
vitrioli calcinati, aluminis an. ʒij. Miſce.

Hoc liquore foveantur partes dolentes cum linteis tepidè.

Et veſperi ſumat hoc ſomniferum & anodynon:

℞. *ſyr. papaveris albi* ℥ſ.
julapii roſati ʒj. Miſce.

Perſeverante dolore, utatur ſequenti apozemate ſudorifero, alterante, & purgante:

℞. *ſcobis ligni guajaci* ℥ij.
ligni ſaſſaphras ℥j.
rad. enulæ ℥ſ.
herb. chamæpiteos M. j.
flor. anthos, ſalviæ ana. p. ij.
fol. ſennæ ℥j. ſ., *agarici* ℥ſ.
ſem. fænicul., coriandri an. ʒij.
carthami conquaß. ℥j.
Decoquantur poſt macerationem in aq. com. q. ſ. ad lib. ĵ.
Colaturæ adde ſacchari ℥ij. Miſce F. Apozema, *de quo ſumat* ℥v. *calidè pro doſi ſummo mane, corpus plus ſolito tegendo, ut proliciantur ſudores.*

Si dolor valde ſæviret, tale narcoticum efficaciſſimè adhiberi poſſet:

℞. *ſpirit. vini per croci infuſionem flaveſcentis* ℥iv., *camphoræ* ℈j. *Bulliant parum; deinde in iis diſſolve opii* ʒj.

Hoc liquore partes dolentes illinantur.

Ubi doloribus levata erit ægra, ne rurſus in hunc morbum labatur, ſub tempus autumni & veris corpus erit purgan-

gandum; & optimâ diætâ ipsi erit semper utendum.

Versetur itaque in *Aëre* temperato. Utatur *alimentis*, quæ modicè nutriant, iisque sobriè utatur. *Potus* sit hydromel. *Vitet* vinum, præsertim generosum. *Exercitia* sint mediocria, ubi malum quieverit; tempore doloris illa vitabit. *Somnus* sit moderatus. *Alvum* solutam habeat naturâ vel arte: *Venus* sit parca. Fugiat *animi pathemata*.

V.

MEDICATIO PUERI, VARIOLIS AFFLICTI.

PUer sex annorum, grassante inter infantes, ex aëris maligna constitutione, febri synochâ malignâ, ecthymata protrudere solitâ, post horrores præeuntes, calore præternaturali correptus decumbit. Pulsum febrilem, plenum, & celerem habet. Facies oculique rubent. De dolore nullo conqueritur.

Afficitur in hoc ægro *totum corpus*; quod ex horrore & calore per totum corpus diffuso: item *cor*; quod ex commemoratis pulsus vitiis: nec non *oculi & facies*; quod ex eorum rubore patet.

Morbus, quo hic puer laborat, est *Febris synocha* maligna & contagiosa, quæ, ecthymata sive pustulas in cute totius corporis expellere solita, *Variolarum* nomine vulgò designari solet. Eæque ex aëris maligna constitutione, infantes multos variolis inficiente; item ex calore, post horrorem, puerum hunc invadente; nec non ex pulsu febrili; ac oculorum & faciei rubore, & doloris absentiâ, innotescunt.

Causa procatarctica hujus morbi est aëris constitutio illa

maligna, quæ in puero hoc, per inſpirationem, hauſta, & cum ſanguine in pulmonibus exiſtente mixta, & deinde cum reliquo ſanguine per totum corpus diffuſa, & illum pravitate malignâ imbuens, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Pars verò ejus malignam incaleſcentiam & efferveſcentiam in corde acquirens, & deinde in totum corpus cum ſanguine à corde in partes propulſa, *continens* hujus morbi & ſymptomatum, tum præſentium, tum futurorum, eſt, & erit, cauſa.

Dum enim ſanguis ille primum efferveſcens aqueas continebat partes, quæ ſua aquoſitate juſtam in corde fervorem impediebant, eæque ad membranoſas corporis partes deinde delatæ, refrigerationem & inordinatum ſpirituum influxum toti corpori inducebant, hinc primum in puero ortus eſt *horror*. Aqueis verò partibus diſcuſſis, calor ſanguinis juſtò major factus, & per totum corpus fuſus, produxit *pulſum plenum & celerem*, ac in facie & oculis *ruborem*, ac in toto corpore *calorem præter naturam intenſum*. Quia tamen partes ſanguinis efferveſcentes in hoc puero hactenus ſunt leniores & minus acres, ideo *nullus* vehementior *ab ipſo ſentitur dolor*.

Morbus hic, propter ſuam malignitatem, periculum vitæ, & deformitatis, ab exeſione cutis, a papulis poſtea orituris forſan excitandà, inducit.

Curatio itaque diligens adhibenda erit; *eaque* in cauſæ antecedentis & continentis ablatione, & intemperiei malignæ ſanguinis & ſymtomatum correctione, conſiſtet.

Ante omnia, itaque contineatur in loco calido ſtragulis bene tectus; & mox, antequam ecthymata erumpunt, purgetur tali medicamento:

℞. *ſyr. roſ. ſol. cum fol. ſennæ & rabarb.* ℥j ß.
ſcammonii opti. gr. ij.
aq. card. bened. ℥j. *miſce pro* Hauſtulo, *mox ſumendo.*

Ubi

Ubi pustulæ erumpere incipient, ad facilitandam earum eruptionem, utatur tali decocto:

℞. *cicerum rubrorum* ʒj.
hord. decorticati. p. j.
caricas No. vij.
laccæ, tragacanth. an. ʒj.
rad. fænic., passular. an. ʒß.
Decoq. in aq. comm. q. s. ad ℔j ß. *Colaturæ adde oxysacchari* ʒij. M. *pro* Apozemate, *de quo sumat haustum ter quaterve in die.*

Et pro potu, ad sitim extinguendam, utatur decocto passularum, caricarum, & hordei, cui ex additione rob. de ribes acetositas sit conciliata.

Cum oculi facile exulcerentur à variolis, pro præservatione eorum, palpebræ illinantur hoc collyrio:

℞. *aq. plantag., euphragiæ an.* ʒj.
camph. ϑj. *croci gr.* ij.
M. *pro* Collyrio.

Ad gulæ faucium & oris defensionem, utatur tali gargarismo, vel oris collutione:

℞. *aq. plantag.* ℔j. *aq. hord. lib.* ß.
flor. ros. rub. p. j. *balaustior.* ʒj ß.
sem. sumach. ʒiij. *Decoq. ad tertias.*
Colaturæ adde syr. diamori, granat. an. ʒj.
M. *F.* Gargarisma, *quo os sæpe colluatur.*

Si alvus adstricta fuerit, talis Clyster injiciatur:

℞. *herb. malvæ, mercurialis,*
acetosæ recentis an. m j.
flor. cord. p. j. *lentium, hord., cicer. rub. an.* p. j. *Decoq. in iure gallinaceo q. s. ad* ʒviij, *in colat. dissol. diapruni, diacarthami an.* ʒß. *mellis violacei* ʒj. *ol. violac., amygd. dulc. an.* ʒiij.

M. F. Clyster.

Ut pustulæ melius erumpant, & matureſcant, illæ ſubinde ol. amygd. dulc. cum cotone vel plumâ ſunt oblinendæ.

Ad nares defendendas, admoveatur iis ſæpe cum ſpongia hoc medicamentum:

℞. *aceti roſacei* ℥j.
aq. roſar. ʒij. Miſce.

Si viribus forſan fuerit proſtratis, vel debilioribus, ſubinde ſumat cochlear de ſequenti cardiaco:

℞. *ſyr. de limonibus.*
aq. cinnamom. an. ℥j.
confect. alkerm. ʒij. Miſce.

Poſtremò curandum, ut color fœdus, & veſtigia variolarum, faciem ut plurimum deformantia, auferantur. Præſervatur autem facies, ex veterum ſententiâ, ſi puſtulæ, cum jam maturuerunt & albeſcunt, acu circumcirca compungantur, ut materia purulenta, quæ pruritum, dum exſiccatur, excitando, pueros ad ſcalpendam & lacerandam faciem impellit, commodè egrediatur & abſtergatur. Alioqui ſi relinquatur, donec penitus exſiccetur, cutim, ut ajunt, exedit, & fœdas cavitates relinquit: vel, ſi ſponte effluit, vicinas partes inficit & exulcerat. Sed hoc jam fere eſt obſoletum.

In *victus ratione*, *Aër* ſit calidiuſculus, ut poros aperiat, & materiam malignam foras eliciat. *Victus* primò ſit tenuis: ubi humoris eruptio facta eſt, & mitigata ſunt ſymptomata vehementiora, tum paulò liberalior concedi poteſt; non tamen acris, pinguis, dulcis, vel ſalſus; ſed moderatè refrigerans. *Potus* ſit cereviſia tenuis, in qua ſubinde decoqui poteſt limatura cornu cervi; vel puppella, cum cornu cervi præparato, in cereviſia ſuſpendi poterit. *Somnus* ſit mediocris, excretiones conſuetæ ſecundum naturæ modum procedant. Fugiatur *timor & mœſtitia.*

MEDI-

VI.

MEDICATIO VIRI, CAPITIS VULNERE LABORANTIS.

Vir 30 annorum, robuſtus, ab altero homine valido, inter litigandum, cantharo cereviſiâ pleno, in fronte ſupra dextrum ſupercilium, ita percuſſus eſt, ut jam ipſi magnum adſit vulnus, cum contuſione conjunctum. Cranium in fundo vulneris nudum & depreſſum apparet. Æger mente etiamnum ſatis conſtat.

Pars, quæ hic *affecta* eſt, ad oculum patet, nempe *cutis frontis*, *perioſtium*, & *cranium*.

Morbus, nempe *Vulnus frontis*, cum contuſione & oſſis depreſſione conjunctum, etiam eſt manifeſtus. *Dubium* autem eſt, an non etiam cranii adſit *fiſſura*; & *ſanguinis* in cavitatem cranii, ſupra ſupercilium naturaliter excavati, imo etiam intra cranium & meninges, *effuſio*.

Cauſa hujus morbi externa contingens & evidens eſt ictus, in hiſtoria deſcriptus.

Ex ictus autem vehementiâ veroſimiliter colligitur *fiſſura* eſſe facta *cranii*, & *ſanguinis* in partibus jam dictis *effuſio*, quæ etiamnum perſeverat. Atque ideo

Periculoſiſſimus hic eſt morbus; qui idcirco diligentiſſima Curatione erit impugnandus.

Curatio autem conſiſtet in cranii depreſſi ſublatione, contuſionis ſuppuratione, ſanguinis effuſi eductione, & vulneris conſolidatione.

Primò itaque cutis & perioſtium, à cranii parte depreſſa, erunt ſeparanda, craniumque ibidem denudandum: quibus factis, cranium torculari & vecte erit perforandum, & in priſtinum ſtatum reducendum.

Cranio

Cranio ſublato & ſedi ſuæ reſtituto, locus perforatus linteo carpto erit, ad ſanguinem effuſum imbibendum, replendus; ac linteo, ſpiritu vini rectificato imbuto, tegendus; & caput porro linteis aliis, rectè accommodatis, muniendum.

Poſtridie, poſt alvum clyſtere emolliente & purgante evacuatam, educendus ſanguis ad ℥vij. vel viij.

Poſtea continuandus lintei carpti & ſpiritus vini uſus prædictus, donec os fuerit primò ſeparatum, (ut ſemper poſt talem ejus apertionem fieri ſolet,) & deinde conſolidatum.

Quo facto, vulnus, ut alia vulnera, chirurgo per ſarcotica & epulotica erit curandum.

Victus in principio ſit tenuis; in progreſſu mediocris: ex ovis ſorbilibus, juſculis carnium, hordeatis, & carnibus pullorum.

VII.

MEDICATIO JUVENIS, TENDINIS PUNCTURA LABORANTIS.

Juvenis 27 annorum, imprudentius per plateas ocreatus incedens, dextri pedis metapedio ita in cuſpides calcaris, quo ſiniſter pes erat munitus, impegit, ut tendo unus in medio metapedii anguſto vulnuſculo ſit compunctus. Adeſt tanta rubedo, dolor, & ardor, ut pede affecto ad incedendum uti non poſſit. Adeſt etiam febricula, &, ex doloris vehementia, vigilia.

Pars affecta hic eſt, ut ex conſpectu, ſitu, & dolore patet, tendo in metapedio.

Morbus eſt tendinis iſtius punctura, tumore, dolore, ardore,

ardore, inflammatione, & febricula comitatâ.

Cauſa manifeſta & externa hujus morbi fuit impactio violenta, in cuſpides calcaris facta.

Morbus, ob partis affectæ acutiſſimum ſenſum, & ſymtomata gravia, quæ adſunt, periculoſus, hac *Curatione* diligenter curandus erit:

Vena primùm in eodem latere in brachio aperiatur, educaturque ſanguis ad ℥viiij.

Poſtridie purgetur tali purgante bolo:

℞. *diapruni ſol* ʒiij.
cremor. tartari ə ß.
ſcammonii gr. xiij.
cum ſyr. roſat. ſol. q. ſ. f. Bolus.

Vulnuſculo inſeratur turundula, hoc liquore imbuta:

℞. *ol. terebinthinæ*,
ſpiritus vini rectificati an. ʒij. *Miſce.*

Ut turundula retineatur in vulnuſculo, imponatur ipſi parvum emplaſtrum ex diachylo.

Pedi vero inflammato adhibeantur lintea, hoc liquore tepido madefacta:

℞. *aq. plantag., roſarum an.* ℥vj.
lapid. alchymiæ ʒij. *miſce.*

Somnus concilietur gr. iiij, laudani opiati, veſperi datis. *Victus ratio* ſit tenuis & refrigerans.

VIII.

MEDICATIO PUELLÆ, ERYSIPELATE FACIEI LABORANTIS.

PUella duodecim annorum, ſanguinea, jam à tribus annis, circa menſem Majum, incidit in totius faciei tumorem ſub-

rubicundum, oculos pene claudentem. Adeſt calor & pruritus magnus. Pulſus etiam eſt juſto celerior; appetitus eſt proſtratus; & plus ſolito ſitit.

Afficitur in hac puella *facies*, ut ad oculum eſt manifeſtum: uti & *cor*, quod pulſus juſto celerior; item *ventriculus* & *æſophagus*, quod ſitis, & appetitus proſtratus indicant.

Morbus, qui eam affligit, eſt tumor faciei, ex bilioſo ſanguine ortus; qui calorem immoderatum, & pruritum, ac colorem ſubrubicundum in facie inducens, *Eryſipelas faciei phlegmonodes* appellari ſolet.

Cauſa antecedens hujus morbi eſt ſanguis bilioſus, ex temperamento ſanguineo & diæta forſan calidiore, tanquam à cauſa *procatarctica*, in toto hujus puellæ corpore, ſingulis annis genitus. Pars vero ejus circa menſem Majum, ob aëris caliditatem, in corde vehementius efferveſcens, inducit *pulſum juſto celeriorem*; ad ventriculum vero & æſophagum delata, ibique æſophagum nimium exſiccando, ſuccumque acrem ventriculi, famem excitare ſolitum, copiâ ſuâ & qualitate bilioſâ perfundendo, *ſitim & appetitus proſtrationem excitat*: ad faciem verò a corde propulſa, ibique poros vaſorum aperiens, & ſeſe in cutim vicinaſque partes magna quantitate effundens, vehementiuſque, ob ulteriorem corruptelam ſive putredinem ſupervenientem, incaleſcens, ibidem *tumoris, ruboris, pruritus, & caloris faciei*, cauſa *continens* exiſtit.

Metus eſt, ne hic affectus eryſipelas exulceratum faciei; vel, ſi humor hic ad cerebrum vel alias nobiliores partes feratur, ne inflammationem cerebri, vel pulmonum, vel pleuræ inducat. Diligenti itaque hic morbus erit impugnandus *Curatione*; *quæ* in cauſæ procatarcticæ, antecedentis, & continentis, item intemperiei, & tumoris ablatione, conſiſtet.

Atque

Atque ideo primò tale exhibeatur purgans:

℞. *Syr. ros. sol. cum fol. sennæ* ℥j.
cremor. tartari ℈j.
scammonii gr. x.
aq. cichor. ℥ij.
Misce fiat Hausſtus brevis, *mane exhibendus.*

Toti faciei deinde imponantur lintea ſequenti liquore tepido imbuta; ſæpiuſque, ubi exſiccata fuerint, renovetur imbutio & applicatio:

℞. *aq. plantag. rosar. an.* ℥iiij.
lapidis alchymiæ ʒjſs.
Miſce.

Vel ℞. *aq. flor. ſambuci* ℥x.
ſperm. ranar. ʒv.
ſpiritus vini opt. ℥vj.
Miſce.

Si palpebræ oculorum valde etiam intumeſcant, iis imponantur lintea, ſolâ aquâ roſ. & plantag. tepidâ madefacta.

Ad *præcavendum*, ne ſub ſequentem Majum rurſus recidivam patiatur, menſe aprili ſemel atque iterum purgetur, & utatur *diæta* tenuiore, & refrigerante.

IX.

MEDICATIO FOEMINÆ, PARONYCHIA LABORANTIS.

Mulier triginta annorum ſubitò incidit in acerbiſſimum dolorem, extremum digiti indicis ſiniſtræ manus, circa unguem, infeſtantem. Iſque intra paucas horas tantum incrementum ſumſit, ut ei ſupervenerit febris continua, nauſea, & li-

pothymia ſubinde recurrens. Doloris acerbitas nullum ſomnum nullamque requiem ipſi concedit. Nulla etiamnum adeſt inflammatio, nulluſque tumor.

Pars affecta eſt *extremitas digiti indicis circa unguem ſiniſtræ manus*; ut ex contactu & querela ægrotantis patet.

Morbus eſt intemperies acerrima, indicem circa unguem ſiniſtræ manus acerbiſſimo dolore infeſtans, febremque, nauſeam, & lipothymiam, vigilias, nec non perpetuam inquietudinem inducens; quæ *Panaritium*, vel *Paronychia* vulgò appellari ſolet.

Cauſa proxima hujus morbi & ſymtomatum eſt humor acerrimus, ope pororum partis affectæ, forte ex aliqua contuſione, vel alia cauſa, ut ex.gr. ſanguinis eô appulſi nimiâ ſubtilitate vel acumine, nimis apertorum, aliterque vitiatorum, à reliquo ſanguine ſeparatus, & extremum tendinem ibi vehementiſſimè rodens. Hic enim partem affectam ingreſſus, *inducit in eâ intemperiem acrem*, eamque acutiſſimo ſenſu præditam acutiſſimis ſuis particulis rodendo, *acerbiſſimum illum producit dolorem*; qui, motu ad cerebrum delato, ſpiritus in cerebro reliquoque corpore deinde inconvenientiſſimè movens, efficit, ut illi ſpiritus, bilioſos & maligniores humores ſanguinis, à parte affectâ & reliquis corporis partibus ſeparent; qui deinde ad cor perpetuò delati, ibique præter naturæ modum incaleſcentes, *febrem continuam* gignunt. Iidem illi ſpiritus in cerebro inordinatè & vehementer moti, primùm cerebrum ejuſque ventriculos & nervos dilatando, pariunt *perpetuas vigilias*; & deinde, in ventriculi fibras obliquè aſcendentes influendo, producunt *nauſeam*; & cordis fibras conſtrictorias vehementius ingrediendo, eôque ſubinde partes ſanguinis dilatationi convenienti ineptas deferendo, gignunt *lipothymiam per vices recurrentem*; in toto verò corpore humores acriores ſpirituſque vehementius & inordinatè agitando, *perpetuam*

tuam illam producunt corporis inquietudinem. Quia autem etiamnum paucus humor ad partem affectam affluxit, ejusque particulæ per corruptelam nondum ita sunt dispositæ, ut subtilis materia eas tam vehementer, ut in inflammationibus fieri solet, movere possit, hinc *nullus hactenus adest tumor, nullaque inflammatio.*

Morbus hic, propter humorem illum acerrimum, vehementissimum illum dolorem reliquaque gravissima symtomata inferentem; & graviora, nempe inflammationem totius brachii, & tendinis corruptelam, nisi caveantur per diligentem curationem, inducturum, periculosissimus est.

Atque ideo diligenti *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in intemperiei istius ablatione, per acris istius humoris eductionem instituendâ & tentandâ, consistet.

Primò itaque foveat ægra aliquamdiu digitum dolentem lacte vaccino, in quo *flores chamomeli, meliloti, & sem. fænugræci & cydoniorem fuerint cocta.*

Deinde superficies cutis paulatim dissecetur scalpello. Abrasâ hac ratione cute, macula una vel plures rubicundæ apparebunt: quibus acie cultelli incisis, aquæ rufæ gutta una vel altera apparebit sub cute: quâ linteolo detersâ, applicetur *linteolum aquâ vitæ madefactum, in qua nonnihil theriacæ est dissolutum.*

Nisi illa apertio cutis mox in principio fiat, copiosissimi ex doloris vehementia affluent humores, qui tumorem aliaque inducent jam descripta symtomata; quæ omnia *Curatione* jam propositâ præcaveri, & dolores mox sedari poterunt.

Alii practici solent incisionem ad tendinem, imo ad ipsum os usque instituere. Verùm ea curatio periculosissima, ob tendinis gravem læsionem, solet esse.

X.

MEDICATIO ANCILLÆ, PEDIS COMBUSTIONE LABORANTIS.

ANcilla 20 annorum, dum imprudentius circa culinæ focum verſabatur, evertit vas, aquæ ferventis plenum, in ſuum crus; ita ut tibia ſiniſtra, ad genu uſque, & ſupra illud, mirum in modum aquâ adureretur. Acceſſit mox ingens dolor, cujus vehementiâ totum crus ad imam uſque plantam valde intumuit. Ab initio applicata fuerunt lintea ſpiritu vini madefacta, ex quorum uſu tumor quidem nonnihil ſubſedit: Verum cum ægra ſequentibus diebus à locis frigidis ſibi non temperaret, factum eſt, ut dolor, inflammatio, aliaque ſymtomata, indies magnum incrementum ſumſerint. Adeſt jam febris & magna inquietudo, cruſque rurſus valde intumuit.

Pars affecta eſt crus ſiniſtrum; quod ad oculum, & ex querela ægræ patet.

Morbus, qui eam affligit, eſt intemperies calida & ſeroſa ſiniſtri cruris, cum tumore conjuncta; quæ, ab illapſu aquæ fervidæ excitata, *Combuſtio cruris* vulgo appellari ſolet.

Cauſa hujus morbi *externa* fuit aquæ iſtius ferventis in crus ancillæ illapſus. Illa enim ſuo fervoris motu inſenſibiles particulas cutis & vicinarum partium ita diſpoſuit, ut ſubtilis materia ſive æther, qui in iis exiſtebat, vehementius ſe & particulas iſtarum partium poſſet agitare; atque ita *uſtionem* in crure produxit. Uſtæ autem cutis partes vehementi ſuo motu nervos vicinos agitando, agitationemque illam ad cerebrum, & ibidem ad mentem deferendo,

rendo, *ingentem illum cruris* pepererunt *dolorem*; qui ſpiritus in ventriculis cerebri exiſtentes ita determinavit, ut illi, copioſius in partes affectas fluentes, poros vaſorum in iis exiſtentium multos aperuerint, quo humores bilioſi & ſeroſi ibi à reliquo ſanguine ſeparati, & in partes affectas per poros illos nimis apertos copioſè ruentes, *totum crus*, *ad imam uſque plantam*, *in magnum tumorem diſtenderunt*, intemperieque calida & ſeroſa perfuderunt.

Tumor autem *ille intemperieſque cruris, ex adhibito cum linteis vini ſpiritu, valde fuerunt imminuta*; ſpiritus enim vini primum calore & humiditate ſua, poros partium combuſtarum aperiendo, ſeroſos mordaceſque vapores & humores foras eduxit; & deinde quamvis ſpiritus vini in aliis partibus excitet calorem, is tamen partibus ambuſtis hic profundius ſeſe inſinuando, tales ibi fecit poros, ut ſubtilis ſive ætherea materia ſeſe vehementius in iis movere non poſſet, atque ita aliquam refrigerationem induxit.

Cum vero ægra hæc deinde ſibi à locis frigidis non caveret, factum eſt, ut frigus aëris poros in partibus ambuſtis nimium clauderet, atque ita acres mordaces & calidos vapores & humores, alioquin exhalaturos, in iis retineret. Hi autem retenti moverunt ita partes ambuſtas, ut inde *dolor*, *inflammatio*, *aliaque ſymtomata indies magnum incrementum*, per partium pravam diſpoſitionem à vaporibus iſtis retentis orientem, *ſumſerint, febriſque, inquietudo, & tumor totius cruris acceſſerint.*

Morbus hic, propter magnum ſuum à naturali ſtatu receſſum, graviaque, quæ adſunt, ſymtomata, *periculoſus eſt*; metus enim eſt, ne ſi non ſatis bene curetur, herpetem, gangrænam, vel alium gravem affectum inducat.

Curatio itaque recta mox adhibenda; *eaque* conſiſtet in intemperiei, tumoris, doloris, relinquorumque ſymtomatum, per peculiaria ambuſtis contraria, ablatione.

Mox

Mox itaque, ubicumque epidermis nondum ſeparata eſt, applicetur ſequens unguentum:

℞. *cæparum crudarum* ℥jß.
ſalis, ſaponis veneti alb. ana. ℥j.
Miſceantur in mortario, addendo
ol. roſ., & amigdalarum dulcium q. ſ.
ut fiat unguentum.

Deinde toti cruri, pedi, & genu, hoc adhibeatur cataplaſma, quotidie uſurpandum, ad finem curationis uſque:

℞. *farin. hordei, fabarum an.* ℥vj.
ſem. fænugræci ℥j. *cydoniorum* ℥ ß.
herb. malvæ, althææ, cum radd. pulveriſ. an. ℥jß.
rad. curcumæ pulveriſ. ℥ ß. *butyri recent.* ℥iiij. *croci* ʒj.
Pulveres ſem. fænigræci & cydoniorum primò aquâ parum coquantur, quæ cum refrigerata iterum fuerint, reliquæ farinæ & pulveres una cum butyro adjiciantur, coquanturque in lactis vaccini q. ſ. ad conſiſtentiam Cataplaſmatis, *cui ad miſceantur vitelli ovorum* No. ij, *appliceturque calidè.*

Sub veſperam ſumat hunc hauſtum anodynum, ſubinde reiterandum:

℞. *lactis amigdalati* ℥iiij.
ſyr. de papavere ʒij. Miſce.

Poſtridie ſumat talem bolum, ſubinde repetendum.

℞. *electuar. diapruni ſol.* ʒij.
ſcammonii, cremor. tartari an. ℈ß.
ſyr. roſ. ſol. q. ſ. M. pro Bolo.

Dum cataplaſma adhibebitur, humores illapſi in pus convertentur, quod forſan per poros inſenſibiles cutis foras expelletur.

Continuandus horum uſus ad finem uſque: in nonnullis tamen locis magis humidis circa finem curationis adhibeantur linimenta exſiccantia, ut unguentum de ceruſſâ, de minio, & ſimilia,

Diæta

Diæta sit tenuis & refrigerans: abstineat à vino: utatur cerevisia tenui & decocto hordei, in quo agrimonia & veronica sunt coctæ.

XI.

MEDICATIO JUVENIS, ANEURISMATE LABORANTIS.

Juvenis viginti octo annorum, in diversorio aleâ ludens, in litem cum antagonista incidit; qua ad manus veniente, cultro supra flexuram cubiti, in interiore sinistri humeri parte, punctim vulneratus est. Mox ex vulnere magno impetu prosiliit sanguis, qui à chirurgis non nisi maxima cum difficultate potuit sisti. Vulnere ad cicatricem pene deducto, apparuit circa locum affectum tumor valde pulsans, & quotidie magis magisque crescens, qui digitis pressus imminuebatur; cessante vero pressione, ad priorem exturberantiam redibat. Hunc dum chirurgi fasciis injectis & arcte constrictis compescere & consolidare conantur, cicatrix fuit disrupta, & sanguis copiosissimus ex renovato vulnere, maximo cum impetu, mox prosiliit. Chirurgi advocati sanguinis eruptionem, remediis stipticis cum filamentis lintei carpti adhibitis, tandem quidem stiterunt: Verùm ob metum novæ hæmorrhagiæ, remedia imposita, quæ ad renovandam vulneris obligationem sunt auferenda, auferre non audent. Sanguis à linteis impositis imbibitus, ex putredine, jam gravissimum fœtorem contraxit, quo eorum amotionem, rectamque ulteriorem medelam, æger desiderat.

Pars affecta est *pars humeri sinistri supra cubitum*, ibi, præter cutim, secundum arteriam vulnerata; ut ex vehementi illa hæmorrhagia, quæ adeo difficulter potuit sufflamina-

ri, item ex tumore pulsante, qui vulneris curationi supervenit, est manifestum.

Morbus, quo hic æger laborat, est arteriæ sinistri humeri vulnus, quod sanguinem arterioſum sub cute vulnerata intra vicinas partes cum pulsu vehementi effundens, easque in tumorem pulsantem attollens, sanguinemque ex vulnerata vicina cute emittens, *Aneurisma vulneratum* est appellandum.

Causa prima hujus morbi fuit ictus, cultro arteriæ sinistri brachii punctim illatus: qui ex eo fuit manifestus, quod sanguis mox ab ictus illatione tanto impetu ex vulnere exsiliit, & non nisi maxima cum difficultate sufflaminari potuit.

Altera ejus causa fuit consolidatio cutis sine recta arteriæ vulneratæ consolidatione facta Hinc enim factum est, ut arteria illa læsa, & rursus disrupta, sub tempus, quo cicatrix cuti fuit inducta, sanguinem intra cutim & carnes vicinas magno cum impetu emiserit, easque in tumorem pulsantem, quem aneurisma appellamus, extulerit; isque paulatim ab impulso sanguine, partes vicinas paulatim magis magisque distendente, incrementum sumsit. *Tertia hujus morbi causa* fuit fortis illa aneurismatis pressio, à chirurgis, ope fasciarum arctissimè constrictarum, facta. Hac enim sanguis arterioſus in cavitatem tumoris magna vi à corde pulsus, & pressioni fasciarum injectarum restens, disrupit cutis cicatricem, vulnusque aneurismati addens, seque vehementius & copioſius ex eo effundens, *quartam* huic morbo dedit causam.

Causa autem, quod sanguis ex arteria egressus in cavitate illum continente non fuerit coagulatus, sed fluidus manserit, partesque vicinas vibrare potuerit, hæc fuit; quod sanguis ille spirituoſus, ob viciniam cordis magno illo impetu ex arteriæ vulnere in cavitatem illam, initio valde

parvam,

parvam, egrediens, poros vicinarum carnium partim arctaverit, partim viscidioribus suis partibus obduxerit & obstruxerit, pelliculamque eâ ratione, interiorem illam cavitatem investientem, produxerit, & ita spiritus, sanguini fluiditatem & vibrationis vim conciliantes, retinuerit.

Neque his adversatur ecchymoma, in quo sanguis ex vena rupta effusus intra vicinas carnes coagulatur & putrescit. Nam sanguis venosus, quia minore impetu & paucioribus spiritibus, ex longo à corde itinere, est præditus, ex vena rupta lentè & minore impetu egreditur, atque ideo poros partium vicinarum laxat & per eos, paucos, quos habet, spiritus disjicit & perdit; ipse verò in iis hærens, ob paucitatem spirituum, necessariò coagulationem ac deinde putredinem patitur.

Morbus hic valde *periculosus* est. Si enim remedia imposita relinquantur, metus est ne ex putredine gangræna oriatur: sin ea amoveantur, metus est, ne ex secutura hæmorragia, æger mox inter chirurgorum manus exspiret.

Prudenti itaque *chirurgiâ* hic opus est; quæ ita institui debet: primò supra aneurisma brachio sinistro denudato injiciatur fascia linea vel lanea satis lata, eaque ita arctè adstringatur, ut nullus pulsus circa carpum percipiatur. Eo facto, amoveantur omnia, quæ aneurismati vulnerato adhibita fuerunt. Ac deinde, quia ob adstrictam eo modo arteriam nullus sanguis ex vulnere egredietur, in tantum amplietur acutissimo scalpello vulnusculum aneurismatis, ita ut tota ejus cavitas, & arteria eâ contenta, conspici possint, cavitasque ab omni contento sanguine emundetur. Si tum arteriæ vulnusculum oculis non percipiatur, laxanda nonnihil erit fascia brachio injecta, quo sanguis ex arteria egrediens vulnusculum ejus clare indicabit; eaque deinde rursus, ad arteriam claudendam, fortiter erit adstringenda. Ac postea acus curva, filum satis forte &

duplicatum trahens, ſub arteria, ſupra ejus vulnuſculum, erit tranſmittenda, filumque ſub ea ſubducendum; fili capita deinde in nodum, arteriam arctiſſimè ligantem, erunt iterum atque iterum conſtringenda. Quibus peractis, arteria ligata, paulo infra vulnuſculum ejus, erit reſecanda, cavitaſque, intra cutim & carnes vicinas facta, & cuticulâ quaſi veſtita, erit detergentibus emundanda; & deinde carne per remedia ſarcotica replenda. Relinquenda autem capita fili in nodum conſtricta in vulnere tamdiu, donec ſponte excidant. Ubi exciderint, extremitas reſectæ arteriæ carne recens generatâ erit clauſa, ita ut nullus profundendi ſanguinis ſit futurus metus.

XII.

MEDICATIO VIRI,

GANGRÆNA AFFECTI.

VIr 40 annorum, robuſtus, poſt cœnam, bene potus, mediâ hyeme, in ſtabulo, cujus feneſtræ erant apertæ, ſe ad dormiendum compoſuit. A ſomno ſurgens pedes vix poterat movere, in iiſque exiguus erat ſenſus, ac color in iis apparebat lividus.

Partes affectæ in hoc ægro ſunt *pedes;* quod eorum ſtupor, movendi difficultas, & livor probant.

Morbus, quo laborat, eſt intemperies frigida & putrida atque contagioſa pedum, quæ ſenſus ſtuporem & movendi difficultatem ac livorem, ex caloris nativi extinctione inchoatâ, inducens, & ad vicina facile prorepens, *Gangræna* appellari ſolet.

Cauſa hujus morbi *externa* eſt aëris frigus, in quo æger noctu,

noctu, corpore non satis adversus aërem frigidiorem munito, dormivit. Frigoris enim vehementiâ calor nativus in pedibus valde fuit exstinctus; quo fibrillæ nervorum, pedibus insertorum, ita fuerunt vitiatæ, ut motum pedibus impressum ad cerebrum, sensationis excitandæ causâ, satis validè transmittere nequeant; *parteſque insensibiles cutis & vicinarum partium*, propter ingentem putredinem & corruptelam, ex frigore illo inductam, *ita fuerunt corruptæ, ut pedes jam liveant & stupeant.*

Morbus hic est periculosissimus: cum sit magnus à naturali statu recessus, & magna adsint symtomata: malumque hoc valde prorepere, & brevi in *spacelum* converti soleat.

Celerrima itaque & prudentissima *Curatione* mox erit aggrediendus; *eaque* in corruptelæ partium ablatione, & intemperiei correctione, & denique in partium, quæ aperientur, consolidatione consistet.

Statim itaque pedibus applicetur tale emplastrum, calefaciens & corruptelam sistens:

℞. *rad. raphani hortensis,*
rapi an. No. j.
contundantur in mortario, addendo sem.
synapios ℥j.
pulv. cariophyllor. ʒiij.
Ol. sem. lini, jugland. veteris an. q. s.
M. & F. Emplastrum, *calidè applicandum pedibus per unum diem, ægerque in calido loco decumbat.*

Si contingat malum ad internas partes extendi, ilico scarificationes satis profundæ usque ad vivam carnem sunt adhibendæ, ita ut sanguis egrediatur.

Deinde partes laventur aquâ salsâ, vel spiritu vini, in quo unguent. ęgyptiacū est dissolutum: & lotio sit valde calida.

Postea adhibeatur tale unguentum; quod prestantissimum est ad omnem putredinem & ulceris malignitatem sistendam & tollendam:

℞. *floris æris, aluminis rocchæ, mellis com. an.* ʒiij.
aceti acerrini ʒv. *salis com.* ʒj.
vitrioli. rom. ʒß. *sublimati pulveris.* ʒij.
Bulliant & F. Unguentum.

Si ita putredo superetur, escara separanda est appositio emplastro ex quinque farinis, *fabar. sc. lini, fænugræci, hordei, lupinorum*, vel alio simili.

Quod si neque per hæc sistatur corruptela, igne utendum.

Eoque nihil etiam proficiente, pedes erunt exscindendi: ex Parei sententia, in carne viva; ex Fallopii, in parte mortuâ, in confinio vivæ: quæ deinde post sectionem cauteriis actualibus adurenda, donec æger calorem cauteriorum sentiat.

XIII.

MEDICATIO SENIS, LUXATIONE FEMORIS LABORANTIS.

Senex sexagenarius, imprudentius domo in plateam lubricam egrediens, natibus in terram lapidibus stratam vehementi impetu lapsus est; atque hinc tumorem habet durum, circa dextram & exteriorem ossis coxendicis partem. Crus sinistrum dextro est longius. Femur dextrum movere nequit. Tam vehementem patitur dolorem, ut ejulatibus totam domum repleat.

Pars, quæ præcipuè in hoc ægro afficitur, est *femur dextrum*: quod ex ejus brevitate, tumore, dolore, & motu impedito patet:

Morbus, qui ipsum torquet, est *Luxatio*, qua os femoris dextri, ex acetabulo suo deturbatum, versus superiora ascendit.

Eaque

Eaque ex tumore, circa externam & ſuperiorem oſſis coxendicis dextri partem exiſtente; item ex cruris dextri brevitate, eſt manifeſta.

Cauſa hujus morbi *externa* eſt vehemens ille lapſus, natibus in duram terram magno impetu factus; quo os femoris, ex acetabulo verſus ſuperiora propulſum, *facit illum tumorem & cruris dextri brevitatem* : premens verò ibidem nervos, parteſque alias acuto ſenſu præditas, *ingentem illum dolorem excitat.*

Luxatio hæc difficulter poterit reſtitui, propter validos muſculos, qui locum affectam circumſtant; & difficulter, propter ligamenti capitis femoris relaxationem, in loco ſuo, ubi reſtitutio fuerit facta, poterit retineri. Affulget tamen haud parva ſpes curationis, quia affectus eſt recens. Claudicatio autem vix evitari poterit.

Curatio peragetur chirurgicâ extenſione, preſſione, & retentione.

Primò itaque faſciis, in ſcamno Hippocratis vel aliâ ratione rectè adhibitis, femur verſus inferiora trahatur; & deinde premendo in acetabulum reducatur; ubi reductum fuerit, medicamenta ſunt adhibenda, quæ inflammationem prohibent, dolorem ſedant, & ligamenta laxata conſtringunt: & porro faſciis laborandum, ut femur in loco ſuo retineatur.

XIV.

MEDICATIO JUVENIS, SCORBUTO LABORANTIS.

Juvenis 28 annos natus, temperamento melancholicus, poſt errores varios in victu commiſſos incidit in tertianam, à

qua

qua convalescens percepit in hypochondrio sinistro tumorem durum, cum respirandi difficultate. Adest ipsi febricula, per accessiones quotidie invadens. Color faciei est ex pallido fuscus. Crura debilia maculis quibusdam sublividis, variis locis, sunt notata. Gingivæ tumidæ, leviter contactæ, sanguinem emittunt. Halitus oris fœtet. Appetitus ipsi est prostratus. Multum sitit.

Afficiuntur in hoc ægro *lien*, ut patet ex tumore, in sinistro hypochondrio percepto, & respirandi difficultate; item *cor*, ut docet febris; item *hepar* ac pancreas, ventriculus ac pulmo, ut constat ex fusco pallidoque vultu, & ex fœtore halitûs oris; *crura* quoque, ut probat eorum debilitas & maculosus livor; Denique etiam *gingivæ*, quod constat ex sanguine, à levi pressione, ex iis emanante.

Morbus præcipuus, qui ægrum nostrum affligit, est intemperies quædam Batavis endemia, serosa, crassa, acris, & maligna viscerum, chylosi, chymosi, & hæmatosi inservientium; quæ præter febrim, halitûs fœtorem, gingivarum tumorem, earumque à levi contactu sanguinis emissionem, crurum in motu debilitatem, eorumque sublividas maculas, ac lienis vicinorumque viscerum obstructiones & tumorem inducens, *Scorbutus* vulgò appellatur.

Causa procatarctica hujus morbi est varius error in victu commissus; quo cacochymia in corpore genita, & tertiana tandem producta, *antecedentem* huic morbo præbuit causam. Ea verò per moram ulterius corrupta, ac visceribus & sanguini aliisque partibus peculiarem qualitatem crassam fixam & acrem, ac malignam, symtomata jam commemorata producentem, imprimens, *continens* hujus morbi & symtomatum est causa.

Ea enim sanguini mista, & quotidie vehementius in corde cum malignitate effervescens, producit *febriculam* quotidie invadentem. Lieni copiosius impacta, producit in eo *ob-*

eo *obstructiones*, & *tumorem in sinistro hypochondrio perceptibilem*. Copiâque suâ pancreas & mesenterium distendens, atque hinc liberam diaphragmatis depressionem, in inspirando necessariam, impediens, *respirandi inducit difficultatem*. Ad *vultum* devecta, *ex fusco pallidum* suo colore illum *efficit*. In crura descendens, ibique ob gravitatem & crassitiem hærens, musculos sua intemperie ad motum facit ineptiores & debiles, & cutim ibidem, exesis vasculis capillaribus, subnigro suo colore variis locis tingens, *multas maculas lividas cruribus imprimit*. In *gingivas* copiosius effusa, copiâ suâ ibi facit, *earum tumorem*, & acrimoniâ vasa pene exedens, ad leviſſimum contactum *sanguinis in iis excitat perfusionem*. Ad pulmones & os delata, ibique fœtorem contrahens, & cum aëre exspirata, *halitus fœtidi facit expirationem*. Dum verò aquosiores quædam ejus partes in ventriculum effunduntur, ibique succum, qui famem excitare solet, vitians, *tollit famem*; in æsophagum verò salsis quibusdam & calidioribus effusa partibus, *inducit sitim*.

Morbus hic, propter malignitatem, & viscerum istorum affectionem gravem, *est periculosus*. Quia tamen haud altas egit radices, spes sanationis ampla affulget. Verùm *Curatio* ejus gnaviter erit aggredienda.

Eaque consistet in causæ antecedentis & continentis ablatione, & viscerum, sanguinis, & aliarum affectarum partium intemperiei, per attenuantia, aperientia, & volatilisantia, correctione, & obstructionum apertione.

Præscribatur itaque primò tale apozema alterans & purgans, ubi sanguis ad uncias sex vel octo ipsi fuerit eductus:

℞. *rad. cichorii, fæniculi, petroselin. an.* ℥j.
raphani rustici ℥j *s.*
capparum, tamarisci an. ℥*s.*
herbar. cichorii, acetosæ, cardui benedicti, fumariæ,

becabungæ, nasturt. an. m. j.
cochleariæ m. ij.
sem. anisi, fæniculi an. ʒij. *tamarind.* ʒij.
decoquantur in aq. hordei ad lib. j. *s. addendo sub finem decoctionis fol. sennæ* ʒj. *mechoacannæ, agarici an.* ʒj. *cinnamomi* ℈j. *Colaturæ adde syr. de limonibus* ʒjs. *spirit. vitrioli gutt.* xv *Misce* F. Apozema, *de quo sumat æger quotidie mane* ʒiiij. *vel.* v. *jejunus.*

Apozemate illo absumto, idem, vel simile ex antiscorbuticis, repetatur, ac de eo bis terve in die haustus bibatur.

Interim hoc linimentum ventri, & præsertim lieni, adhibeatur:

℞. *ol. capparum,*
aceti fortis an. ʒiij.
vini malvatici ʒj.
bulliant ad vini & aceti consumtionem; deinde adde
adipis anserini,
medullæ crurum boum an. ʒs.
cum ceræ q. s. F. Linimentum, *quo ungatur totus venter calidè, & præcipuè sinistrum hypochondrium.*

Pro gingivis sanguinolentis utatur hac oris collutione:

℞. *cort. prunor. silvestrium* ʒj.
cochleariæ, nasturtii aquatici an. m. j.
rosar. rub. m. s.
balaustior. ʒij.
Coq. in aquæ chalibeatæ q. s. ad lib. j.
Colaturæ adde syr. rosat., diamori an. ʒj.
aluminis ʒj. *Misce*, F. oris collutio.

Utatur etiam sæpius malis aurantiis & citriis, cum corticibus in tessellas dissectis, & eorum succo expresso cum cibis.

Ad maculas crurum hoc lavacro utatur mane, & vespe-

ri cu-

ri cubitum iturus:

℞. *absinthii, roriſmarini, malvæ, ſalviæ, naſturtii, flor. roſar. an. m. j.*

Coquantur in aq. com. q. ſ. pro Lotione pedum, *eoque foveantur loca affecta maculis.*

In victus ratione, Aër ſit tenuis, purus, patens, temperatus. *Cibus* ſit parcus, boni ſucci, facilis coctionis, attenuans, ex pane bene fermentato triticeo, carnibus avium montanarum, vervecum, gallinaceis, paſſulis, amigdalis, caricis, prunis coctis, beta, petroſelini & cichorii radicibus. *Potus* etiam parcus, ſit cereviſia tenuior, bene defæcata & fermentata, lupulo vel abſinthio bene condita, vinum oligophorum. *Somnus* ſit moderatus, uti & *motus corporis*. Fugiat *triſtitiam*. *Excrementa alvi*, vel naturâ, vel arte, aſſumtis reſpondeant.

XV.

MEDICATIO VIRI,

ARTHRITIDE VAGA,

De Uaren Belgicè dictâ,

LABORANTIS.

VIr 42 annorum, ratione Weſtphalus, jam ab aliquo tempore cruciatur doloribus, in variis corporis membris, ſed potiſſimum in dorſo & lumbis, ipſum, inſtar vermiculorum rodentium, torquentibus. Adeſt etiam quædam articulorum movendorum impotentia. Solent dolores hi unam aliquam in hoc ægro invadere partem, & deinde celeri diſcurſu in alias transferri: ita ut, ſopitis doloribus pedum, illico ſcapulæ afficiantur; iiſque jam tranquillis, è veſtigio manus crucientur, ac ita per omnes

artus dissiliant. Noctu etiam magis, quam interdiu, exacerbantur. Urinæ non multum à sanorum urinis discrepant. Vermiculi quidam interdum in fundo matulæ, & interdum etiam in alvi fæcibus conspiciuntur. Interdum tumor est circa articulationes; qui ubi diu durat, excitat maculas, instar scorbuticarum lividas. Alvus sæpe est adstrictior.

Afficiuntur in hoc ægro, secundum articulationes, varia corporis membra, ut *brachia* & *crura*, sed potissimum *dorsum & lumbi*; idque ex vagis istis doloribus, partes illas torquentibus, item ex maculis lividis, partes illas post diuturniores dolores obsidentibus, patet. Afficiuntur etiam *renes & intestina*; quod ex vermiculis, in urina & alvi fæcibus interdum conspectis, est manifestum.

Morbus, qui ægrum hunc affligit, est intemperies quædam sanguinis, Westphalis, Gelris, aliisque vicinis populis endemia, serosa, acris, volatilis, & maligna; quæ in varias jam commemoratas corporis partes subitò & per vices delata, easque corrosivis doloribus torquens, motumque eorum justum impediens, & maculas lividas interdum inducens, latinè *Arthritis vaga endemica*, & belgicè **de Varen**/ vel **de vliegende Jicht**/ appellari solet.

Causa hujus morbosæ intemperiei sanguinis, est aëris Westphaliæ & vicinorum locorum peculiaris pravitas; quę alimenta, & corpora incolarum nonnulla ad hoc apta, ita vitiat, talemque intemperiem sanguinis inducit, quæ ipsos jam commemoratis symtomatis quam gravissimè torquet.

Morbus hic, præ dolorum vehementiâ, & ob intemperiei suæ gravitatem, marasmum & fistulosa ulcera inducere solet; atque ideo diligenti *Curatione* erit impugnandus.

Eaque in pravorum humorum eductione, & intemperiei istius malignæ correctione, doloriſque placatione consistet.

Primum itaque purgetur & alteretur æger tali Apozemate: ℞. *rad.*

℞. *rad. polypod. querc.* ℥j.
herb. salviæ, betonicæ an. m. j.
scabiosæ, rutæ, abrotani an. p. j.
sem. anisi, citri an. ʒij.
passular. mundat. ℥ß.
Coq. in aq. comm. lib. ij. *ad mediæ partis consumtionem, addendo sub finem decoctionis fol. sennæ* ʒxij.
Stent in infuso per noctem; mane fiat expressio fortis: & deinde, cum liquore illo colato, per colum rursus transmittantur lumbrici terrestres vino abluti No. ix.
& addatur sacchari q. s. ad saporis gratiam.

De hoc Apozemate bis vel ter in die æger sumat ℥iij. pro dosi.

Corpore ita purgato & alterato, tali utatur æger potione:

℞. *rad. succisæ* ℥j. *aristolochiæ rotund.* ʒij.
herb. salviæ nobilis, betonicæ an. m. j.
abrotani, rutæ, vincæ-pervincæ, sabinæ an. p. j.
Coq. in aq. fluviali q. s. ad consumt. med. part. ad ℔j ß.
Cum hujus decocti expressi ℥iiij. *pro vice, trajiciantur lumbrici terrestres, circulis in collo insigniti Num.* v.
Deinde admisce theriacæ electæ ʒß. *pulv. cinnamomi* ℈j.
sacchari quantum placet.

Exhibeantur mane calidè, & corpus tegatur ad sudorem proliciendum.

Et repetatur hæc potio diebus aliquot continuis; imo, si opus est, per aliquot septimanas.

Magni usus hîc etiam est sequens medicamentum, post purgationes exhibitum:

℞. *lumbricos terrestres in mortario,*
cum duobus cochlearibus vini,
contusos, & per panuum trajectos No. ix.
Deinde misceantur cum vini mensura dimidia.

De hoc liquore sumantur cochlearia tria, mane, meridie, & vesperi.

Quod si in unam aliquam partem procumbat virus, & abscessum excitet; is ut aperiatur, plantago cum sale adhibenda.

Abscessu aperto, unguentum ex radicibus cicutæ aquaticæ est applicandum tale:

℞. *radices cicutæ aquaticæ q. s. eæque stupâ madidâ involutæ sub cineribus ad mollitiem coquantur, deinde cum melle q. s. misceantur in formam, vel consistentiam,* Unguenti.

Utile hic etiam est cataplasma ex radicibus sigilli Salomonis, cum aquâ vel cerevisiâ coctis.

Sunt, qui abscessui aperto inspergunt pulverem talpæ vivæ, in ollula combustæ in cineres. Hic cinis etiam intro sumitur cum vino vel cerevisia per aliquot dies; lunâ crescente, & etiam in ejus defectu

Alii spem curationis totius ponunt in exhibitione insecti, quod Bupreſtis latinè, Meptwum belgicè, & *Cantarello* italicè vocatur. Verum periculosissimus ejus est usus.

In diæta, Aër sit purus, temperatus. *Cibus* sit parcus, boni succi, facilis coctionis, attenuans, ex pane bene fermentato triticeo; carnibus vervecinis, gallinaceis, passulis, amigdalis, caricis, prunis coctis, betâ, petroselini & cichorii radicibus. *Potus* sit parcus, ex cerevisiâ tenui, lupulo & absintio conditâ, vino oligophoro. *Somnus* sit moderatus, ut & *motus* corporis. Fugiat *tristitiam*. *Alvus* naturâ vel arte bene respondeat assumtis.

MEDI-

XVI.

MEDICATIO VIRI,

LUE VENEREA,

Cum Gonorrheâ Virulentâ,

LABORANTIS.

VIr triginta annorum, boni habitus, temperamento biliosus, quatriduo post coitum cum muliere quadam peractum, urinam frequentius cæpit excernere, dolorem inter mingendum, in meatu urinario, circa glandem, sentire. Postridie materiam albam, subflavam, guttatim ex urethrâ excrevit. Patitur jam frequentem penis cum dolore erectionem. Præterea pili è mento & capite copiosè ipsi decidunt. Vultus, præ intumescentia, à recepto lumine fulget: sub vesperam brachia, scapulas, & tibias gravis invadit dolor, qui tota nocte durat, & mane remittitur.

Afficitur in hoc ægro *penis*, quod patet ex urinæ cum dolore excretione, & penis dolorifica erectione; item *glandulæ prostatæ & vesiculæ seminariæ*, ut probat materia subflava guttatim excreta; nec non *caput*, ut constat, ex pilorum ex mento & capite defluvio; & denique *tibiæ & brachia*, quod docent dolores, illas partes occupantes.

Morbus ejus est intemperies quædam viscerum, chymosi & hęmatosi inservientium, maligna, acris, & contagiosa: quę dolores brachiorum & tibiarum, sub noctem ingravescentes & mane mitescentes, pilorum in mento & capite defluvium; materiæ subflavæ ex urethra excretionem; urinæ ardorem; & penis dolorificam erectionem concilians, *Gonorrhæa virulenta*, vel potius ipsa *Lues venerea*, gonorrhæâ

rhæâ virulentâ comitata, appellari poteſt.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt coitus, cum impuro & venerea lue laborante ſcorto peractus; quo per contagium maligna qualitas ſanguini. penis & vicinarum partium fuit impreſſa; eaque cum ſanguine circulante per totum corpus delata & diſtributa, *antecedens* hujus morbi fuit cauſa. In partibus verò affectis pravam qualitatem gignens, & ſymtomata commemorata excitans, *continens* hujus morbi eſt cauſa.

Dum enim ex malignitate iſta in veſiculis ſeminariis & proſtatis corrumpitur ſemen, & acrimonia ipſis & meatui urinario conciliatur, glandulæ iſtæ ad excretionem ſtimulantur, porique earum nimis laxantur, quo *materia corrupta, ſubflavo & albo colore imbuta, guttatim, & urina cum dolore, & frequenter excernitur.* Dum eadem malignitas ſpiritus, in partes fluentes genitales, facit acres & crafſos, & ad diſſipandum ineptos, hinc *oritur doloroſa penis tentigo.* Eaque ad caput delata, incraſſat ibi ita vapores, ut *illi*, diſſipari ſatis nequeuntes, *vultum ita diſtendant, ut is à recepto lumine fulgere videatur.* Radices verò pilorum in mento & capite corrumpens, *facit ut pili ex illis partibus decidant.* Hæc, *nocturno* denique *tempore* in brachiis & cruribus ob frigus noctis retenta, *pungit* ſuâ acrimoniâ *nervoſas* in iis *partes*, *doloreſque ingentes excitat; qui, adventante ſub auroram diurno calore*, ob materiæ iſtius acris diſſipationem, *miteſcunt.*

Morbus hic, ob malignitatem & gravia ſymtomata, valde eſt periculoſus. Quia tamen altas radices non egit, ſpes *Sanationis* affulget.

Eaque tota, in intemperiei correctione, & pravorum humorum eductione, conſiſtet,

Primò itaque educatur ſanguis ex vena malleoli pedis ad unc. ſex vel octo.

Poſtridie purgetur hac potione:

℞. *dia-*

℞. *diapruni sol., cassiæ recent. extractæ an. ℥ß.*
dißolve in aq. fumariæ ℥iij. scammoniigr. iij.
M. F. Haustus.

Postea utatur hoc decocto:

℞. *rasuræ ligni guaiaci, rad. salsæ parillæ an. ℥iij.*
cort guajaci, rad. chynæ an. ℥j.
Infundantur per 24. horas in aq. com. lib. 12, deinde decoquantur ad mediæ partis consumtionem, addendo sub finem decoctionis,
fol. betonicæ, borraginis, cichorii, card. benedicti, capill. Veneris an. m. j.
sem. melonum ʒij.
paßular., glycyrrizæ an. ʒvj. sem. anisi ℥ß.
Colentur & F. Decoctum sudoriferum.

De hoc decocto exhibeantur ægro ℥viij, mane jejuno ventriculo, calidè, corpus plus solito tegendo, ut excitentur sudores; qui continuabuntur per duas tresve horas, pro ratione virium. Continuabitque æger hanc agendi rationem totâ septimanâ: excepto, quod quarto die potione catharticâ sit purgandus, quo à sudoriferis abstinebit.

Secundâ & tertiâ septimanâ sudabit noster æger mane, & sub horam quartam pomeridianam; & quarto quoquo die omissis sudoriferis purgabitur.

Quartâ septimanâ redibit ad sudores, mane tantum eliciendos, & purgationem quarto die repetendam.

Dum autem his utitur, ad *morsum*, quem *in mingendo* sentit, immerget glandem lacti, vel succo plantaginis aut solani.

Ad *tentiginem* verò & membri erectionem, adhibeat pudendo linteum, aquâ frigidâ imbutum, & leviter expressum.

Perseverante gonorrhæâ, utatur etiam his pilulis:

℞. *terebinthinæ ℥ß. pulv. sarcocollæ, mastiches,*

liquiritiæ, nucis moſchat. an. ʒj. *Miſce & fiat* Maſſa pilularum, *de qua ſumat quotidie dragmam unam, duabus horis ante Medicamenti ſudoriferi vel purgantis ſumtionem,*

In *victus ratione, Aër* ſit calidus & ſiccus. *Cibus & potus* parcus, qui viribus conſervandis tantum ſufficiat; ex pane biſcocto, carnibus gallinarum, vervecinis, ovis ſorbilibus, aſſis potius quam elixis. *Potus* ſit bochetum ſive decoctum ſecundarium, ex guajaco & ſalſaparillâ, paſſulis & glycyrriza paratum. *Exercitia* ſint moderata, *Animi affectus* ſint læti. *Alvus* ſit laxa, naturâ vel arte. Abſtineat à *Venere.*

XVII.

MEDICATIO JUVENCULÆ,

LUE VENEREA,

Cum ulceribus oris & ani.

LABORANTIS.

JUvencula 18 *annorum, honeſta, & caſta, nuper homini cuidam diſſolutioris vitæ nupta, incidit in ſpontaneam corporis laſſitudinem, & dolores nocturno tempore ingraveſcentes, diurno vero miteſcentes: hos inſecutæ ſunt puſtulæ fœdæ in ano & pudendo: imo & ulcera jam guttur & fauces obſident.*

In hac juvencula afficitur *totum corpus*, ut ex laſſitudine & doloribus totius corporis, noctu potiſſimum ingraveſcentibus; item *fauces*, & *anus*, ac *pudendum*, ut ex ulceribus, illas partes obſidentibus, eſt manifeſtum.

Morbus, qui eam affligit, eſt intemperies quædam acris, contagioſa & maligna, quæ ſpontaneam totius corporis laſſitudinem, & dolores nocturno tempore ingraveſcentes,

tes, item ulcera, in faucibus, ano, & sinu pudoris, producens, *Lues venerea* appellari solet.

Causa procatarctica hujus morbi est concubitus hujus honestæ fœminæ, cum hoc homine dissoluto, & contagio Venereo, procul dubio, laborante factus. Unde per contactum partibus genitalibus ipsius, à mariti maligno semine, maligna & contagiosa qualitas primum fuit impressa; quæ deinde sanguini, circulum ab utero ad cor & à corde per totum corpus perpetuò facienti, communicata, totam sanguinis massam infecit, atque ita *antecedentem* hujus morbi produxit *causam*. Quædam verò ejus pars in crassos spiritus animales, corpori rectè & satis validè movendo ineptos, conversa, *lassitudinis spontaneæ* : Parsque alia acrior facta, & nocturno tempore, ob poros cutis tum magis constrictos, vehementius efferveſcens, & in nervosas & membranosas partes fortius impingens, *dolorum noctu ingraveſcentium, interdiu* verò *miteſcentium*: Pars verò materiæ morbificæ alia acrimoniam etiam magnam adepta, ubi ad fauces anum & sinum pudoris fuit delata, easque partes ob teneritudinem earum erosit, *ulcerum pustularumque fœdarium, illa membra obsidentium, continens* est causa.

Morbus hic, est periculosus, & sæpissimè in incurabilem degenerat pravitatem, quæ non tantum carnes, sed cartilagines etiam, & ossa ipsa exedit. sed quia hæc ægra est juvencula & malum non est inveteratum, spes sanationis bona affulget, *Curatio* itaque diligens erit adhibenda.

Quæ consistet in causarum, intemperiei, ulcerum, dolorumque ablatione.

Primò itaque purgetur ægra tali haustu.

℞. *cassiæ recent. extractæ*
confect. hamech an. ℥ ß
dissolve in aq. decoct. hord. q. s. Misce F. Haustus brevis.

Postridie vena secetur in brachio dextro, & sanguis educatu rad lib. ß.

Et postea utatur tali apozemate.

℞. *herb. fumariæ m.* ij. *scabiosæ, buglossæ, borrag., capill. veneris an. M.* j. *ceterach, dent. leonis an. m.* ß. *sem. anisi, fœnicul. an.* ʒj. 4. *sem. frig. maj. an.* ʒß. *epithymi, polypod. q. ana* ʒß. *prun. damascen.* No. xv. *Decoq. in aq. hord. q. s., addendo sub finem decoct. fol. sennæ* ʒjß, *ad lib.* j. ß. *Colaturæ adde syr. de fumaria, mellis ros. an.* ʒj.

F. Apozema, *de quo sumat haustum unum vel duos quotidie, pro operationis ratione.*

Consumto hoc apozemate, rursus purgetur hausta primum præscripto.

Et deinde veniendum ad usum sequentis decocti guajaci sudorifici & purgantis:

℞. *rasuræ ligni guajaci, sassaphras. rad. salsæ parillæ ana.* ʒj ß.

Post justam infusionem in quatuor libris aqu. commun. factam, decoquantur ad mediæ partis Consumtionem: sub decoctionis finem adde.

fol. sennæ ʒjß. *sem. carthami* ʒj. *turbith gummosi, hermodactilorum an.* ʒiij. *sem. anisi, paßular. an.* ʒij.

De Colaturâ *capiat ægra lib. s. mane, & promoveat sudores, corpus bene tegendo, & fiat continuatio per viginti vel triginta dies.*

Ad ulcera oris & faucium serpentia utilissimum est sequens lavamentum:

℞. *aq. plantaginis lib.* j. *unguenti ægyptiaci* ʒij.

Misce *pro* Lavamento, *quo sæpe gargarizet tepidè.*

Rhagades, sive pustulæ & ulcera fœda ani & pudendi, oblinantur

linântur plumâ intinctâ & imbutâ *mercurio præcipitato dissoluto in aqua solatri & plantaginis*; & ubi contumaciora ea fuerint, *filamentis in eadem aqua infusis* mundificentur ulcera : iis tandem satis mundatis & detersis, imponatur *unguentum de minio*, ad cicatricem inducendam.

Victus ratio hic eadem observetur, quæ in præcedente medicatione fuit præscripta.

XVIII.

MEDICATIO JUVENIS,

SCABIE

LABORANTIS.

Juvenis 25 annorum, ex Gallia in Bataviam redux, postquam aliquot septimanas patrio aëre & victu rursus esset usus, incidit in cutis totius corporis pruritum; quem postea secutæ sunt multæ pruriginosæ & purulentæ pustulæ, manus brachia & crura ipsius potissimum obsidentes. Nonnullos etiam ex familiaribus contagio ita infecit, ut ipsorum corpus multis locis simili ulcerosâ & pruriente asperitate sit affectum.

Afficitur in hoc ægro potissimum *manuum*, *brachiorum*, *crurum*, *femorumque cutis*; quod ex pruritu & pruriginosis ulcusculis, partes illas obsidentibus, est manifestum.

Morbus, qui eum affligit, est intemperies cutis manuum, brachiorum, femorum, & crurum, acris, salsa, nitrosa, & contagiosa; quæ pruritum & ulcuscula saniosa & purulenta in illis partibus producens, *Scabies* vulgò appellatur.

Procatarctica hujus morbi *causa* in hoc juvene est aëris victusque, per reditum in Bataviam, mutatio; quâ novi fri-

gidioresque incorpore ejus geniti fuerunt humores; qui cum fervidioribus acribus & aduſtis humoribus, in Galliâ natis, mixti, & propter aëris noſtratis frigus, poros cutis claudens, & acrium fuliginum exhalationem in ipſius corpore impediens, intra corpus ejus retenti, inſtar calcis vivæ, aquâ frigidâ perfuſæ, in corpore ejus efferveſcere cœperunt; atque *antecedentem* huic morbo præbuerunt cauſam. Pars verò eorum ad cutem totius corporis, ac præſertim crurum, brachiorumque delata, eaſque partes ſuâ acrimoniâ vellicans, & erodens, *continens* hujus *intemperiei acris, pruriginoſæ, ac cutem in puſtulas ſanioſas & purulentas exulcerantis, hoc eſt*, ut verbo dicam, *ſcabiei*, in hoc juvene eſt *cauſa*.

Ipſe vero in ſuos familiares, contactu manuum, mantilium, aliorumque communium linteorum, ſanioſum illum & contagioſum liquorem, è corpore ſuo emanantem, inſenſibiliter transferens, ſimilem qualitatem acrem & contagioſam in illis produxit, atque ita *ipſos ſimili brachiorum crurumque ſcabie infecit*.

Malum hoc ubi temporis diuturnitate radices profundas in corpore egit, *difficulter* ſolet eradicari.

Ideoque celeri *Curatione* erit impugnandum. *Eaque* in ablatione cauſæ antecedentis, continentis, & intemperiei, per evacuantia, attemperantia, detergentia, acrimoniam retundentia, & exſiccantia, conſiſtet.

Primum itaque purgetur hic juvenis tali medicamento, ad humores acres educendos & temperandos aptiſſimo:

℞. *mercurii dulcis* ℈j.
ſcammonii optimi ℈ſs.
electuarii diapruni ʒij. *Miſce* F. Bolus,

Poſtridie educatur, per venæ ſectionem, ſanguis, ad uncias octo.

Et porro quotidie bibat hauſtum ʒiij. vel iv. de ſequenti

ti apozemate:

℞. *rad. cichorii* ʒj.
polypod., lapathi acuti an. ʒß.
herb. fumariæ, acetoſæ, agrimoniæ,
ſcabioſæ an. m. j.
ſem. 4. frigid. major. an, ʒj.
flor. borrag. m. ß.
paſſular. ʒ ß.
Decoq. in aq. hord. q. ſ. ad lib. j ß., *addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ* ʒij. *ſem. aniſi* ʒij. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rabarb. & fol. ſennæ* ʒij.
Miſce F. Apozema.

Loca ſcabioſa inungatur omnia hoc Unguento:

℞. *terebinthinæ lotæ in aq. ſcabioſæ* ʒj.
ol. raſacei ʒ ß.
butyri recentis, axungiæ porci an. ʒij.
ſalis comm. ʒß. *lithargyrii* ʒj.
vitell. ovor. N. ij.
ſucci limonum ʒvj.
ceræ q. ſ. fiat Unguentum.

Vel adhiberi poterit huic malo ſequens unguentum, quo ſcabies feliciſſimè curatur.

℞. *butyri veteris, in fictili novo ad rubedinem*
frixi lib. ß.
huic intepeſcenti infunde muriæ, in qua
poma limonia macerantur & condiuntur ʒij.
vitellos ovorum conquaſſatos N. ij.
pulv. ſulphuris ʒj.
zinziberis ʒ ß.
piperis ʒj.
fuliginis è fumario collectæ ℈j.
hæc miſceantur calidè in formam Unguenti; *quo articuli manuum, pedum, & reliqui corporis, & loca ſcabioſa, veſ-*

vesperi, in ingressu lecti, inungantur.

Innumeri etiam à scabie liberati fuerunt sequenti unguento:

℞. *rad. lapathi acuti, in mortario pisti m.* j.
pulv. zinzib. ℥j. *baccar. lauri, aristoloch. rotund. an.* ℥ ß.
Cum pin tâ dimidiâ floris sive cremæ lactis, coquantur per horam dimidiam in ollâ novâ, & redigantur in formam Unguenti, *qua loca scabiosa vesperi inungantur ad ignem.*

In *victus ratione*, utendum *Cibis* optimi succi, qui sanguinis acrimoniam emendent & temperent. Carnes gallinarum, vitulinæ, ova sorbilia, pisces saxatiles id præstant. Sal, acetum, aromata, allia, cæpæ, & herbæ calidæ omnes vitandæ. Cerevisia tenuis, serum lactis, aqua hordei, in potu sunt utilia. Inter herbas culinarias, borrago, buglossa, violaria, malva; ex fructibus, poma; ex cerealibus, hordeum & triticum commendanda. Panis esto triticeus. *Ira*, vigiliæ multæ, *Venus*, vitanda.

XIX.

MEDICATIO ADOLESCENTIS,

ACHORE CAPITIS

LABORANTIS.

A Dolescens annorum quindecim, malâ diætâ diu usus, postquam questus esset aliquam diu de dolore capitis gravativo & somnolentiâ, accepit multos tumores, in capitis cute apparentes. Qui postquam deinde essent dissipati, postea redierunt, foraminibus plurimis perforati. Ex iisque glutinosa & flava effluit sanies: quæ in crustas fœdas & ruberosas, fere totum ejus caput tegentes, concrescit.

Affici-

Afficitur in hoc ægro *cutis capitis*; quod indicant tuberculæ illa sanioſa, in ejus capite apparentia. Afficitur etiam *cerebrum*, quod ex ſomnolentiâ & dolore capitis gravativo patet.

Morbus, qui hunc ægrum affligit, eſt intemperies quædam acris, ſalſa, & nidoroſa cutis capitis, quæ ulcuſcula plurima manantia, & fœdis ac tuberoſis cruſtis tecta, in eâ producens, nomine *Achoris*, vel *Tineæ capitis*, appellari ſolet.

Cauſa procatarctica hujus morbi eſt mala diæta, quâ hic adoleſcens fuit uſus. Magna verò copia materiæ acris ſalſæ & nidoroſæ, in corpore ejus inde genita, *antecedentem* huic morbo præbuit cauſam. Pars verò ejus à corde cum ſanguine per arterias in caput delata, & cerebrum gravans, *inducit* primum *ſomnolentiam & capitis dolorem gravativum*. Cutim autem capitis ſuâ acrimoniâ multis locis perforans, & erodens, & *copioſè ex eroſa cute emanans, & in cruſtas fœdas & tuberoſas, totum fere caput tegentes, concreſcens, continuens* hujus *Achoris*, ſive *Tineæ capitis*, eſt cauſa.

Morbus hic valde contumax ſolet eſſe. Atque ideo difficulter curabitur.

Curatio itaque diligens adhibenda; ne æger in apoplexiam, epilepſiam, lipothymiam incidat; vel alia graviora ſymtomata incurrat.

Eaque in cacochymiæ corporis ablatione, & intemperiei correctione, & ulcerum capitis ſanatione, per contraria inſtituendâ, conſiſtet.

Primò itaque ſumatur tale purgans:

℞. *mercurii dulcis bene præp. gr.* xiv.
ſcammonii optimi gr. viij. *vel* ∋ ß.
electuarii diapruni ʒij.
Miſce, F. Bolus, *ſubinde reiterandus.*

Poſtea ad humores cacochymicos alterandos, & ulterius

evacuandos, exhibeatur tale Apozema:

℞, *rad. cichorii*, ℥ij.
enulæ campanæ, althææ,
chelidonii major. an. ℥ ß.
herb. betonicæ, fumariæ, borrag.,
ſcabioſæ an. m. j.
flor. borrag., violar. an. p. j.
ſem. geniſtæ, agni caſti an. ʒj.
decoq. in aq. hordei q. ſ. ad lib. j. ß. *addendo ſub finem decoctionis fol. ſennæ* ℥ij, *ſem. aniſi* ʒj ß. *Colaturæ adde ſyr. de cichorio cum rabarb.* ℥ij. *Miſce*, F. Apozema, *pro ſex doſibus, mane ſumendis.*

Corpore ita per univerſalia purgato, ſi tubercula non cedant, ad medicamenta topica ſive localia eſt deveniendum. Tumque cruſtæ, quibus tubercula teguntur, ſunt emolliendæ tali fomento, ut deinde facilius à chirurgo tolli queant:

℞. *herb. malvæ, althææ, fumariæ, an.* m. j.
ſcabioſæ, agrimoniæ, betonicæ, an. m. ß.
flor. geniſtæ, ſambuci an. p. j.
ſem. geniſtæ ʒj.
Decoq. in aq. comm. pro Fotu, *quo foveatur caput calidè & frequenter, ſpongiâ liquore illo imbutâ, & moderatè expreſſâ.*

Poſtquam cruſtæ fuerint remotæ, evellantur volſellâ pili ex tuberculis, donec ſubſidant. Quo peracto, ſumatur cochleare unum aceti accerrimi, cui addantur guttæ vj vel vij olei vulgaris, ac linteo iis mixtis imbuto & madefacto omnes ſordes abluantur, fortiter fricando; ut per poros apertos humores pravi expelli poſſint.

Si malum adhuc perſeveret, adhibeatur quotidie hoc unguentum:

℞. *piperis, ſulphuris an.* ʒj.

fuli-

fuliginis furni ℈j.
Pulverisata misceantur cum butyri veteris liquefacti ʒij.
& F. Unguentum.

Vel adhiberi poterit illud à Foresto summopere commendatum unguentum:

℞. *Litharg. aur. & argent., cum aceto acerrimo*
& ol. ros. nutriti ʒij.
aluminis rochæ combusti ʒß.
fuliginis furni, rad. enulæ camp. exsicc.
& in pulv. tritæ vel combustæ,
chartæ, quæ perfluit, exustæ an. ℈ij.
olei ex vitellis ovor., axung. gallin., porcin. an. ʒ ß.
ol. laurini, rosacei, & aceti q. s.
Incorporentur in mortario secund. art., ut coeant in formam mollioris Unguenti.

Cui etiam, malo nondum cedente, addi poterit mercurii salivâ extincti ʒj. & vitrioli rom. recte calcinati parum.

In *Victus ratione*, *Aër* sit purus, temperatus. *Cibi* sint boni succi, & qui intemperiem acrem nidorosam & salsam temperant. Et contra, qui mali sunt succi & acrimoniam augere possunt, vitentur. In *Potu sit cerevisia* bene defæcata. Vitetur vinum. Panis sit bene fermentatus. *Alvus* sit lubrica. *Exercitium* sit moderatum.

XX.

MEDICATIO FOEMINÆ, CANCRO INCIPIENTE LABORANTIS.

Foemina 30 annorum, temperamento melancholica, jam à duobus mensibus, tuberculum habet in mammilla sinistra,

magnitudinem avellanæ adæquans, tactu durum, parum dolens, sed dum comprimitur, dolorem exhibet punctorium, velut ab acus punctione profectum. Jam per sex menses ipsi subsistit menstruorum fluxus.

Pars affecta in hac ægra est *mammilla sinistra*; quod ex tactu patet, quo tuberculum illud durum in mammillæ sinistræ carne glandulosa percipitur.

Morbus, quo hæc ægra laborat, est tuberculum atrabilare recens, quod *Cancer incipiens* appellari solet. Isque ex duritie, & dolore punctiorio, post compressiones, in ipso percepto; & præterea ex mensibus per semestre suppressis, cancrum sæpe producere solitis, est manifestum.

Potest hic cancer dici *manifestus*, quoniam tactu facile deprehenditur: atque etiam *occultus*, quia non est ulceratus.

Procatarctica hujus morbi *causa* est menstruorum suppressio, ante hunc affectum per aliquot menses facta; inde enim humores pravi, qui singulis mensibus erant evacuandi, in corpore nostræ ægræ fuerunt retenti; iique per totum corpus diffusi præbuerunt, *antecedentem* huic morbo *causam*. Pars verò eorum ad mammillam sinistram delata, ibique poros plus justo apertos inveniens, & per eos sese in glandulosam mammillæ carnem effundens, ac ibidem crassescens, acrimoniamque atrabilarem & duritiem, per particularum tenuium dissipationem, crassarum & acrium verò retentionem & cohæsionem adipiscens, *continens* hujus tuberculi duri, &, ex compressione, punctorii doloris sensationem præbentis, hoc est, *Cancri incipientis*, est *Causa*.

Est *metus*, ne tuberculum hoc in cancrum inveteratum, imò ne in carcinoma, sive in cancrum exulceratum, degeneret.

Curatio itaque circumspecta & prudens quam primum est ad-

est adhibenda. *Eaque primum* consistet in mensium provocatione, & corporis expurgatione, & *deinde*, ubi illa rursus fluxerint, in tuberculi excisione, & mammillæ consolidatione. Sed quia ægra talem curandi rationem forsan haud admittet; idcirco mensium provocationi, & corporis evacuationi studebimus, & tuberculi incrementum impedire conabimur.

Primò itaque præscribatur tale apozema menses movens, sanguinemque expurgans:

℞. *rad. valerianæ, aristolochiæ, bryoniæ, gentianæ, cyperi an.* ʒvj.
fol. abrotani, artemisiæ, marrubii albi, matricariæ an. m. j.
melissæ, majoranæ, salviæ, rutæ an. m. ß.
sem. rutæ, amomi, nigellæ, agni casti, anisi an. ʒj.
fl camomill., abrotani, matricariæ, centaur. min. an. p. j.
Decoq. in æqu. part. aq. com. & vini albi, sub finem additi: addendo in fine decoctionis fol. sennæ ℥j ß. *turbith, agar. trochisc., mechoacannæ, salappæ an.* ʒj. *In Colatura dissolve syr. de artemisia, de hyssopo an.* ℥j.
M. F. Apozema, *de quo sumat quotidie* ℥iij. *vel* iv. *jejuna. Idque reiterari postea poterit.*

Venæ sectio hic etiam erit adhibenda, primum in brachio, & deinde, circa tempus quo menses fluere antea solebant, in talo.

Dum hæc aguntur, ipsi mammillæ tale adhibeatur Unguentum:

℞. *succi plantaginis, rosar., solani.*
geran. robertiani, symphyti an. ʒij.
ol. rosar. omphacini ℥iij.
Sub radiis solaribus simul agitentur in
mortario plumbeo, donec ut gluten crassescant.

Vel ℞. *ol. rosati completi, lactis an.* ℥j.
tuthiæ præp. pulveris. ℥j. *agitentur in mortario plumbeo*

ad consistentiam Unguenti.

Alii laminam plumbeam argento vivo oblitam, adhiberi volunt.

Victus sit humectans & attenuans : alimenta euchyma ex pane hinc fermentato, ovis sorbilibus, pullis gallinaceis, carnibus vitulinis, vervecinis: vitentur salsa & acria.

XXI.

MEDICATIO FOEMINÆ,

SCIRRHO CANCROSO LABORANTIS.

Foemina 30 annorum postquam menses ipsi inordinatè & parcè aliquamdiu fluxissent, percepit sibi in dextra mammilla paulatim quoddam tuber subnasci durum & subinde dolens. Ejus emollitio & discussio multorum remediorum usu per sesqui annum hactenus frustra fuit tentata. Jamque illud ad ingentem magnitudinem excrevit, & frequentibus punctionis acutæ sensationibus ægræ est molestum. Tuber hoc nec pectoris ossibus, nec musculis, firmiter annexum sentitur.

Pars affecta in hac ægra est *mammilla dextra*; uti ex visu & tactu est manifestum.

Morbus, qui eam affligit, est *Scirrhus* mammillæ dextræ, ad cancri naturam jam vergens

Causa procatarctica hujus morbi est mensium inordinatus & parcus fluxus, aliquamdiu durans; hinc enim, cum sanguis a suis excrementis non satis emundaretur, cacochymia multa melancholica in hujus ęgræ corpore fuit genita, quæ *antecedentem* hujus morbi constituit *causam*. Hujus verò pars in mammillam dextram, propter poros ejus ibidem præ cæteris magis patentes, copiosius sese effundens; eamque

que suâ copiâ & crassitie distendens, & in *tumorem* attollens; *duritiemque* suâ partium firmâ cohæsione, & *dolorem punctorium* suâ acrimoniâ, ipsi concilians, *continens* hujus morbi, ejusque doloris, & incrementi, est *causa*.

Cum hoc malum nullis medicamentis, etiam optimis, hactenus cesserit; incrementumque tum tumoris, tum doloris, perpetuò inter curandum sit factum; *Metus* est, ne hic tumor scirrhosus, majorem malignitatem contrahens, in perfectum cancrum, imo in carcinoma, degeneret.

Atque ideo, cum hoc tuber nullam firmam cum pectoris ossibus, vel musculis pectoralibus, connexionem habeat; ad *Chirurgiam* veniendum censeo. *Eaque* hac ratione erit instituenda.

Primò apprehendat Chirurgus mammillam dextram manu, digitisque se paulatim magis magisque contrahentibus premat apprehensum tuber versus anteriora, idque in tantum, ut cutis mammillæ exterior a presso & propulso tubere tensa appareat. *Hoc* facto, incidenda mammilla incisione rectâ, in ipsum tuber penetrante; tuberque *deinde* acu falcatâ transfigendum, & ope acus falcatæ infixæ, & digitis chirurgi apprehensæ, ipsum tuber, cum mammilla, a pectore versus exteriora aliquantum protrahendum. Tumq;, ut mammilla foris minus deformetur, ipsum tuber scirrhosum a sanis & vicinis partibis magna circumspectione cultro separandum, & penitus eximendum, ita ut nulla tumoris, vel membranæ, eam forsan involventis, pars supersit. *Hæmorrhagia* postea aptis remediis est sistenda, ægraque ad lectum deferenda; & porro ulneris *Sanatio*, per apta remedia, ex arte procuranda.

FINIS.

Errata ita corrigantur.

P. 9. lin. 25. lege *propter pituitosum suum temperamentum*. p. 181. lin. 1. leg. XI. p. 183. lin. 9. leg. XII. p. 277. lin. 8. & 9. leg. *singulis*. p. 347. lin. 24. leg. XLII. p. 354. lin. 25. dele *&*. ibidem leg. *carunculaque*. p. 361. lin. 9. leg. *aquosam*. p. 364. lin. 5. leg. XLVII. p. 366. lin. 17. leg. XLVIII. p. 370. lin. 1. leg. XLIX. p. 370. lin. 5. leg. *Viginti*. p. 375. lin. 1. leg. L. p. 377. lin. 10. leg. LI. p. 427. lin. 20. & 21. leg. *fœdarum*. p. 428. lin. 1. & 2. leg. *educatur ad*. p. 432. lin. penultima. leg. *tuberosas*.